



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCCCCXXXVIII. ad annum MCCCCXL.

Parisiis, 1644

Disputationes Sev Collationes Inter Latinos Et Graecos In Generali Concilio
Florentino habitae, & ab Andrea de sancta Cruce patricio Romano &
apostolici consistorii aduocato conscriptae in modum ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15490

siue: tertia collationi correspondet sessio quarta; quarta quinta & sexta; sexta septima & octaua; octaua nona; nona decima; decima & undecima undecima & duodecima; duodecima decimatertia & decimaquarta; decimatertia & decimaquarta decimaquinta, decimasexta & decimasextima; decimasexta decimaquinta; decimasexta decimanona; decimasexta vigesima; decimasexta vigesima prima; decimasexta vigesima secunda; vigesima vigimatertia; vigesima prima vigesimaquarta; vigesima secunda vigesimaquinta. Quæ autem de unico principio Spiritus sancti ponit Græcus in sessione 22. habet Andreas aptiori loco in collatione 20. circa finem, & 22. circa medium.

ANNO CHRISTI 1438.

DISPUTATIONES SEV COLLATIONES
INTER LATINOS ET GRÆCOS IN GENERALI
Concilio Florentino habitæ, & ab Andrea de sancta
Cruce patricio Romano & apostolici consistorii
aduocato conscriptæ in modum dialogi
cum Ludouico Pontano.

COLLATIO PRIMA.

De aduentu imperatoris & patriarchæ Græcorum Venetias & Ferrariam, & quomodo excepti fuerint, ac de publica sessione Ferrariæ habita, deque summi pontificis decreto declaratorio, Concilium generale ibidem esse legitime congregatum.

Num. I. ANDREAS. **C**VM res memoratu dignas, quæ nostro tempore euenere (dum forensibus ex negotiis quid superextaret otii) scripto mandarem, * ephemeridum librum curialem conficiens, & Græcorum aduentus, eorumque conuentus causas inter communia meditarer adscribere, conspexi non conuenire mixturam re, modo & personis a communibus differentem. Materia namque fidei, modus conuentionis in vnam œcumenicam Synodum hominum diuersorum climatum ac sectarum; personæ vero summi pontificis maximi Eugenii, sacratissimi que cardinalium senatus, cœtusque generalis Synodi; illustrissimi Græcorum imperatoris Ioannis Palæologi, & reuerendissimi Iosephi Constantinopolitani patriarchæ,

* id est diarium actuum curiæ Romanæ.

ANNO
CHRISTI
1458.

quibus & re & modo, & personarum dignitate, nil excellentius datur; eo motus, vt particulari tractatu hæc modo ipse commemorem, mente concepi: sed eo nunc promptius in actum deducam, quo tua interrogatione allicitus sum, vt necessariam proficuumque translationis Concilii causam fuisse cognoscas, & cum his omnibus abfueris, eaque tam mature, religioseve meditaberis processisse, non ambigo, execrandos censebis, qui huic tam sancto operi impedimento fuerint. Ad rem igitur ipsam Dei cum protectione deueniens, quid ex me scire pridie appetebas, referre non tædeat.

LVDOVICVS. Multa pristino sermone vicissim contulimus, quibus te Basileensium gesta oppugnando, me autem, quæ in illorum diminutionem gesta fuere, rationaliter detestando, diem consumpsimus, finemque verborum dedimus, pari voto concludentes, vt hoc maxime inficiari nequeamus, summa laude præconiove extollendum, quod in vestra Ferrariensi Florentinave Synodo cum Græcis diligentissime decertastis: & cum tam grauius, tamque religiose Latinos Græcosque conuenisse, tamque curiosissime disceptasse relatum est, summo desiderio a te, qui his conuentibus adfuisti, sentiam, quæ ibidem gesta sunt.

AND. Referam non minus perlibenter, quod appetis. Fuerunt namque conuentus admirabiles, vt separatis vicibus vsque ad noctis tenebras pari verborum vicissitudine, summo pontifice, omnibusque Latinorum Græcorumque patribus præsentibus, duodecim, sex Latinorum ex parte, totidemque ex Græcis, vno sub interprete colluctantibus, de fide concertarent.

LV D. Referas, oro, ab exordio, quo imperator, Græcorumque patres ad portus venire, quidve vobiscum publice egere. Rogoque, vt ex relatu dignis nil referendum omittas; sed antequam ad modum aduentus deuenias, causa aduentus extitit, prout arbitramur, vt se conuerterent?

AND. Nescio quis intrinsecus partium fuerit motus, sed communi opinione creditur, quod aduentus causa extiterit, vt religionis vnicum ouile fieret, ac pastor vnus, prout inter præcipua nostræ religionis præcepta constitu-

tum est, arbitror, vt in fide vna esset conuentio, causa fuerit aduentus. In pluribus namque a Romana sancta ecclesia diuertebant vsque ad ipsius deitatis notitiam: & quia ex adscribendis innotescunt differentiarum causa, hic non adscribimus.

LVD. Quem rei huic causam dedisse arbitraris?

AND. Quis, vt conuenissent, causam dederit, modo curae non est inquirere. Sunt qui arbitrantur, patres qui Basileae pro vniuersali Synodo conuenerant, dedisse causam: quidam vero summum pontificem Eugenium, qui & cum in minoribus fuerat, hoc summo anhelauit desiderio: & si afferas mutuo concursu utrosque classem, gentes, pecuniasve ad Gracos vehendos solenniter destinasse; fido tamen relatu percepi, quod etsi triremes miserint qui Basileae fuerant, non vt Gracos ducerent, sed vt eos a veniendo auerterent, id fecerunt. quod certo argumento percipitur, cum nec ballistarios Constantinopoli dimittendos, nec pecunias secum duxerint: quinimo eos maxime instituisse fertur, vt Gracis ad pontificem maximum incedentibus infidelium potentatus obsisterent. Quae quidem etsi minime crederem per fidelium mentes excogitari potuisse, ex his tamen qui cunctis ibidem gestis interfuere, fido relatu percepi: sed si concursus hic fidei feruore aduenisset, vterque memoria dignus esset.

LVD. Cur magis pontificis, quam Basileensium triremibus aduenere?

AND. Percepi, quia & venire promiserant, ac agendorum finem considerantes eo, quo tenderent, vt vno sub pastore Deum cognoscerent, & ideo Romani pontificis classibus, in quo vniuersalis ecclesiae potestas principaliter residet, transfretare ad partes nostras decreuere spretis Basileensium nauibus; nequibant duobus de indiuiduo contententibus assentiri.

LVD. Referas aduentus modum.

AND. Id perlibenter faciam; indeve principium sumam, quo Venetias aduenere, nec rem longius protraham. Hesterno namque sermone cum in Basileenses grauiter inueherer, retulimus quae in nauium destinatione summus pontifex Basileensiseve egerunt; quidve per vtriusque legatos, & vtriusque legationis classes peractum est Con-

stanti-

ANNO
CHRISTI
1438.

stantinopolitana in vrbe. Nona Februarii die, anno 1438. magno cum campanarum pulsu Græci Venetiis recepti sunt, duce, Venetorumve ciuibus dominio præfidentibus, in naui, quam Bucentaurum nominant, obuiam euntibus: in quam imperatore recepto, ad palatium sibi dispositum conduxere. Veniebant namque, vt asserebatur, omni dimissa credulitatis pertinacia, vt veritatem cognoscerent; meritoque plaudendum fuerat.

LVD. Fuitne quis ex nostris, qui eos reciperet?

AND. Si occidentalium honorem conspiciamus, nonne magnifice recepti sunt, si tantæ vrbis populum conspexere eorum plaudentem aduentui?

LVD. Sed summus pontifex, iique qui Ferrariæ pro Concilio se habebant, nonne aliquos destinarunt?

AND. Eugenius summus pontifex reuerendissimum cardinalem sanctæ Crucis, ac marchionem Ferrariensem ad Græcos recipiendos Venetias misit, audito Græcorum aduentu: sed & reuerendissimus dominus cardinalis sanctæ Sabinæ, sancti Angeli cognominatus, qui Basileensi Concilio præfuerat, qui ad hoc potissime conuentionem illam protexisse asseruerat, vt Græcorum vnioni causam daret, cum Græcos pontificis nauibus aduehi conspexit, ex Basilea Venetias venit paulo post præfatorum cardinalis & marchionis aduentum.

LVD. Græci cum naues egressi sunt, quid egere?

AND. Imperator & patriarcha Græcorum, primo eorum ingressu, ex Venetiis ad summum pontificem oratores destinarunt, sæculares tres, abbates duos, qui vigesima Februarii pontificem adierunt. Data eis licentia publice differendi, sæculares conuenienter summi pontificis in accessu genuflexi sunt: clerici vero curuato capite, aliam reuerentiam non exhibuerunt. Exposuerunt, imperatorem & patriarcham ad nutum suæ sanctitatis venisse, illicoque pausa ex longo itinere sumpta, aduenturos.

LVD. Quid demum?

AND. Dimissis Græcis Venetiis, reuerendissimus dominus cardinalis sanctæ Crucis & marchio Ferrariam redierunt, sanctæ Sabinæ Mantuam reuersus est.

LVD. Profequere, oro, quid demum secutum est.

AND. Quarto Martii Græcorum imperator Ferrariam

magno cum equitum apparatu ingressus est. Occurrunt ei cardinales obuiam omnes, qui tunc Ferrariæ erant, extra ciuitatem, cum magno prælatorum comitatu: sub pallio aureo ductus est ad palatium apostolicum, & equester vsque ad papæ cameram, via ad hoc in palatio Ferrariensi per marchiones antiquitus constructa: exhibitaque Romano pontifici reuerentia debita, ad palatium, paradisus cognominatum, pro sui residentia dispositum, simili pompa associatus est.

LVD. Nonne & patriarcha imperatorem secutus est?

AND. Remanserat patriarcha, per aquam veniens, antiquitate grauior.

LVD. An post diutius moram traxit?

AND. Octauo eiusdem applicuit cum suorum clericorum consortio, per Padum in naui veniens: ciuitatique appropinquans, & cum magnus archiepiscoporum & episcoporum cœtus, & curialium ceterorum extra ciuitatem, vt eum reciperent, fuisset egressus, eumque diutius expectassent, marchione Ferrariensi & filio ad eum accedentibus ad nauim in qua venerat, compertum est voluisse, vt sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales eidem occurrerent. Die illo his vigentibus, ex naui qua venerat, non descendit, ibidemque pernoctauit nocte illa.

LVD. In naui?

AND. In naui: erat namque vndique tabulis tapetivæ circumdata, quam Bucentaurum vocant, pro similibus casibus ordinata.

LVD. Quo demum ordine in terram venit?

AND. In diluculo diei sequentis, requisitis curialibus speciali nuntio, ad portum, quo naues Ferrariam applicant, curialium quisque equester accessit, duo cardinales iuniores diaconi, Prosper de Columna tituli sancti Georgii ad Velum aureum, & Firmanus sanctæ Mariæ in Via lata, pariter acceperunt pontificis iussu. Equitantibus patriarcha & Græcis aliis, cardinales ei occurrerunt obuiam, nullaque adinuicem alia inclinatione facta, nec alter alteri pileum flectens, dominus de Columna, qui ex eis duobus ætate minor, dignitatis tamen adeptione maior collega, patriarchæ sic inquit: Reuerendissime pater, dominus noster papa misit nos, vt associaremus paternitatem

ANNO
CHRISTI
1438.

vestram. Eoque in medio sumpto, ad palatium apostolicum conduxere.

LVD. Quomodo per summum pontificem receptus est?

AND. Papa eidem non occurrit in publico, quinimo ultra consuetum morem, in priuata camera secreti cubi- culi mansit, vt arbitror, prænarratæ difficultatis respectu. Ingressusque est patriarcha sex sociatus tantum, papave vt totidem secum haberet, si vellet, vltra cardinales con- uento. Sedit summus pontifex vsque ad patriarchæ ad- uentum in secreta camera, cardinalibus ad dexteram pa- pæ constitutis; in scabello ad sinistram disposito receptus est: eoque paululum summum pontificem allocuto, ad pa- latium sibi pro habitatione assignatum associarunt omnes qui secum ex naui venerant, cardinalibus demptis.

LVD. Quid demum secutum est?

AND. Quia personæ antiquitas, & ceremoniarum di- uersitas facilem non faciebat ad summum pontificem pa- triarchæ accessum, deputati sunt ex cardinalibus duo, Do- minus sanctæ Sabinæ, sancti Angeli cognominatus, qui ex Mantua ad summum pontificem his diebus venerat, de- posito legationis officio, cui præfuerat; & dominus Fir- manus, de quo supra verbum fecimus: quibus iniunctum est, vt modum, formamve agendorum cum patriarcha disponerent. Ac multis hinc inde tractatibus habitis, con- uenere, vt in ecclesia cathedrali Ferrariensi conuenienti- bus Latinis & Græcis declararetur, per summum pontifi- cem Concilium œcumenicum, Græcis annuentibus, ibi- dem esse legitime congregatum.

LVD. Quo ordine hoc factum est?

AND. Octauo Aprilis ordo in maiori ecclesia datus est. Fuerant pro generali Concilio sedilia in medio Ferra- riensis ecclesiæ primitus ordinata. Dextera pars ecclesiæ, vbi summi pontificis erat sedes, Latinis, sinistra Græcis, dispositæ sunt. Inter papæ tribunal & sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales sedes erat pro Romanorum impera- tore, etsi absente, præordinata: sequebatur reuerendissi- morum cardinalium sanctæ Romanæ ecclesiæ senatus, re- uerendissimus dominus cardinalis de Vrsinis primo epi- scopus Sabinensis, Iordanus nomine, dominus Antonius

Concil. Tom. 33.

P ij

episcopus Ostiensis, Branda Portuenfis, Petrus tituli sancti Marcelli, Nicolaus tituli sanctae Crucis, Franciscus tituli sancti Clementis, Angelottus sancti Marci, presbyteri cardinales; Prosper tituli sancti Georgii ad Velum aureum, Dominicus sanctae Mariae in Via lata, diaconi sanctae Romanae ecclesiae cardinales. Inter primum & secundum cardinales episcopos, Hierosolymitanus patriarcha, quem sancta Romana ecclesia pro patriarcha tenebat: post reuerendissimorum cardinalium ordinem sequebatur reuerendissimus patriarcha Gradensis, demum archiepiscopi, prout primum quis dignitatem habuerat: post archiepiscopos episcopi, post episcopos abbates pari ordine sequebantur.

LVD. Quot fuerunt ex patribus Latinorum mitra confedentium?

AND. Centum & sexaginta.

LVD. Quis praedictorum omnium ornatus fuerat?

AND. Summus pontifex aderat mitra gemmata, ac facris indutus vestibus; similiterve cardinalibus episcopis & presbyteris stantibus mitra dempta, quibus absque ornamento albae erant, cardinalibusve diaconibus, diaconorum vestibus, albaque mitra, ceteris patriarchis, archiepiscopis & episcopis, ornamento cardinalium, episcoporum more confedentibus: protonotariis, correctore in scabello per transuersum de dextera ad sinistram ecclesiae partem disposito ordinatis, nobisve aduocatis nostro ordine ad eorum pedes in graduum summitate locatis, auditoribus, clericis camerae ad pontificis pedes prope terram manentibus. Hic fuit Latinorum modus, ordo, formave in praedicto conuentu: ac in Graecorum absentia fuit Spiritus sancti Missa solenniter celebrata, seruatisque quae sunt solita seruari in sessionibus publicis, summo pontifice, Latinorumque patribus ad dexteram ecclesiae partem stantibus, aduenerunt Graeci, & sinistra ecclesiae parte pro eis ordinata recepti sunt.

LVD. Quis locus fuerat Graecorum imperatoris?

AND. In sinistra parte de directo cathedrae imperatoris Romanorum pariformiter constituta sedes est: ad eius dexteram scabello quodam posito erat Demetrius eiusdem imperatoris germanus, despotus Moreae.

ANNO
CHRISTI
1438.

LVD. Prosequere clericorum ordinem.

AND. In oppositum primi cardinalis sedes patriarchæ fuerat constituta, qui infirmitate detentus non adfuit illo die; & speciale misit mandatum, quod publice lectum extitit, vt inferius de verbo ad verbum interferam. In quatuor scabellis post patriarcham dispositis sequebantur archiepiscopus Heracleensis, Alexandrini patriarchæ legitimus mandatum habens, eiusque locum tenens; archiepiscopus Ephesinus patriarchæ Antiocheni legatus, archiepiscopus * Menesiensis Hierosolymitani patriarchæ personam representans, & metropolita Iberius regis Iberiæ apocrifarius, archiepiscopus Trapezuntæ, archiepiscopus * Rificu, archiepiscopus Nicænus, archiepiscopus Lacedæmoniensis, archiepiscopus Nicomediensis, archiepiscopus * Triuoniensis, Amasiensis, Mitylenensis, Toloson, Stauro-pol, Tufricensis, Garinensis, Mellentenensis, Achiliensis, Muldulanus, archiepiscopi. Post quorum confessum erant sex presbyterorum habitum gerentes, * metropolitæ ecclesiæ Constantinopolitanæ, cruciferi appellati ex eo, quod crucem supra pileum, vltra communem presbyterorum habitum, gestabant; & monachorum venerabilis comitiua suo ordine sequebatur.

* alias
Menem-
basiensis* alias
Zizien,* alias
Torno-
benfis.* metro-
politane

LVD. Quis habitus patriarchæ, aliorumve archiepiscoporum fuerat?

AND. Patriarchæ, archiepiscoporum & episcoporum habitum ibidem vidimus nigrum, tegmen capiti appositum monachorum more, cappa caelestini coloris, rigis albis purpureisve per transfuersum a summo vsque deorsum variata; sacrarium quoddam, crucis venerabilis signum, certasque sanctorum reliquias continens, in pectore medio gerentium.

LVD. Religiosorum quis fuit ornatus?

AND. Abbates & monachi cappas camelorum pilis, seu grisea lana confectas, capitis tegmine ab eorum patriarcha episcopisve minime differentes.

LVD. Sæcularium vero?

AND. Sæculares presbyteri erant bireto quodam caudato vsque ad vestis summitatem collum tegente, pileo nigro a lateribus circumflexo, suprauestis talaris nigra, manicis angustis, manus extremitate longioribus.

P iij

LVD. Sed imperatoris quis erat habitus?

AND. Imperatoris, eiusve germani habitus erat similis, purpurea vestis, & pileus ab anteriori parte oblongus cuspidem faciens, rotundus in ceteris, precioso lapide supra pileum imperatoris tantummodo differens.

LVD. Sed imperatori non aderant aliqui ex sæcularibus?

AND. Sæculares quidam Græcorum prope imperatoris tribunal in scamno quodam prope terram confederant, in oppositum assistentium summo pontifici: primus despotus Seruiæ, & nobilis quidam imperatoris Trapezuntæ mandatum habens; quidamve regis Iberiæ orator, habitu ab aliis differens, bireto rotundo lapidibus pluribus exornato, aurove contexto, ac duo apocrifarii principis Valachiæ.

LVD. Sed quis erat sæcularium apparatus?

AND. Communis nobilium sæcularium apparatus fuerat, diplois quædam vsque ad pedes longa, sericea materia, fascia quadam staminis a pectore ad ventrem circumcincti; suprauestis talaris strictissima, manicis angustis, quam cappæ more in humeris gerebant, collari ad caput eminente: in capite rotundus pileus cubitalis altitudinis, in summitate rotundior, in latitudinem effundens, ab extra griseis pellibus, seu serico rubeo contextus. His igitur sic confedentibus ordine & modo quibus expressum est, silentium vndique factum est: & aderant Latinorum in sacra theologia doctorum peritissimorum, atque iurium spiritualium & temporalium numerus copiosus, ut vix vnquam vno in conuentu spectatissimorum virorum coronam talem conspexerim; dico eorum, qui dignitatibus officiisve carebant. Omnibus his expectantibus, presbyter quidam Græcus assurgens, patriarchæ absentiam excusavit, eiusve mandatum in publica forma exhibuit, ac primo in Græco, & deinde in Latino legit: cuius mandati hæc verba fuere.

ANNO
CHRISTI
1438.M A N D A T V M P A T R I A R C H Æ
C O N S T A N T I N O P O L I T A N I A N N O D O M I N I
1438. die Mercurii ix. mensis Aprilis.*Ioseph miseratione Dei archiepiscopus Constantinopolitanæ
nouæ Romæ.*

CVM gratia & beneplacito eius qui omnia in melius disponit Dei, desiderium diuinitus veniens nostras mentes communi intentione possideat, astantibus occidentalibus & orientalibus ecclesiæ pontificibus, vt omni possibili verbo atque rationabili modo sacris scripturis ac diuinis eloquiis pridem edocti, sine vlla lite atque contentione de proposita quaestione cum Dei timore scrutari possimus, atque alterutri conuenientes secundum vnam Dei voluntatem, superante veritate, vniamur, iam res in hanc negotii summam accessit, vt nos orientalis ecclesiæ, veritatis manifestationem omnibus nostris periculis præferentes, huc Deo volente accesserimus, decet nunc rebus principium dare, cuius illud principium est, vt Synodus pronuntietur, cui etiam me cum ceteris sanctis & fratribus meis pontificibus⁶ interesse decebat, cum non esset conueniens, neque iustum me absente vel pontifices illuc accedere, vel Synodum pronuntiare. Sed cum ægritudo corporis prohibeat, nec sinat vt ego adesse possim, iam per hanc adhortatoriam literam, concedo reuerendissimis patribus locum tenentibus sanctissimorum patriarcharum fratrum meorum, & omnibus in Spiritu sancto dilectis fratribus meis & coadministratoribus metropolitans, & ceteris prælatibus ecclesiæ adire impræsentiarum, & perficere œcumenicæ Synodi pronuntiationem. Huius gratia & præsens exhortatoria litera nostræ humilitatis absoluta est omnibus vobis, ad prædictorum omnium manifestationem & certitudinem.

Habebat exemplar, *sacer patriarcha*:⁶ manuscriptum, mense Aprilis.

L V D. Quid demum factum est?

A N D. Summus pontifex reuerendo in Christo patri domino episcopo Portugallensi annuit, vt pulpitum ascenderet, legeretque quod ei fuerat iniunctum. Qui de loco

suo recedens, locum ascendit, quamdamque bullam huius continentiae legit.

ANNO
CHRISTI
1438.

EVGENIVS PAPA DECLARAT
FERRARIAE ESSE SYNODVM
vniuersalem.

*Eugenius episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam
rei memoriam.*

*Exstat Graece
& Latine
tomo 32. Con-
cil. pag. 21.
alterius
translationis.*

MAGNAS omnipotenti Deo gratias referre nos conuenit, qui antiquae miserationis suae non immemor, ecclesiam suam fecundioribus semper accumulatis incrementis: & licet hanc iactari interdum tentationum & pressurarum fluctibus sinat, nunquam tamen patitur mergi, sed inter vndarum moles inuiolabilem seruat, facitque ineffabili clementia sua, ut inter angustias varias robustior illa semper affurgat. Ecce enim orientales & occidentales populi diu abinuicem separati, vnum concordiae & vnitatis foedus inire festinant: & qui longo a seipsis dissidio auulsos, ut aequum erat, moleste ferebant, post multa tandem saecula, ipso utique auctore, a quo omne datum optimum provenit, sanctae vnionis desiderio corporaliter in hoc loco conuenerunt. Nostrum autem & totius ecclesiae munus est, & esse intelligimus, viribus omnibus eniti, ut haec felicia coepta iugi sollicitudine felicem progressum exitumque consequantur, ut cooperatores Dei & esse & dici mereamur. Denique carissimus filius Ioannes Palaeologus Romaeorum imperator, vna cum venerabili fratre Iosepho Constantinopolitano patriarcha, & aliarum patriarchalium sedium apocrisariis, magnaque cum archiepiscoporum & ecclesiasticorum nobiliumque multitudine, octaua Februarii mensis proxime praeteriti, Venetias, ad vltimum scilicet applicuit portum; vbi, sicut antea saepius fecerat, Basileam iustis de causis, ratione oecumenici seu vniuersalis Concilii celebrandi, se ire non posse patenter expressit; idque Basileae congregatis per literas intimauit, exhortans atque requirens omnes, uti Ferrariam ad huiusmodi Concilium celebrandum electam pro agendo tam sanctissimo huius vnionis opere sese transferrent. Nos itaque, quibus haec sacratissima vnio
semper

ANNO
CHRISTI
1438.

semper cordi fuit, quique hanc summo studio perfici cupimus, decretum ^a Basileensis Concilii cum Græcis ipsis conuentum, electionemque loci pro œcumenico celebrando Concilio in eadem Basileensi Synodo factam, ac per nos postea Bononiæ, instantibus ipsorum imperatoris & patriarchæ nuntiis, ^b confirmatam, & quæque alia ad ipsum sanctæ vnionis opus spectantia, vt est officii & debiti nostri, exequi diligenter intendimus. Omni igitur modo & forma, quibus melius possumus, decernimus & declaramus, ^c accedente consensu dictorum imperatoris & patriarchæ, omniumque in præsentem existentium Synodo, sacram esse vniuersalem seu œcumenicam Synodum in hac Ferrariensi ciuitate omnibus liberam & securam, sicque dictam Synodum ab omnibus reputari debere, in qua sine vlla rixosa detentione & pertinacia, atque cum omni caritate sacrum hoc vnionis negotium tractandum, & Deo propitio, vt speramus, felici fine claudendum est, vna cum sanctis operibus reliquis, ad quæ peragenda Synodus ista noscitur instituta.

^a supra relat. par. I. num. II.

^b vt supra par. I. num. IV.

Datum Ferrariæ in generali sessione synodali solenniter in ecclesia maiori Ferrariensi celebrata, anno incarnationis dominicæ millesimo quadringentesimo trigessimooctauo, quinto Idus Aprilis, pontificatus nostri anno octauo.

Quibus peractis, lætissime ex conuentu assurrexerunt omnes.

LVD. Hæc quidem auditu gratissima sunt, sed gratius suscipiam, cum dixeris disputationis modum.

AND. Publice conuentio siluit vsque ad octauam Octobris.

LVD. Res quidem auditu horrenda est, quod tantus hominum numerus, tantusve elegantie fulgor in vnum conuenerit, nihilque tanto tempore gesserint.

AND. Græci huic rei causam dederunt: mos quidem gerendus erat eisdem, qui ad fidei vnionem fuerant conuerti ad hoc spirituale conuiuium. Sed & datus est modus, vt & si publice conuenire nequirent, priuatis conuentibus certi ex Latinis Græcisque deputarentur, qui præludia publicarum disceptationum in medium ducerent. Deputati sunt ex Latinis sexdecim viri de regularium ac sæ-

Concil. Tom. 33.

Q

^a Græcus scrip-
tor in his pri-
uatis disputa-
tionibus Fer-
rarie habitis,
plura refert de
purgatorio,
quæ publice
repetita fuerit
Nicomitæ a
Turcetemar-
ta, ea que re-
fert Andreas
vna cum aliis
quæstionibus,
quæ hic in-
nuuntur, infra
collatione 11.
num. 1. & se-
quentibus.

^b Infra loco
supra citato.

cularium numero, viri graues & docti, qui certis diebus tenerentur in ecclesia Minorum certas disputationes particulares facere; pariterque idem Græci fecere: quæ quidem quia publica acta non sunt, non visum est in scriptis publice referendum^a. Discussum est pluribus diebus, & cum quatuor principaliores viderentur fuisse differentiarum causæ: Prima de processu Spiritus sancti a Filio; secunda de purgatorio, an sit, & an animæ ante diem iudicii puniantur, vel Deum videant: tertia de potestate Romanæ ecclesiæ; & vltimo de sacramento, an in fermento, vel azymis fieri debeat: sumpta est purgatorii materia in discussionem, & disputationes plurimæ factæ sunt, an purgatorium sit, quove loco animæ resideant vsque ad diem, quo iudicaturus viuos & mortuos Deus noster redemptor aduenerit. Et posito, quod purgatorium foret, an pœna ignis ibidem sit, an igne materiali ibidem animæ puniantur: plurimæque alia, quæ locis priuatis discussa sunt, & suis loco & tempore in publicum^b deducuntur, omit- tam. Hoc modo deuentum est cum Græcis vsque ad octa- uam mensis Octobris.

*Antequam reliqua Andreæ prosequamur, opportune hic tem-
poris ordine exigente, ex Vaticano codice inferendas duximus li-
teras Eugenii papæ de indulgentiis & subsidio pro Græcis.*

Num. II.

*Eugenius, &c. vniuersis & singulis, ad quos præsentis nostræ
literæ peruenerint, salutem & apostolicam
benedictionem.*

AD salutem animarum Christi fidelium, quarum no-
bis tamquam vnico Christo vicario, & totius domi-
nici gregis pastori in terris principaliter cura commissa
esse dignoscitur, diligenti sollicitudine, prout onus ipsius
pastoralis requirit officii, intendentes, ea diligenter quæ-
rere & exequi peroptamus, per quæ & fidei catholicæ
exaltatio desiderata proueniat, & ipsi fideles ex piis eorum
suffragiis spirituales fructus vberius consequantur. Sane
vt multa omittamus, quæ superiori tempore pro vnione
orientalis ecclesiæ Græcorum multo labore & studio ope-
rati sumus, ante annum per oratores carissimi in Christo
filii Ioannis Palæologi Græcorum imperatoris, & venera-
bilis fratris Iosephi Constantinopolitani patriarchæ, ac

ANNO
CHRISTI
1448.

alios multos timoratos zelo fidei catholicae accensos, & magna auctoritatis viros, ad prosecutionem praefatae vni-
onis, quae eo in tempore ab aliis deserta videbatur, instantius
requisiti, ad id etiam urgente nos conscientia, ne tam san-
ctum opus in magnam confusionem fidei catholicae, ac
perpetuam infamiam occidentalis ecclesiae deserere patere-
mur, totum eius sancti operis onus suscepimus, in Dei mi-
seratione & fidelium suffragiis confidentes. In qua re tan-
tam tamque sollicitam operam adhibuimus, ut praefati im-
perator & patriarcha vna cum metropolitans, episcopis,
abbatibus, praelatis, nobilibus, & aliis clericis & laicis in
multitudine copiosa ad nos venerint, cum quibus, praes-
tante Domino, oecumenicum Concilium Ferrariense fun-
dauimus, illud cum eis per disputationes & opportunos
tractatus usque in diem praesentem sollicitè prosequentes.
Verum cum ob dictorum apparatus ad iter arripien-
dum & nauigationem, ac custodiam Constantinopoli-
tanae ciuitatis, prout conuentum fuerat, graues expensas
subierimus, & multo maiores quam suppetant faculta-
tes, ac de cetero usque ad reditum eorum in patriam, iux-
ta eis promissa, nos subire oporteat, rei huius necessitate
compellente, cogimur deuorum Christi fidelium suffra-
gia & caritatiua implorare subsidia.

Vt igitur ipsi Christi fideles ad opportuna tam sancti o-
peris auxilia facilius & feruentius animentur, quo spiri-
tualibus muneribus se senserint in benedictionibus praes-
ueniri: Nos attendentes, quod beato Petro apostolorum
principi, & aeterni regni clauigero ac pastori ecclesiae,
& successoribus suis infinitum illum thesaurum, qui in
Christi sanguine fidelibus datur, plena sit dispensandi at-
tributa potestas, de omnipotentis Dei & Christi miseri-
cordia, cuius vices, licet immeriti, in terris gerimus, ac
beatorum apostolorum Petri & Pauli auctoritate confi-
si, omnibus & singulis Christi fidelibus, qui pro suppor-
tandis oneribus ad tam sanctum opus nobis incumben-
tibus ad certam summam (ut accepimus) haecenus contri-
buerunt, aut iuxta eorum facultates contribuent in futu-
rum, eligendi in confessorem sacerdotem idoneum saecula-
rem vel regularem, qui in omnibus casibus, etiam de

*Facultas ab-
soluendi a
casibus refer-
uatis.*

Concil. Tom. 33.

Q ij

*Indulgentia
subsulium
tribuentibus.*

*Facultas ab-
soluendi a
censuris.*

*Vota com-
mutandi.*

in vita, quamprimum opportunitas aderit, absolueri valeat, iniuncta eis poenitentia saluari: deinde etiam similem eligendi confessorem, qui in mortis articulo omnium peccatorum, de quibus vere corde contriti & ore confessi fuerint, ipsis in sinceritate fidei, vnitatis sanctae Romanae ecclesiae, ac obedientia & deuotione nostra & successorum nostrorum Romanorum pontificum canonicè intrantium persistentibus, plenariam remissionem & indulgentiam concedere possit, tenore praesentium plenam & liberam concedimus facultatem. Quibus & confessoribus sic, ut praefertur, eligendis ab excommunicationis, suspensionis & interdicti sententiis ab homine vel a iure generaliter vel specialiter & nominatim latis in foro poenitentiali tantum, debita satisfactione iuxta formam iuris iniuncta, absolutionis beneficium omnibus & singulis, de quibus supra, impendendi in forma ecclesiae consueta: nec non super votis peregrinationis vel abstinentiae, vel similibus, etiam si de vltamarinis partibus, aut sancti Iacobi in Compostella, vel apostolorum Petri & Pauli liminibus visitandis, emissae fuerint, & non adimpleta, dispensandi, & in alia pietatis opera commutandi. Insuper etiam quoscunque vsurarios, aut alias turpes quaestores, super vsuris & bonis dumtaxat, de quibus incertum est, quibus personis fieri debeat restitutio; ac etiam illos qui arma, vel alia prohibita infidelibus vel haereticis detulerint, absoluedi facultatem similiter impartimur. Ita tamen quod votis obligati expensas itineris, & oblationes quas facturi erant: vsurarii vero, & ex turpi, vel alias indebito lucro ad restitutionem obligati, vbi pro quibus erat restitutio facienda, nesciuntur, & delatores prohibitorum, ut supra praemittitur, lucra, quae ex talibus quaesierint, ad subsidium eiusdem operis exponant, & alias praedicti omnes satisfaciant, ut tenentur. Et ne (quod absit) per huiusmodi redantur procliuiiores ad illicita in posterum committenda, volumus, quod si ex confidentia remissionis huiusmodi aliqua forte committerent, quoad illa dicta remissio nullatenus suffragetur. Quam quidem facultatem circa voventes, vsurarios, indebiti lucri quaestores, & prohibitorum delatores, ut praefertur, ad eas etiam personas, quae pro subsidio huiusmodi hactenus iuxta modos praemissos satisfe-

ANNO
CHRISTI
1438.

cerunt, dum tamen sic soluta in dictum subsidium realiter assignentur, extendi volumus per præsentés. Mandantes & iniungentes omnibus & singulis ecclesiarum prælatis, capitulis, conuentibus, & aliis quibuscumque ecclesiasticis personis, quatenus indulgentias & concessiones huiusmodi in locis eis subiectis per idoneos prædicatores populis suis solenniter publicari & exponi faciant. Quibus quidem prædicatoribus, & omnibus qui eos deuote audierint, & in tam pio opere assistentiam & fauorem præbuerint, auctoritate prædicta duos annos & totidem quadragenas de iniunctis sibi poenitentiis in forma ecclesiæ relaxamus. Pecunias autem, & alia, quæ pia fidelium largitione, aut aliis quibuscumque erogationibus in subsidium huius sancti operis obuenerint, ordinarii loci & illorum, quos cum literis concessionum huiusmodi per nos vel habentes ad hoc a nobis speciale mandatum destinari contigerit, duorumque bonorum virorum loci iudicio reponi & conseruari, & his quos ad ipsas pecunias recipiendum deputauerimus, consignari volumus. Ordinationibus alias forsân quauis auctoritate in contrarium factis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo, &c. Datum Ferrariæ octauo Kalendas Octobris, pontificatus octauo.

*Indulgentia
& concessio-
nes sunt pu-
blicanda.*

Aliæ literæ eiusdem Eugenii de decimis pro eodem subsidio.

*Eugenius, &c. Dilecto filio Baptista de Legname legum
doctore, clerico camera apostolica, & capellano
nostro, salutem.* Num. III.

DVDM Basileensé Concilium pro vnione Græcorum cum ecclesia Latina renouanda carissimo filio Ioanni Palæologo Romæorum imperatori, ac venerabili fratri Iosepho patriarchæ Constantinopolitano, expensas pro ipsis cum septingentis personis in veniendo ad locum œcumenici Concilii, & ibidem stando, indeque redeundo ad ciuitatem Constantinopolitanam, proque duabus galeis & trecentis ballistariis in dicta ciuitate, quamdiu imperator causa Concilii inde abesset, ad ipsius vrbs custodiam mansuris, synodali decreto spondit: & cum ad hoc ingens perficiendum opus immensa pecuniarum quantitas necessaria videretur, ii qui in ipso tunc reside-

** Sessione 19.
Concilio Ba-
sileens.*

Q iij

bant Concilio, considerantes simul summæ magnitudinem, necessarium & opportunum esse iudicarunt, pro tanto Dei honore & totius ecclesiæ profectu, ipsam ecclesiam de bonis sibi a Deo collatis subuenire debere. Mature igitur inter se vniuersalem omnium fructuum ecclesiasticorum decimam atque imposuerunt. ^a Ne autem clerum frustra grauari contingeret, ibidem decretum extitit, vt vsquequo ipse imperator & patriarcha cum aliis Græcis ad vltimum applicuissent portum, ipsa decima nullatenus exigeretur. Verum cum in ipso olim Basileensi Concilio de loci electione tractaretur, vbi œcumenica celebranda esset Synodus, tandem Florentia aut Vtinum, seu locus alius, qui prius necessaria pro hac re præparasset, electus ^b extitit. Nos autem, qui etiam dum in minoribus constituti essemus, summopere hanc sanctam vnionem Græcorum desiderauimus & perquisiuimus, habito cum fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, pluribusque aliis in magno numero, qui in curia Romana residebant, prælatis, maturo consilio, iudicauimus, hanc ciuitatem Ferrariensem ad huius œcumenici Concilii celebrationem esse opportunam atque accommodam, & pro hac quoque necessaria præparare decreuimus. Ad honorem igitur omnipotentis Dei & sanctæ matris ecclesiæ, profectum quoque & amplitudinem fidei orthodoxæ, nostris impensis galeas & ballistarios, aliaque omnia in ipso synodali decreto promissa Constantinopolim transmisiimus, & tandem, Deo propitio, ipsos imperatorem & patriarcham cum multis metropolitibus, aliisque ecclesiasticis & sæcularibus viris nobilibus in magna multitudine, ad vltimum portum, ciuitatem videlicet Venetiarum, & deinde huc Ferrariam adduci fecimus. In qua quidem ciuitate Ferrariensi die 9. Aprilis, consentientibus ipsis Græcis, esse œcumenicum Concilium legitime congregatum, in sessione publica solenniter ^c declarauimus. Cum autem vsq; ad hunc diem pro hoc sanctissimo opere summam circiter octuaginta millium ducatorum exposuerimus, omnique mense, vsque ad confirmationem, tam pro expensis eorum qui sunt in Concilio, quam pro dictis duabus galeis & tercentum ballistariis ciuitatem Constantinopolitanam custodientibus, quinque millia ducatorum expo-

^a Sessione 27.
Concilii Basileensis.

^b Hoc decretum habetur supra num. 22.

Consentientibus Græcis in ciuitate Ferrariensi Concilium legitime congregatum.

^c Vt supra hac eadem collatione.

Expense pro conducendis Græcis ad Concilium, & custodia Constantinopolitane ciuitatis.

nere necessarium sit, ne ecclesiam quæ nullo modo aliunde supplere potest, in præmissis deficere, tantumque bonum negligi defectu pecuniarum contingat, prædictam decimam per ipsum quondam Basileense Concilium impositam, conditione prædicta per Dei gratiam purificata, hoc sancto approbante Concilio exigendam iam fore declarauimus. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta committimus, & mandamus tenore præsentium, quatenus procures & studeas diligenter, quod personæ ecclesiasticæ, & quæcumque alia pia loca prouinciarum, ciuitatum, diœcesum, sub regnis carissimi in Christo filii nostri Eduardi Portugallia & Algarbii regis illustris constituta, tam exempta, quam non exempta, cuiuscumque religionis & ordinis existant, etiamsi sint sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, quibus cardinalibus & religiosis nulla priuilegia & exemptiones in hac parte volumus suffragari, sine difficultate aut dilatione faciant illud idem, atque persoluant. Volumus autem quod huiusmodi decima per te, quem in prædictis prouinciis, ciuitatibus & diœcesibus collectorem tenore præsentium deputamus, ac tuos subcollectores, clericos dumtaxat, quos ad id deputabis, a personis ecclesiasticis sæcularibus & regularibus, exemptis & non exemptis, in eisdem ciuitatibus & diœcesibus, fructus, redditus & proventus huiusmodi habentibus, & infra annum habituris, de ipsis dumtaxat fructibus, redditibus & prouentibus colligatur, & etiam exigatur: vtque iuxta constitutionem editam in Concilio Viennensi super decimis exigendis, calices, libri, & alia ornamenta ecclesiastica diuinis officiis deputata, ex causâ pignoris, vel alias, occasione prædicta nullatenus capiantur, distrahantur, vel alias occupentur. Volentes quod tam tu, quam subcollectores a te, vt præfertur, deputandi, dictam decimam a singulis personis ecclesiasticis huiusmodi, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam ac sequestrationem eorum reddituum & prouentuum ecclesiasticorum, per te ac per ipsos, aut alium vel alios, ad soluendum compellas, seu compellant, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, tam felicitis recordationis Bonifacii papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, ac duabus diætiis in Concilio generali, quam aliis

Decima exigenda pro subsidio.

constitutionibus apostolicis contrariis non obstantibus quibuscumque, seu si eisdem personis a sede apostolica sit indultum, quod ad solutionem huiusmodi decimæ minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium euocari non possint, per literas apostolicas non facientes plenam & expressam de verbo ad verbum, eorumque propriis ordinum, locorum & personarum nominibus & cognominibus mentionem, & quibuscumque priuilegiis & indultis, exemptionibus & literis apostolicis quibuscumque ordinibus & dignitatibus, & specialiter sanctorum Benedicti & Augustini, Cisterciensium, Cluniacensium, Præmonstratensium, Grandimontensium, Carthusiensium, Camaldulensium, Vallisumbrosæ, Cruciferorum & Humiliatorum, ac Hospitalium sancti Ioannis Hierosolymitani, & beatæ Mariæ Teutonicorum, sancti Iacobi de Spata, Calatrauensis & de Alcantara militiis, & ipsorum vniuersitatibus generaliter vel specialiter sub quacumque forma vel expressione verborum a memorata sede concessis, de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris literis plena & expressa mentio sit habenda; quibus omnibus hac vice dumtaxat ex certa scientia volumus derogari. Et insuper volumus, tibi que per apostolica scripta committimus, quod tu & a te deputandi illos ex personis ecclesiasticis supra dictis, prouinciarum, ciuitatum & diocesium prædictarum, quos ex defectu non factæ solutionis huiusmodi excommunicationis sententiam incurrere contigerit, ab eisdem sententiis post satisfactionem debitam absolueri, & cum eis super irregularitate, si qua forte sint ligati celebrando diuina, aut immiscendo se illis, non tamen in contemptum clauium, contraxerint, auctoritate nostra valeas & valeant dispensare. Personas etiam ad taxationem huiusmodi de terris idoneas eligendas & deputandas plenam tibi tenore earundem literarum facultatem concedentes. Datum Ferrariæ anno incarnationis dominicæ millesimo quadringentesimo trigesimo octauo, sexto Nonas Octobris, pontificatus nostri anno octauo.

NOTÆ

NOTÆ AD PRIMAM COLLATIONEM.

¹ *Retulimus.*] Hoc opus Andreae de sancta Cruce, de quo iterum mentionem facit infra collatione 12. & 22. num. 9. adhuc desideratur: sed ex actis quæ in prima huius operis parte retulimus ex bibliotheca Vaticana, sufficiens habetur rerum gestarum notitia.

² *Curuato.*] Nec mirum. nam quod magis, & alio etiam titulo deberent Græci neoterici, non genuflectunt orantes vel adorantes, nec in ecclesia.

Mirum certe etiam in hoc eos degenerasse a sanctis patribus. Nam Daniel. cap. 6. *Tribus temporibus in die flectebat genua.* Salomon 3. Reg. 8. *Vtrumque genu orans in terra fixerat.* Et de plusquam Salomone legitur Lucæ 22. *Quod positus genibus orabat. Flecto genua mea* (dixit Paulus Ephes. 3.) *ad Deum pro vobis.* Vide plura apud Baronium tom. 1. anno 58. num. 106. Sane Canone 20. primi Concilii Nicæni prohibetur genuflexio in diebus Dominicis & Pentecostes. Idem statuitur in Canone 20. Concilii Constantinopolitani, & 91. Concilii Trullani: quæ exceptio, vt canonistæ dicunt, firmat regulam in contrarium, nimirum extra ea tempora, quibus resurrectio Domini commemoratur, genuflectendum esse: quod præsupponunt sanctus Germanus Constantinopolitanus patriarcha in theoria rerum ecclesiasticarum, & sanctus Basilius homilia 13. de baptismo hæc ait: *Quid expectas beneficio febris baptizari, quando nec poteris manus in calum tollere, nec in pedes erigi, nec genua adorando flectere?* Et ad Amphilo- chium libro de Spiritu sancto docet, in diebus Dominicis & tempore Pentecostes non genua flectendum in memoriam resurrectionis dominicæ. De reliquis vero diebus anni hæc subdit: *Quoties genua flectimus, & rursus erigimur, ipso facto ostendimus, quod ob peccatum in terram delapsi sumus, & per humanationem eius qui creauit nos, in celum reuocati sumus.* Sed & Balsamon alioquin schismaticus in commentariis supradictorum Canonum, & in Nomocanone Photii titulo 14. idem præsupponit: deque eadem genuflexione mentionem facit Cabasilas in expositione liturgiæ capite 24. Certe sanctus Damascenus libro de hæresibus explicans nomen cuiusdam sectæ hæreticorum, sic ait: *Agonyclita sunt, qui quoties orant, genuflectere prouoluique nolunt, sed semper stantes precantur.*

³ *Simili pompa.*] Extant in valuis æneis iussu Eugenii papæ IV. in maiori porta basilicæ sancti Petri collocatis insculpta nobiliora eiusdem pontificis monumenta, inter quæ visitur & imperator vna cum despota eius fratre Constantinopoli Venetias, & inde Ferrariam ad Concilium nauigans. Cernitur & eiusdem ad summum pontificem accessus, quem genu flexo veneratur, vt hic in gratiam lectoris, & maiorem declarationem eorum quæ dicit hic Andreas, & statim infra dicit de habitu imperatoris & aliorum Græcorum, imprimi curauimus. Extant in iisdem valuis hi versus inscripti.

Sunt hæc Eugenii monumenta illustria quarti:
Excelsa hæc animi sunt monumenta sui.
Vt Græci, Armeni, Ethiopes, hic aspice ut ipsam
Romanam amplexa est gens Iacobina fidem.



⁴ *Sabinensis.*] Iordanus Sabinensis præcedit Antonium Ostiensem: antiquior enim episcopus cardinalis, siue is sit Sabinensis, siue Albanensis, siue Ostiensis, siue alius ex sex episcopis cardinalibus, decanatus dignitatem obtinet, quod Paulus IV. in sua constitutione, *Cum venerabiles*, voluit habere locum in episcopis cardinalibus præsentibus in curia, vel ex publica causa absentibus, & extra curiam per Romanum pontificem destinatis. Vide Panuinium de episcopis & titulis cardinalium paragr. *Sicut autem.*

⁵ *Interesse.*] In huius enim Synodi, in qua de vnione Græcorum agebatur, & ad quam vocatus accefferat, Ferrariæque iam aderat, conueniens & iustum erat, vt sessioni etiam interesset, ne vnio quasi eo spreto vel inuito fieri videretur. Vide hic infra notam sextam.

⁶ *Manuscriptum.*] Erat scilicet exemplar subscriptum: *Ioseph sacer patriarcha manu propria, mensè Aprilis, die scilicet nona, qua erat sessio anno 1438.*

Hoc mandatum patriarchæ non refertur a Græco scriptore, sed

ANNO
CHRISTI
1438.

longe aliud paulo post initium sub titulo *de Syno*, quod exhortationem, seu commonitorium Latine dixeris, his verbis.

In nomine sanctæ, vitæque principii Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti, duæ Christianorum partes, Italarum scilicet & Græcorum, hodie communi consensu conuenerunt ad indicendam sacrosanctam œcumenicam Synodum. Et ex vna quidem parte sancti patres orientalis ecclesiæ, videlicet serenissimus imperator Ioannes Paleologus, & patriarcha dominus Ioseph, & archiepiscopi, & cruce signati, & primarii orientalis ecclesiæ sacerdotes, diaconi, eiusque vniuersus clerus.

Ex altera vero similiter Italarum parte tota sancta occidentalis Romana ecclesiæ, scilicet beatus papa cum vniuerso suo sacerdotali ordine. Consentimus, & contenti hoc sumus, vt sancta & œcumenica hæc Synodus celebretur in hac vrbe Ferraria in templo sancti magnique martyris Georgii, quod situm est in hac media vrbe: & indicimus, & spatium damus, quod ab hoc tempore, anno scilicet 1438. die nona mensis Aprilis indicationis prima sumatur ad menses quatuor, & in omnibus locis & regnis Christianorum notum sit omnibus, atque omnes conueniant, reliqui etiam Basileensis Concilii, qui que Roma sunt, & omnis Christianus, qui que aduenire voluerit, veniat ad tempus constitutum.

Quod si quis despexerit, aut aspernatus fuerit hanc sanctam Synodum, neque aduenierit vsque ad præfinitum tempus, vt excommunicationi subiacet, nisi amplexus fuerit quæcumque ab hac legitima Synodo fuerint decreta. Et si quis piam eminenti sit statu, aut doctor, aut ecclesiastico fungatur officio, dicimus, mittendam esse ab eo suam confessionem, aut vicarium, si nequeat ipse venire; vtque approbet atque recipiat quæcumque sancta Synodus decernit.

Quod si reiecerit, vt diximus, sit excommunicationis censura percussus. Idem de magnis principibus & ducibus, aliisque locorum dominis dicimus, ipsos etiam debere conuenire, mandato papæ & imperatoris & Synodi obediens, vel certe & ipsos eadem similiter scribere.

Si vero iidem reges & principes alibi voluerint Synodum celebrari, vt de eo quod potius sit, deliberent, atque id sit in Synodi potestate vsque ad tempus præstitutum.

Hoc lecto, iusserunt etiam beatissimi papæ decretum pro ambone recitari. Hæc ille.

Subdit deinde summi pontificis decretum, vt hic etiam Andreas, nonnullis tamen additis & mutatis, vt statim dicam.

Sistendum est enim hic paulisper, & diligenter considerandum, quod omnino videtur necessarium fuisse lectum mandatum, quod ponit Andreas, vt tam proprio, quam ipsius patriarchæ absentis nomine, reliqui episcopi orientales decreto papæ consentirent, vt hic nota 4. & 6. dicimus.

Quod vero hæc exhortatio, seu commonitorium, quod ponit Græcus scriptor, omisso mandato ab Andrea relato fuerit lectum, nullo modo credibile apparet.

In primis enim ipsa Synodus huiusmodi commonitorium non permisisset legi & publicari nomine patriarchæ, etiam Synodo ap-
Concil. Tom. 33. R ij

probante, sed ipsa vniuersalis Synodus id ipsum suo proprio nomine edixisset, decreuisset & mandasset, vt moris est, & apparet in decretis omnium generalium Synodorum.

Secundo, nec summus pontifex id permisisset non solum patriarchæ, sed nec ipsi generali Synodo. Vt enim sapienter & eruditissime obseruat Turrecremata de potestate papæ ad primum articulum, & in decreto huius Concilii Florentini: *In Conciliis generalibus, in quibus pontifex maximus personaliter præsidet, siue diffinitiones fiant in materia fidei, siue schismatis, siue reformationis, soli summi pontifices in signum auctoritatis & potestatis, auctoritate propria statuisse & diffinisse leguntur eodem approbante Concilio, vt ipsorum Conciliorum gesta in decretalibus, Clementinis & Extrauagantibus clarissima luce demonstrant: quod etiam obseruatum fuisse apparet in Concilio Constantiensi, in quo ante electionem Martini papæ V. factam in eodem Concilio, omnes diffinitiones factæ leguntur nomine Concilii: summi autem pontificis electione secuta, ipsoque presidente, omnes subsequentes diffinitiones a sessione 42. factæ leguntur nomine ipsius papæ, approbante Concilio.* Hæc Turrecremata. Id ipsum legitur in hoc eodem Concilio in decreto papæ, quod statim subdunt Andreas & Græcus, & in diffinitionibus pro Græcis, Armenis, Iacobinis, & aliis nationibus infra recensendis: quod tamen Basileenses non obseruarunt. Nam etiam post electionem pseudopapæ Felicis in eorum Concilio præidentis, omnia decreta facta leguntur nomine Concilii; & merito. nec enim ille papa, nec ipsum Concilium, nec decreta vllius sunt roboris.

Tertio, nec etiam coram Græcis patribus huiusmodi communitorium lectum fuisse verisimile est. Ipsi enim sprete Basileensi Synodo summi pontificis auctoritate freti, translationem Basilea, & indictionem Ferrariæ promulgatam legitimam, vt par erat, existimantes, Ferrariam accesserunt: multoque minus hæc eadem Iosephum patriarcham alioqui religiosissimum meditatam fuisse credendum est, cuius morientis, ipso Græco scriptore testante sessione 25. hæc fuit postrema sententia, mentisque testatio: *Quoniam ad finem vitæ meæ perueni soluturus iam commune debitum, Dei gratia, scribo & subscribo sententiam meam vniuersitati meorum filiorum. Omnia igitur quæ sentit & quæ dogmatizat catholica & apostolica ecclesia Domini nostri Iesu Christi senioris Romæ, ipse quoque sentio, & iis me acquiescentem do & dico. Profiteor quoque beatissimum patrem patrum maximum pontificem, & vicarium Domini nostri Iesu Christi antiquæ Romæ papam, ad certam omnium fidem.* Hæc patriarcha.

Quarto, si summi pontificis decretum, quo declarabatur, Synodum esse Ferrariæ legitime congregatam, (consentientibus qui iam aduenerant Græcis patribus) in ea sessione illico promulgandum erat, quid opus erat promulgatione antecedentis alterius etiam decreti patriarchæ de eadem re, in eadem sessione? Nam si hoc decretum patriarchæ erat idem cum illo pontificis, apparuisset superfluum: si vero contrarium, apparuisset nullum. Quod si supplebat quæ deerant, illud pontificis apparuisset deficiens & impræmeditatum.

ANNO
CHRISTI
1458.

Quinto, discrepare etiam videtur a decreto papæ, quod in eadem sessione illico promulgatum est. Nam pontifex ipse præfens decernit & declarat, consentientibus reliquis, vt diximus, Synodum vniuersalem esse in Ferrariensi ciuitate, legitime scilicet congregatam, vt pote a se prius Basilea translata, & Ferrariæ indictam, imo etiam ante aduentum ipsius papæ a Nicolao tituli sanctæ Crucis presbytero cardinali, apostolicæ sedis legato, eiusdem sedis auctoritate canonice sessionibus publicis inchoatam & celebratam, atque iterum ab eodem summo pontifice ante aduentum Græcorum in ea præsidente confirmatam, vt in prima parte huius operis apparet: cui indictioni, inchoationi & confirmationi in suo præfenti decreto insistit Eugenius, accedente nouo consensu patrum Græcorum: *Decernimus, inquit, & declaramus, accedente consensu imperatoris, & patriarchæ, omniumque in præfenti Synodo existentium, sacram esse vniuersalem æcumenicam Synodum in hac Ferrariensi ciuitate*: legitime scilicet congregatam. vt enim hic ait Andreas, *hinc inde tractatibus habitis conuenere, vt in ecclesia cathedrali conuenientibus Latinis & Græcis declararetur, per summum pontificem Concilium æcumenicum ibidem esse legitime congregatum.* Hæc Andreas.

Quamuis vsque ad mensem Octobris non sint publice disputationes habitæ, sed priuatis conuentibus præludia in medium sint deducta, vt idem ait: quod etiam magis expressit Eugenius papa in literis apostolicis incipientibus, *Dudum Basileensis*, infra hac eadem collatione num. 3. recensendis his verbis: *In qua quidem ciuitate Ferrariensi die IX. Aprilis consentientibus ipsis Græcis esse æcumenicum Concilium legitime congregatum, in sessione publica sollemniter declarauimus.* Hæc Eugenius. Patriarcha vero in hoc suo cõmonitorio post spatium quatuor mensium indicit, edicit, promulgat, Synodum (hæc enim omnia significat verbum Græcum *ἀνακρῦσαι*, initio commonitorii positum) quasi translatio de Basilea & indictio Ferrariæ, imo & inchoatio prius legati, & postea ipsius papæ, ac posteriores confirmationes sufficientes non fuerint, id ipsum est quod aperte subditur in commonitorio illis verbis: *Si vero reges & principes alibi voluerint Synodum celebrari, de eo quod potius est deliberent, idque sit in Synodi potestate.* Verum hoc illud est, quod & Basileenses pontificis auctoritati oblatrantes, aduersus Eugenium exaggerasse constat, conquecentes, vt videre est in actis eiusdem Concilii, & testatur Augustinus Patritius, vt in fine tertiæ partis huius operis: *Eugenium papam propria auctoritate ad eneruationem auctoritatis Concilii, vt ostenderet se summum imperium habere supra Concilium, illud de loco in locum pro suo arbitratu transtulisse.* Hæc Patritius.

Sexto, magnam etiam & inuerisimilem habet rerum & verborum hoc patriarchæ commonitorium redundantiam. Nam vltra ea quæ diximus, plura etiam poterit sapiens lector animaduertere, quorum aliqua satis erit indicasse. Si enim papa, & cum eo Romana curia præfentes aderant, quid opus erat, eos etiam qui Romæ erant, in specie conuocare tamquam absentes?

Septimo conuocantur etiam in hoc commonitorio *doctores vel sapientes, & illi qui sunt in aliquo officio ecclesiastico. Quod si nequeant accedere ad generale Concilium, mittant suam confessionem, vel vicarium.* Hæc autem ultra personalem huiusmodi hominum industriam ad disputandum & consulendum, præ se ferunt etiam ius ad decidendum: *In quo magna est cum cautela procedendum, ne (vt ait Turrecremata de ecclesia lib. 3. cap. 14.) ex consuetudine pretendant ius habere in diffinitionibus vniuersalis Concilii, ex quo plura inconuenientia sequi possent.*

Primum est, quia frequenter contingeret, vt iudicium vniuersalis ecclesie ad vota inferiorum reuolueretur. & subdit: Intelleximus, cum in Basileensi Concilio fuimus, quosdam nouellos magistros ad hoc summa violentia intendere, cognoscentes, quod admissis nouellis doctrinis eorum, de auctoritate Conciliorum & admissione inferiorum ad voces diffinitiuas, maior pars ecclesie esset semper apud eos, quotiescumque celebrarentur vniuersalia Concilia: a quo periculo dignetur ecclesiam suam sanctam Dominus custodire.

Secundum inconueniens quod sequeretur, si alii quam episcopi admitterentur in multitudine ad voces diffinitiuas, est, quia esset in potestate vnus principis, in cuius terra celebratur Concilium, diffinire quidquid vellet in Concilio, siue aduersus papam, cum mittere posset tot doctores, magistros & abbates & presbyteros curatos, qui supergrederentur multitudinem episcoporum. practicam hanc sacrilegam dolenter oculis nostris aspeximus in Basileensi Concilio. Hæc Turrecremata, qui vtrique Concilio, Basileensi scilicet & Florentino interfuit: cuius dicta comprobantur ex tumultu ecclesiasticorum in Basileensi Concilio supra relato ex Augustino Patritio in prima parte huius operis paulo post initium.

Octauo, quibusnam aliquando in actibus generalium Synodorum lectum est, ante decretorum & Canonum confectionem & promulgationem, latam esse excommunicationem latæ sententiæ contra inobedientes & non recipientes futura decreta, vt fit in hoc commonitorio?

*Nono, quamuis hac in sessione qua lecta sunt decreta, narretur in Græco codice, patriarcham edito in folio sedisse, non ita multo post subiicitur, eundem cum ægrotaret in Synodum non venisse: quod & Andreas testatur. Si ergo præsens non aderat, qua tandem ratione hoc in edicto, veluti coram extans, recensetur, atque vna simul cum pontifice, quique aderant ceteris, indicit Synodum? Et hic etiam ad insinuandam præsentiam patriarchæ fit alia mutatio in Græco codice verborum decreti Eugenii. nam apud Andream sic legitur: *Decernimus & declaramus, accedente consensu dictorum imperatoris & patriarchæ, omniumque in presenti existentium Synodo.* At vero in Græco codice: *Decernimus & declaramus, consentientibus dictis imperatore & patriarcha, qui præsentibus hic sunt, & omnibus qui ad hanc Synodum conuenere.**

Ex quibus apparet huiusmodi exhortationem, seu commonito-

ANNO
CHRISTI
1438.

rium patriarchæ, omisso eiusdem legitimo mandato ab Andrea relato, ad instar decreti summi pontificis, in non concupitam gratiam vllius sanæ mentis patriarchæ a quopiam mediatum.

Obseruandum autem, quod præfata constitutio Eugenii e Græco in Latinum translata sic se habet: *Decernimus & declaramus.* & infra, *Sacram œcumenicam Synodum esse in hac vrbe Ferraria libero tutoque loco celebrandam.* At vero in textu non solum Andree, sed etiam Græci scriptoris non adest hoc futurum, *celebrandam*, quod æquiuocum est ad celebrationem inchoatiuam, vel continuatiuam: sed sic apud vtrumque legitur: *Decernimus & declaramus;* & infra, *sacram œcumenicam Synodum esse in hac vrbe Ferraria:* vel vt habet Andreas, *in hac Ferrariensi ciuitate.* mens enim & sensus constitutionis est, non solum in futurum sacram Synodum celebrandam fore, sed iam esse, scilicet legitime congregatam, inchoatam & celebratam Synodum, vt supra euidenter probatum est. Quapropter futurum illud, *celebrandam*, expungendum esset e translatione Latina e regione textus Græci posita. Moderna autem textus Græci in Latinum Ioannis Matthæi Caryophili translatio secuta est in hac parte translationem antiquiorem Abrami Cretensis, ex quo hanc constitutionem desumpsit, vt patet legenti, Laertius Cherubinus, & inseruit in suo bullario Romano sub Eugenio IV. bulla XI. de quibus translationibus Caryophili & Abrami Cretensis satis diximus in præfatione operis.

⁷ *Accedente.*] Memineris lector id factum de more omnium Conciliorum, vt patrum requiratur consensus, qua de re Græcos inter & Latinos tractatum fuerat, vt paulo supra dixit Andreas.

COLLATIO SECVNDA.

DIE IX. OCTOBRIS.

Eliguntur disputatores pro Latinis & Græcis. Orant in Concilio Nicænus & Colossensis. Ephesinus proponit, non potuisse addi symbolo verbum, Filioque.

AND. **N**ONA die Octobris, vt publicæ disputationes fierent, est conuentum, & simili ritu & ordine, quo in cathedrali ecclesia retuli. Ordinatis sedibus in maiori capella palatii apostolici, conuenerunt summus pontifex vna cum venerabili Latinorum caterua, ac imperator & patriarcha cum Græcorum comitiua.

LVD. Rem quidem dictu audituque mirabilem audio, causam fidei in contentionem deduci, quæ quidem nec omnium qui huic conuentui præsentis fuerant, communi consensu poterat mutationem suscipere. Sed de his alias verbum faciam, an iure factum sit, vt ad fidei parem disputationem admissum sit Græcos venire, cum solum vt do-

* Christus
Deus & homo
dixit in quan-
tum homo
Petto, Ro-
gavi pro te,
ut non deficiat
fides tua. Lu-
ca 22.

gmata nostra suscipere, instructionesve fideles, quas docet & tenet vniuersalis Romana ecclesia, quæ nullius hæresis contagione vnquam aspersa est, nec labefactari permittitur, & Dei verbo, qui pro ea semper indefesse ^a orare professus est, tantummodo forte fuerant conuiuandi. sed de his nunc verbum non fiat. Dic rogo, quorum organis res tam grandes in medium prolatae sunt. Scio oportuisse, certos fuisse dispositos (prout ex tuis verbis factum fuisse percepi) qui onus hinc inde disputationis suscipere. In hoc namque est intellectualium rerum præstantia, quod corporalibus certaminibus omnium corpora adiumento sunt. Intellectualibus vero paucitas, præstantium tamen animi vigore, ac elegantia virorum venerabilium.

AND. Dixi ^a, sex hinc inde fuisse dispositos.

LVD. Ex nostris qui?

AND. Reuerendissimus dominus cardinalis sanctæ Sabinae, sancti Angeli cognominatus; dominus archiepiscopus ^a Colossensis ordinis Prædicatorum, dominus episcopus ^a Foroliuiensis ordinis Minorum, dominus ^a prouincialis Lombardiae ordinis Prædicatorum, dominus Petrus Perquerii magister in sacra pagina ordinis Minorum, & dominus Ioannes de sancto Thoma ordinis Eremitarum.

LVD. Ex Græcis vero?

AND. Dominus Marcus archiepiscopus Ephesinus, dominus metropolita Russiæ, dominus archiepiscopus Nicænus ætate iuuenis, sed doctrina & grauitate venerabilis; quidam sæcularis, & duo cruciferi sanctæ Sophiæ, quos cardinales vocant.

LVD. De metropolita Russiæ nunc primum audio, cur hætenus de eo verbum habitum non est?

AND. Nequiuu quidem in patriarchæ aduentu, cum secum non venerit: sed cum magno equitum apparatu ex Poloniae partibus magnis cum sumptibus per terram venit, de mense Augusti Ferrariam ingressus est: sicque nequiuimus pertinenter hætenus de eo facere verbum.

LVD. O fidei sanctitas, ac inexolubile vnitatis vinculum, quæ tanta terrarum diuersitate distantes in vnum congregat & ligat! Sed eo mirari non desino, quod cum Græcorum gentes Turcarum incurfibus sint oppressæ, valeant tantis satisfecisse sumptibus.

AND.

ANNO
CHRISTI
1438.

AND. Mirari desinas, cum summus pontifex ex proprio Romanæ ecclesiæ sumptu, introitibusve eos conduxerit, sumptusve quamdiu his in rebus cum caritate manserint, facere pollicitus, id factò executus sit.

LVD. Quo ordine hæc colluctatio cœpta est?

AND. Duobus sedilibus in capellæ medio versus altare, nostris sex in oppositum, sex Græcis suo ordine assidentibus, vnus ex Græcis Nicænus Græco sermone, demumve per interpretem in Latinum translatis his verbis exoratus est.

SERMO DOMINI ARCHIEPISCOPI
NICÆNI.

NON modo fines maximarum rerum, cum ad vota processerint, eos solent oblectare, qui pro ipsis elaborarunt, verum etiam nihilo minus ipsa principia quando adsunt. Principium enim & in omnibus aliis plurimum valere necesse est, cum sapientum communi sententia, totius dimidium appelletur. Est enim longe facilius principio dato ad finem proficisci, quam illud aliquo modo tangere, si otiosi volumus esse. Maxime autem in diuino præsentis opere plurimum posse sperandum est: & quod ad bonum id tendat finem, nos censere oportet, tum confisos diuinæ promissioni, qua datur sperare, in medio nostri Deum nos habituros, quo præsentis, nil omnino est desperandum: tum etiam id quod iam factum est, magnum existimantes argumentum & coniecturam rerum futurarum. Tantum enim iam temporis membra ecclesiæ inter se fuerunt diuisa, vt nedum conuenire non paterentur, verum & ipso auditu id permolestè ferebant. Nunc autem tantum vtrisque promptitudinis impensum fuit, vt cum multa impediencia fuerint, omnibus tamen superatis, aduentum sit, vnde per rectum ad vnionem tenditur. Hoc quisnam diuinæ non adscribat potestati, & consequenter faustum de omnibus ponat omen? Dies enim hodiernus, dies lætitiæ est, & licet nos exultare spiritu gaudentes. Præclara sane sunt exordia præclarissimarum conclusionum, magnæque primitiæ maximorum fructuum. Machinationes inimici, & quæ aduersus nos contexit dolum, cum vt adinuicem pugnaremus prouocauit

Extas Græce
& Latine
rom. 32.
Concil. pag.
36. alterius
translationis.

* Græcus scriptor: sic Facilius est peruenire ad finem ordiendi, quàm ordiri prius concordie indulgendo.

Concil. Tom. 33.

S

nos amicos & fratres, imo eiusdem capitis membra & partes, & vnus pastoris ouile, defluere iam incipiunt, euanescereque ac dissolui, ita quod ad vnionem eandem properent quæ distabant, & ad coniunctionem quæ distabant, cum vtrique sub eodem angulo contineri quam maxime velint & optent. Conuenerunt equidem ambo cum pari intentione atque eodem proposito, quod nullatenus permittatur, vt vincere, seu vinci omnino quærat. Non enim esset hoc discipulorum Christi, nec moderatorum virorum, at quorundam contentiosorum, & illorum, qui omnia vellent arrogare sibi, ac propriis voluntatibus: at qui veritatem dumtaxat cupiunt inuenire, cum qua vinci etiam paterentur, & absque qua vincere quidem expellendum putarent. Quamobrem veritatem clarescere necesse est, ac illis prorsus sedatis, quæ fuere impedimento, omnibus dominari: falsum vero longe debet explodi, quod cum filiis mendacii collatum, illis etiam dominetur, qui patrem mendacii plurimi ducunt, & illo duce omnia & agunt & dicunt. Quidnam diceret quis huic rei condignum? quid denique præconiis poneret simile? Omnes igitur gaudeamus spiritu, cunctis sit curæ de Saluatoris laudibus, gratias agentibus ei de rebus iam effectis, vt finem videre possimus, qui sit huiusmodi principiis congruus. Præterea offerat vnusquisque nostrum omnia quæ sibi sunt possibilis, & quæ deducunt ad finem & sacram vnionem Christianorum. Omnia sunt nobis agenda, cuncta tentanda, in nullo deficientibus vel studii vel promptitudinis, vel certaminum, vel laboris. Simus memores, quod non solum orare oportet, sed etiam nos ipsos obsequi Deo. Non enim omnia sunt speranda a summa potentia, dum ipsi nihil agamus. Esset hoc profecto contrarium illis, de quibus oramus, si auxiliatorem precamur habere Deum, dum ipsi nihil facultatis nostræ adhibeamus, quod sit operæ precium, & quo Deus nobis opituletur. Tali namque modo eundem habebimus nobis suffragantem, atque facilius & magis prospere ad finem proficiscemur. Quod quidem vtinam fiat, o Deus saluator, vt illo die astantes tibi cum plausu decantemus hymnum victoriosum atque gaudiosum, ab vno & eodem impulsu spiritu, & eandem modulationem reddentes, nec-

ANNO
CHRISTI
1438.

non eadem connexi serie, sub te & vno & eodem capite
valeamus viuere, moueri & spirare; idem sentientes,
idem profitentes, & adinuicem idem existentes. O Chri-
ste rex, vnum te super nos & eundem regem & volu-
mus & optamus, cuius precioso sanguine redempti fu-
mus, qui pro nobis venditus sub peccato, pro nostra red-
emptione te ipsum tradidisti. Fac igitur vt nos ambo v-
num tibi simus ouile; nec patiare tuos esse diuisos, nec per-
mittas illos adinuicem decertare. Quinimo noli alteros
relinquere, alteris vero opitulari: pro vtrisque namque
te ipsum tradidisti, preciosi sanguinis tui effusio ambobus
lauacrum effecta est. Commune igitur & nunc tuum auxi-
lium dona nobis, ac vtrisque te ipsum adhibe. Ad te deni-
que nos ipsos vtrosque alliciens, vnum & eundem finem
te ipsum statuens, vt alterno connexu & mutua affectione
iungamur: nec permittas incisos nos esse, & abinuicem dis-
fidentes, vt proinde necessario alteri a fine proposito deci-
dant. Spiritus sancte, qui es gratiarum fons, spiritus sapien-
tiæ, spiritus intellectus, spiritus timoris Dei, pro quo &
cum quo hoc propositum certamen ecclesiis est, expellas a
nobis omnem cogitationem superbam, timorem autem
Dei nostris omnino inferas animabus, intellectum & sa-
pientiam nobis largire; & vna nobiscum certamen istud
peragens, quod pro te agitur, declares omnibus veritatem,
cum non solum spiritus veritatis sis & voceris, verum *Ioan. 16.*
etiam quod omnem veritatem nos doceamur, opus tuum
sit, iuxta vocem illam veritatis veram & irrecusabilem. O
Deus Trinitas, quæ omnia produxisti rationibus ineffabili-
bus, & quæ cuncta contines & prouides & regis, tuum o-
pus est homo, post forsân omnia alia, super omnia tamen
visibilia constitutus. Habuit etenim principium hoc, & vt
opinor, regium, vt præparatis iam bonis ad vitam ingrede-
retur: de quibus rebus, corporalibus scilicet & præfenti
conducentibus vitæ, pluries, imo semper illi prouidus es.
Nec vero minus de illis, quæ ad statum & ad perfectionem
respiciunt animæ, cuius proprium bonum veritas est, & vt
non erret circa opportuna, cum hoc sit omnibus quæ ha-
bemus & habituri sumus, melius & magis diuinum: hoc
quidem impræfentiarum largiari nobis & tribuas, vt ipsa
veritas nobiscum sit, & illam comparentem nos ample-

Et amur, data nobis venia, si quid in eadem inuiti erremus, & praesertim in rationibus quae de te sunt; cum non modo tu ipse inuestigabilis & inscrutabilis sis, verum etiam multa de tuis creaturis, quamuis tenues sint, tuae diuinae imaginis resonantiae & quasi umbræ atque simulacra. Annuas igitur deprecantibus nobis, & viam illam, te duce, sequentibus, quae ad te solum verum Deum perducit; quemadmodum denique tu, cum trinus sis in personis, vnam tamen & eandem saluas substantiam & naturam, nihil huic identitati personarum obstante numero: sic etiam nos, licet simus plures & diuersarum nationum, insuper vero inimico seminatore, heu mihi, diuersae opinionis & fidei, vnum tamen & idem futuros in fide ostendas, & in opinione quae est de te, hac differentia prorsus sublata, non obstantibus nec nationum varietate, nec corporum numero, neque multitudine. At haec ita sint perorata. Vos vero quid dicitis, qui sacrum hoc Concilium constituitis, ac rerum existitis auctores? Qui multum elaborastis, multum insuper ac sapissime orastis, hunc posse diem videre, qui & rerum principium, & futurarum praenuntius sit excellentissimus. Quisnam condigne poterit vos honorare? Quis denique condecenter laudare, cum inspiciatis vestrorum laborum fructus florescere? Beatissime pater, nunc vero es perbeatus, & adhuc eris amplius, cum, Deo duce, ad finem applicabimus, quo ille nos diriget. Multa tibi parabuntur a Deo praemia, si sanctam ecclesiam vniuersam suam: maximum perficies opus, si proposueris vsque ad finem perseverare, atque cuncta e medio tollere scandala, illorum denique loco pacem inducere & concordiam. Multum adhibuisti zeli, multum sollicitudinis, plurimum vigilantiae atque curae, quo filii Christi vndique congregarentur, & ad discutiendum simul, & fraternaliter & spiritualiter ad idem conueniendum, veritate victrice. Nemo secus dicet, omnes scient haec. Ego ac omnes sumus tibi testes: at oportet te finem speculari, & ad id ordinare, providere denique, ut illa laetitia, qua in principiis afficimur, pedetentim aucta & promota circa finem multiplicetur, & ad extremum terminum proficiatur. Equidem cum haec principia sint praecleara, & huiusmodi primordia, cogita exinde qualis futurus sit finis talibus

ANNO
CHRISTI
1438.

conueniens principiis. Quantum ille consequetur gloriae atque laudis, quantum bonae famae, quantum coronarum, qui tot iam causas disposuit rerum, totque ulterius est positurus. Habes ad hoc cooperatorem & sequentem filium tuum imperatorem piissimum, serenissimum, & Christi amatorem, qui cum multa sint ea quibus semetipsum ornavit, praecipuum illud habet, zelum pro Deo, & pro bono ac pietate feruentiam: qui coetaneum habens sibi factum huius sanctae ecclesiarum unionis desiderium, nunquam defecit, quin diligenter perscrutaretur tempora quae ad hoc conducerent: quibus tandem sapientia cognitis & inuentis, ac peropportune raptis, ad hoc promouit rem, ut videtur. Is cum ad unum hoc bonum niteretur, hoc denique desiderio totus afficeretur, contempsit pericula, despexit delicias & quietem, vilipendit tantum mare & fluctus tamquam montes tumescentes, parui duxit praeterea corpus & vitam & patriam, ut efficeretur Christi cooperator, & pacem ecclesiae largiretur, cuius non modo esse alumnus, sed & protector & studet & pollicetur. Non deficiet praeterea & pari promptitudine sacer is & venerabilis patriarcha, qui licet senectutem videatur habere profundam, & fessus sit ratione corporis, locupletatur tamen anima omnibus bonis iuuenescente, ac spiritu feruente, qui permultum appetit, nimiumque peroptat dignus iudicari ad huiusce operis ministerium. Quamobrem gaudet praesentibus rebus, & corporis amplectitur vitam, ut finem imponat bonum huic diuino operi, sine quo profecto molestaretur ex corpore iamdiu fesso. Omnes tecum operabuntur in hac intentione. In hoc praesenti certamine nullus est, qui aliud quidpiam cupiat potius hoc peroptato fine. Ad hoc omnes intuemur, huius vehemens amor omnium inflammat animos: propter hoc ex longinquo omnes conuenimus; propter hoc ex longinquo in aliena terra commoramur, homines quorum partim e medio ipsius Graeciae, partim ex septemtrionalibus ac orientalibus orbis terrarum partibus ad ipsam Italiam nauigauimus. Non igitur tantam diligentiam superet inimicus noster, o Deus saluator, non euanescat tanta nostra, cum tot simus, ita diuturna, ita multis laboribus & studio perpetrata congregatio. Non hoc virorum est sapientum

rationes scientium ponderare iudicio: aliis irruat inimicus, super aliis gaudeat & vincat. Nos autem nec attingat: armis spiritualibus armemur, nos ipsi hostem expugnaturi, suscipiamus lorica[m] iustitiæ & galeam spiritus, & verbo Dei auctore inuadamus hostes: requiescamus denique quo ipsum nos ducet. Omnem altitudinem deponamus, quæ aduersus gloriam extollitur Dei, omnemque cogitationem superbam & vanagloriosam eradice[m]us, humilitate vsi, & Dei timore suffragante nobis in hoc certamine: illum ante oculos ponamus, & ad illum applicare conemur. Velimus etiam nonnunquam potius bene vinci, quam male in omnibus vincere; cum non solum ratio boni saluetur in superando, licet secum etiam habeat veritatem: verum etiam possumus & bene vinci, in eodem statu^a bono manente, ac pariter victoriam indicante. Imo posset quispiam dicere, maius esse bonum hoc extremum, quam primum, cum conducibilius sit vnicuique bonum potius pati, quam aliis facere; & magis audire, quam dicere; ac errore liberari, quam liberare. Excellentissime imperator, & tu sanctissime patriarcha, ad ipsum punctum res deuenere, & quod iamdiu desiderabatis, ecce adest. Date iam gloriam Deo, reddite laudem ipsi; illius hoc opus: ille namque vobis in animo hoc posuit, ille tantum amoris indidit, illo denique auctore ad id ventum est. Siquidem vere gratias dignas de præteritis ipsi agemus, pro futuris autem toto supplicabimus corde; debitum persoluemus nostrum, & proposito operi propterea magis propitium habebimus Deum, si nos ostendamus dignos supplicationum nostrarum, & de præteritis non ingrati fuerimus, nos ipsos & totum negotium ad ipsum referamus, omnem spem cogitationemque nostram in ipso collocantes; cum ipse sit qui nos alet cibo diuino atque cælesti, sine quo homo non viuet. Sicuti denique omnia peregrimus hucusque tum in supplicando Deo, & ipsius auxilium implorando, tum etiam ea faciendo quæ erant facienda: ita deinceps etiam, multoque magis quanto propinquamus ad finem, nobis ipsis promptiores efficiamur, Deum aduocantes diu, noctuque minime cessantes, quousque ad bonum deueniamus finem, & nostrarum sollicitudinum quietem inueniamus. Ea quæ violen-

^a id est, bene
vinci est etiam
status bonus,
& indicans
victoriam.

ANNO
CHRISTI
1458.

ter aliquo ducuntur, quæque instinctum motus extrinsecus habent, lentius mouentur, cum veniunt prope finem: at quæ natura intrinsecus mouentur, velocius, cum ad finem propinquant. Vos vero cum intrinsecus & quasi ex natura moueamini ad bona, quorum summa præfens negotium est, cauete, ne primum patiamini, sed cum mox consequi cupiatis proprium finem. Bonus etenim finis proprius est viris optimis in optimis rebus. Ideoque vos ipsos, nosque omnes promptiores facite, tum exhortando, tum etiam iubendo omnibus: beatissimum vero patrem, si quando senectute fessus ætati vel infirmitati cesserit, compatimini & exsuscitate, cum verbis exhortatoriis, tum operibus ipsis; vosque ipsos omnibus efficaces exhibete. Verebitur certe imperatorem exhortantem, & rebus accuratius tractandis vna nobiscum ac reuerendissimis sanctæ Romanæ ecclesiæ prælatis, omnibusque aliis, bonum, Deo duce, imponet finem. Quod quidem vtinam fiat, vt hoc omnium oculis viso, cunctisque perfectiori lætitia fretis, ac spirituali gaudio sincerius repletis, ad beatissimi patris, tuique sancti imperii laudem prouocemur; & cum plausu denique exultantes, huic sanctissimo patriarchæ, & huic sacrosancto vniuerso cœtui, post debitum Deo hymnum, communem vobis laudis construamus coronam. Vtinam dederitis mihi hoc extremum certamen: vtinam communem vobis laudem explicem, vtinam honoraretis me per hunc modum: vtinam elaborem in hoc nouissimo certamine: & dum sub vno & eodem Dei verbo & domino fuerimus, vno & eodem etiam sermone vos coniunctim laudem, & retribuam vobis ex quibus teneor, illud quod potero in Christo Deo, cui decet gloria in sæcula sæculorum. Amen.

AND. His expositis, illico reuerendissimus dominus Colossensis impræmeditatus his verbis exorsus est: ^a Voluisssem pontifex maxime, eo animo nunc me coram sanctitate tua venisse, vt iis quæ reuerendissimus pater metropolitæ Nicæni in hac sua ornatissima atque grauissima oratione attigit, verbis accommodatis responderem. Non quod aliquid ipse omiserit, quod ego suffecturus venirem, sed quæ ipse de dignitate atque de vtilitate vniouis acutissime perorauit, aliis verbis etiam ipse proba-

^a Hic incipit
secunda sessio
penes Gre-
cum scripto-
rem.

rem: cum tanta sit vnionis & pacis excellentia, & præfer-
tim in ea parte quæ ad religionem pertinet, vt nullum sit
acumen ingenii, nulla orationis copia, quæ huius virtutis
dignitatem satis describere possit. Sed cum de aliis rebus
disputaturus accesserim, quæ hoc genus argumentandi
non patiuntur, ideo impræsentiarum de illis disputare non
statuo; præsertim cum in hac angustia temporis satis a-
pte vtrumque fieri non possit. Illud tamen, pater sanctissi-
me, silere minime possum. Nam cum in ceteris officiis
quæ ad pontificem optimum maximum attinent, gloriosis-
simum nomen assecutus sis, in hoc piissimo opere te etiam
superasti. Nemo superiorum pontificum est, qui in hoc
tam sacro negotio habeat tecum conferri. Illi enim vel
singulis prouinciis prima rudimenta religionis dederant,
vel literis multos populos nationesque docebant. Tu le-
ctissimos quosque orientalium nationum, Græcos, Ru-
thenos, Iberos, Valachos, & alios qui Pontum & Asiam
incolunt, tua eximia sapientia, religione, cura, sumptibus,
triemibusque tuis ad tuam præsentiam conduxisti. Egisti
hac tua præstantissima sapientia, vt œcumenicam Syno-
dum in Italia conuocares, ad quam hic serenissimus im-
perator & ille reuerendissimus pater patriarcha Constan-
tinopolitanus libentissime accesserunt. Hi enim cum de
clarissima fama tuæ sanctitatis, atque diuinis tuis operibus
ad tuam venerationem pridem fuissent inflammati, vo-
luerunt, quem prius summa obseruatione coluerant, co-
ram quoque videre. Quod quanto desiderio fecerint, ex
his manifeste intelligi potest, vt hic gloriosissimus prin-
ceps, dimisso imperio inter falces (vt sic dixerim) infide-
lium, spretisque voluptatibus regis, ceterisque deliciis,
quibus summi principes oblectari solent, hanc longam pe-
grinationem cum vitæ & fortunæ suæ periculo ingres-
sus est. Illum etiam venerandissimum præfulem nec gran-
dis ætas, nec corpus ægritudine longa defessum detrahe-
re potuerunt, quo minus per tot discrimina rerum ad
tuam præsentiam festinasset. Hi etiam vtriusque ordinis
clarissimi patres, omnibus suis, etiam percarissimis, lon-
ge posthabitis, ad te solum & vnum venerandum acces-
serunt. Dubitare enim non poterant, quo minus tantus
feruor, tanta cura, tantum denique studium pro hac san-
ctissima

ANNO
CHRISTI
1438.

Etissima vnione conficienda, tanta denique impensarum largitio ad optatum vtriusque gentis desiderium non deducere. Habet hæc nostra ætas inauditum quoddam admirabileque negotium, vt qui tot annorum curriculis nomen Latinum atque religionem abhorrebant, iam ad conciliationem vnionemque festinent: nec huius admirabilis operis, post Deum, alium auctorem quam tuam sanctitatem esse intelligunt. Te magnificentissimum benefactorem, te pastorem piissimum, te vere successorem Petri existimant. In te omnia ornamenta virtutum, quæ ad pontificem maximum attinent, vno ore fatentur. Perge igitur, pater sanctissime, vt cœpisti, & rem tam sacram in finem vsque perducito. Hoc enim modo ouile Christi, quod tot iam currentibus annis dispersum fuerat, reficies, & oves Domini errantes ad pastorem reduces. Cumque vltimus ille venerit dies, tot gentium ac nationum meritis ampliatus, illi tot humanos spiritus saluos offeres, cuius in terris officio functus, tam admirabile opus facere studuisti. Et hæc quidem, pater beatissime, ex impræparato vt cumque dicta suscipere digneris. Ego autem benedictione tua suscepta, ad illum reuerendissimum patrem iam faciem verto, auditurus de eo, quod ipse additionem nominat, quid dicere velit.

AND. Quibus expositis, optio data est Græcis, proponentium, seu respondentium partes vellent suscipere. Proponentium electis partibus, Ephesinus ex sex deputatis sic inquit. Cum intentionis

LVD. Parumper, oro, vt audias. Quo pacto hæc in Latinum scribis? ane Latinis verbis proposita sunt?

AND. Audias rem auditu mirabilem. Nam vni cui-dam Nicolao natione Græco onus iniunctum est, qui res tam grandes Græco sermone per Græcorum patres expositas, verbis Latinis, & quidem grauibus & facundia plenis illico proferebat, a sensu & sententia in nullo diuertens: quod difficillimum in traductione ab omnibus iudicabatur: pariterque Latina lingua per nostros exposita, in Græcum conuenientissime referebat. Aderant ex Latinis plurimi, qui Græcis literis eruditi, de fida translatione iudicium dabant: omnium tamen iudicio impossibilitati fuisset adscriptum, tam facile esse traductionis modum de re-

Concil. Tom. 33.

T

bus maxime tam profundis; cum & Hieronymus se magna verborum extollat copia de translationibus propriis: quidamque nostris temporibus famam apud Latinos maximam vendicarunt, in certis Græcorum opusculis Latinam in linguam traductis: sed tam facili visa animi præstantia, animique vigorositate in comprehensione expositorum, multo omnibus, de quibus memoria est, videbatur hic præferendus in traducendis Græcis literis in Latinas, & Latinis in Græcas. Interfui tamen die quodam, cum per duos ex reuerendissimis dominis cardinalibus sancti Marci & sancti Angeli multipliciter collaudatus vir hic respondit: Rem hanc facilis traductionis adscribo Spiritus sancti gratiæ, cuius res agitur. Responsum quidem veritati, omnium iudicio, consonum visum est. Erat igitur vir hic scabello quodam inter concertantes disposito sedens, Latina in Græcum, & Græca in Latinum illico cuncta exponens. Græca ex Græce expositis requirant, qui Græca appetunt: nostra autem ex Latine prolatis. cuncta namque in Græcum & Latinum prolata sunt interpretis organo.

LVD. Sed quonam modo cuncta seriatim explicare disponis?

AND. Res grandes cum conspexissem, calamum sumpsi, onusque ad scribendum prolata suscipiens, id profectus sum. Referam, nulla mutata substantia, Græcorum dicta ex interpretis organo; Latinorum, ex ipsorum exponentium originali emissionem verborum.

LVD. Incipias Dei cum adiutorio, carissime frater.

AND. Faciam, tuo voto satisfaciens. Audias ex Græcis primum Ephesinum archiepiscopum.

* Hic incipit
tertia sessio pe-
nes Græcum
scriptorem.

EPHES. ^a Cum intentionis nostræ motus caritas sit, ac ut in ecclesiis Dei vnio consistat, eadem caritate procedendum est. Quare si quid asperum prolatum verbum emitti contingat, non voluntati, sed rei accommodetur. Nos inchoabimus in Dei nomine. Reuerendissimi patres quærimus, cur Romana ecclesia in symbolo quidquam addidit, contra prohibitiones patrum? Nec loquor de rei additæ differentia, sed de syllabarum adiunctione facta symbolo, patrum auctoritate terminato, sensu & literis. Hæc est nostræ disputationis intentio; hunc morem exposcimus in futurum seruari, ut quolibet disputationis ex-

ANNO
CHRISTI
1458.

ordio quæstio disputanda primitus in medium deducatur. Si tempus patitur, rem inchoemus propositam: si non, differamus ad diem alium.

AND. In præludiis ac exhortationibus multum tempus effluxerat.

COLOSS. Nos & ipsi rogamus, quod iam propositum est, ut rerum difficultatibus, non voluntati, verborum si quæ appareret asperitas, adscribatur. Hoc tamen a vobis petimus, ut clara, pura, & non dubia adinuicem responsa sint: & ad propositum dubium videretur, ut clarior esset responsio, ut daretis in scriptis.

EPHES. Postquam tempus pati arbitramini, certa circarem propositam audite. Dominus & saluator noster Iesus Christus in suæ sanctissimæ passionis ingressu hoc speciale discipulis præceptum tradidit: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* Hoc proprium suis discipulis donum extitit, vnum ab eisdem requirens, ut adinuicem caritatem seruarent. Pluribus Saluatoris nostri verbis de caritate mentionem facientibus, hoc donum pacis insinuatur caritatem habentibus, & non aliis, quasi conditionale donum, atque sub conditione relictum, cuius esse ab altero pendet: & alterius violatione violatur & alterum. Et cum hoc sit, nescimus quo pacto Romana ecclesia caritatem violans, in symbolo communi quidquam addiderit sine orientalium scitu; quod nec a patribus, nec a sanctis doctoribus, œcumenicisve Conciliis ausum fuerit attentari. Demum necessario facta est pacis violatio, ac perniciosissimum schisma, quod inter ecclesias Dei tantas calamitates detulit. Nunc vero ipsa Romana ecclesia caritatem appetens, voluit ab ipsis incipere causis, quibus expulsis, dabitur omnium infirmitatum curatio. Conuocauit nos orientalis ecclesie patres, ut causas disputaremus schismatis: occurrimus & libenter, ut caritate reperia, detur & pax adinuicem. Peto igitur primo, ut nosmet ad sensum & opinionem reducamus pari caritate & intentione, ad indubitatas & communes formas communiter approbatas. Diffinitiones antiquorum Conciliorum & formæ legantur, ut imitatores sanctissimorum patrum conspiciamur. Hoc namque & in septimo Concilio factum est, ut non prius œcumenicum approbaretur Con-

Ioan. 14.
* Pax est religiosa sub conditione caritatis. violata caritate amittitur pax.

Concil. Tom. 33.

T ij

cilium, nisi forma diffinitionibusque præcedentium Conciliorum perlectis, ex quibus sanctis patribus similes intentione videbimur, & intercessione eorum poterimus assequi optatum finem. Forma hac præmissa, procedemus ad alia.

COLOSS. Ex sapientissime per vos expositis, reuerendissimi patres, quinque collegimus, quibus, quia fidei fundamentum concernunt, non arbitramur illico respondendum. Sed ne tanta conuentio vacua hinc recedat, responsum aliquam ex me proferam. Amplectimur oblatam caritatem: & cum obiectum caritatis bonum sit, & Deus qui bonus est, primo nos dilexerit, quam concesserit caritatem; miror cur in sermonibus vestris mentio facta non sit de Dei caritate, quæ pacem præcedit. Quod secundo dicitis, Romanam ecclesiam violasse caritatem; nobis non absque admiratione est, cum tot hæresum incurfionibus in orientalibus regionibus pullulatis, Romana sancta ecclesia legatis insignibus, dogmatibus sanctis, illico remedium attulerit; Siluestro papa teste tempore Arii, Cælestino Nestorii tempore: ad quorum, ceterorumque Romanorum pontificum auctoritatem spectat, potestate Romanæ ecclesiæ Concilia congregare. Nec dicere quisquis audeat, quod illa Romana ecclesia hoc fecerit ante differentiam symboli, quia post diuersos misit oratores, ut nolent Græci ab eorum capite deuiare (& retenta protestatione, ut patiamur adinuicem verba, etsi graua videantur.) Vbi est caritas vestra, qui sæpius vocati, vestram contempsistis matrem? Approbo quod & dixisti, Romanam ecclesiam nunc etiam repetere caritatem, quod & semper fecit. Testis sit mihi ille summus pontifex, qui præest pontificio Romanæ ecclesiæ, qui summis laboribus, sumptibus & periculis ad imperatorem & patriarcham viros graues repetitis vicibus destinauit. Accedat & Gregorius in Concilio Lugdunensi, qui & pro imperatore & patriarcha propriis sumptibus destinauit. Mansit igitur, & manet apud Romanam ecclesiam caritas ipsa.

^a Scilicet prius querendum est, verum iuxta euangelium verum sit, Spiritum a Filio procedere: deinde, an licuerit addere, ut statim clarius subdit.

De legendis constitutionibus non videtur expediens ad hypothesim, siue problema propositum, cum id ex euangelio discutiendum sit: fiet tamen, papa mandante, ad nuntium vestrum.

ANNO
CHRISTII
1438.

EPHES. Etsi Romana ecclesia caritatem seruauerit, non satisfaciunt hæc quæsito. ^a Et quod legantur constitutiones, videtur esse formæ necessitas.

COLOSS. Declarabimus rem in symbolo explicatam, rem ipsam ac veritatem habere: & sic apparebit, non debere nos inuicem differre.

EPHES. Veritatis declaratio adiuncti dogmatis differentiam tollere nequit, cum non possimus additionem hanc, etsi veram, admittere contra patrum decreta.

COLOSS. Si verum est, quare non creditis nobis?

EPHES. Quia a patribus prohibitum est.

COLOSS. Dico, id nobis licuisse explicare, cum nil additum sit. Secundo, etsi quid additum dici posset, hoc licite factum est.

AND. His dissoluta extitit conuentio diei illius.

NOTÆ AD SECVNDAM COLLATIONEM.

¹ *Dixi.*] Non dicit in his collationibus, sed alias dixerat Ludouico, vt ipse Ludouicus immediate ante innuit. Sex autem fuisse dispositos, etiam ex Fantino de Valerefo in præfatione operis diximus, quorum nomina hic subdit Andreas.

² *Colossensis.*] Græcus scriptor Andream Rhodiensem nominat sessione 1. & 3. Rhodios enim Latini Colossenses etiam appellant, ex Apollinis colosso in ea erecto. Est etiam alia vrbs Colossæ dicta in Phrygia, vnde Colossenses, ad quos scribit Paulus apostolus. Vide Ortelium. Extat dialogus inter hunc Andream Colossensem & Marcum Ephesium in bibliotheca Vaticana inter manuscriptos codices Heidelbergæ aduectos, eumque sanctus Antoninus titulo 22. cap. 1. vtriusque idiomatis peritissimum fuisse dicit: nomen autem eius non exprimit, quamuis Bzouius tom. 16. annalium anno 1439. num. 39. recensendo dicta sancti Antonini, errando dixerit, vocatum fuisse Bartholomæum.

³ *Foroliuensis.*] Hunc Græcus scriptor Ioannem episcopum Foroliuensem nominat sessione 1. & sessione 10. Et quia inter intereferentes in actis huius Concilii part. 1. num. 20. sub die 8. Ianuarii huius anni 1438. & num. 29. sub die 15. Februarii eiusdem anni, describitur Aloysius Foroliuensis episcopus, sciendum ex actis consistorialibus, Ioannem episcopum Foroliuensem translatum fuisse de Foroliuensi ecclesia ad Anconitanam die 6. Martii 1437. & fratrem Ludouicum ordinis Minorum (est autem Ludouicus idem quod Aloysius) translatum fuisse de ecclesia Sanguinensi ad Foroliuensem die 14. Iunii 1437. Hinc orta æquiuocatio, vt nomen Ioannis quondam Foroliuensis sit attributum a Græco scriptore Aloysio tunc Foroliuensi episcopo.

^a Quamuis scilicet miserit legationes & subsidia, nihil minus causam dissidii de quo queritur, non aufererat, nempe additionem in symbolo.

* *Provincialis.*] Græcus scriptor Ioannem nominat, quem de Monte nigro fuisse ait sanctus Antoninus vbi supra.
† *Præcedit.*] Intentio Ephesii erat, quod Romana ecclesia non seruauerit caritatem erga Græcos, sine ipsis symbolo addendo, Filioque. Respondit Colossensis, seruasse caritatem, cuius primum obiectum est Deus; nec destitisse eam seruare erga Græcos, toties eos requirendo & vocando ad rectæ fidei professionem.

COLLATIO TERTIA.

DIE XIII. OCTOBRIS.

Agitur de modo procedendi in disputationibus, & causa remittitur ad deputatos.

AND. **O**RDINE & modo locove supra expositis, Colossensis his verbis exorsus est.

COLOSS. Tuæ sanctitatis benedictione præuia, & cum beneplacito imperatoris & patriarchæ, quæ pridie fuere proposita, breuiter explicabo.

EPHES. Pridie non proposuimus, nisi per modum exordii: non est conueniens nos audire responsum, nisi primo quæ volumus exprimamus.

COLOSS. Petiistis, quare est additum; audiatis rationem.

EPHES. Nil dixi pridie de his quæ dicenda sunt, propter temporis angustiam.

COLOSS. Imo quæsitum perfecte fecistis, & petiistis responsum, morem gerendo, audiatis.

CARD. Placet vt breuiter verba fiant; sed vt pacta seruentur, quibus non seruatis, nil fieri posset. Pridie recessimus cum hoc vt Colossensis responsum daret: eum audiatis, & habebitis & diem integrum ad dicendum quod uoueritis. Diffinitiones legere non expedit. Confitemur & symbolum apostolorum, & Nicænum Concilium, & aliorum Conciliorum diffinitiones.

COLOSS. Quia pridie tria tacta sunt, ego ostendam Romanam ecclesiam causam schismati non dedisse.

EPHES. Data est nobis electio arguendi, vel respondendi. Elegimus proponentium partes: quomodo potestis dare responsiones propositionibus, nisi auditis rationibus nostris, quibus dicimus addere non licuisse?

COLOSS. Nonne me interrogastis, si vellem respondere? signum est, quod amplius nolebatis arguere.

ANNO
CHRISTII
1438.

EPHES. Salua reuerentia uestra, non est sic.

COLOSS. Si responfa vultis audire, audiatis.

NICÆN. Nolumus audire, nisi audiantur rationes nostræ: & peto, si licet nobis adducere rationes nostras, vel non; & si vultis nos condemnare tacentes.

COLOSS. Audiatis ad quæsitum per vos, & postea loquimini, vt vultis.

NICÆN. Licet petierimus tunc, vt responderes, non priuauimus nos ab inductionibus nostri quæsi.

AND. Tunc, hac stante difficultate, vnus ex sex deputatis Latinis, Ioannes de Monte nigro prouincialis Lombardiæ sic inquit.

PROVINC. Multa patres reuerendi proposuistis de caritate, & sanctus Augustinus de ciuitate Dei 10. lib. dicit, caritatem esse, vt quilibet seruet ordinem suum: qui si non seruetur, nec ipsa caritas. Duplex est procedendi modus. Primus per modum argumentationis: & in hoc casu proponens propositiones, & rationes habet adducere. Alius est inquisitionis: & hoc modo quærens non probat. Viam hanc elegistis, & si sic non seruetur hic ordo, non seruetur ergo nec caritas ipsa, cum qua procedendum esse dixistis.

NICÆN. Laudo caritatem seruari, sed modum elegimus arguendi, & sic debemus audiri.

AND. Discussionibus his vigentibus, cardinalis ex deputatorum loco assurgens, ad papæ tribunal accessit; demumve rediens, sic inquit.

CARD. Iubet dominus noster, vt loquar serenissimo principi & reuerendissimo patriarchæ. Putabat dominus noster, Colossensem debere audiri, ex quo ab eo fuit quæsitum, vt responderet: & si permittatur ista varietas, data hac occasione, & in futurum fiet. Vnde cum nos credamus, Colossensem audiendum, vos contrarium, & hora tarda sit; viderur, vt sex deputati hinc inde conueniant cras, & conueniant de modo procedendi, vt hæc demum differentia non succedat.

IMPER. Placet, vt surgamus propter tarditatem horæ: de conueniendis sex, deliberabimus.

AND. Et omnes pariter surrexerunt.

COLLATIO QVARTA.

DIE XVI. OCTOBRIS.

*Deputati pro bono pacis morem gerunt Græcis, ut prius agatur,
an licuerit addere symbolo verbum, Filioque: deinde,
ut veritas additionis demonstretur.*

AND. **C**VNCTIS modo quo supra conuenientibus, post Missæ celebrationem, quæ hora communis erat conuentionis, Ephesinus his verbis exorsus est.

LVD. Antequam Ephesinum loquentem in medium adducas, dic quæso, quomodo hoc factum est, quod pristina disceptationi Latini Græcis cesserint vti contucti?

AND. Res ipsa iudicium dat, quis maiori fuerat ratione fretus: sed visum est, vt conuitatis conuiuia cederet: sic humanitati cedendum, vt principia rupturam non cape- rent. Me tamen excusare apud te nolo: fueram semper in sententia, vt his principiis eisdem audacia non daretur, vtve nullatenus dicendi daretur locus. Arbitrabar rem hanc in medium per eos deductam, causam fidei non concernere: sicque merito non audiendos, vt non concludentes quod vellent. In medium deducta magis corporalium voluntatum differentiam, restitutoriave remedia concernere videbantur, quam veritatem ipsam, quæ fides est: & cum rerum spiritualium possessio nulla sit, dato iure; ridiculosum arbitrabar, in fide quæsitum hoc cadere. Quod scilicet, etsi vera esset expressio dogmatis, adhuc discutiendum esset, an exprimi liceret, de Deo maxime, cum potius contra fidem esset tacere quæ vera sunt de Dei cognitione: summa, qua valui, persuasione institi, vt tamquam petitionem ineptam ad rem de qua agebatur deduceres, & non fidei, sed controuersiarum positium ius concernentem, ab omni fidei termino deuiam, non esse audiendos: piis tamen vnionem sectantibus, summo pontifici ac reuerendissimo domino cardinali sancti Angeli visum est, vt audirentur, etsi impertinentia quæque deducerent. Cœpit igitur Ephesinus, data dicendi licentia, hoc modo.

EPHES. Quoniam nobis fuit concessum, vt diffinitio-
nes

ANNO
CHRISTI
1438.

nes legerentur antiquorum Conciliorum, volumus illas legere, vt primis patribus conformemur.

CARD. Si volumus peruenire ad optatum nobis finem, feruare neceſſe eſt promiſſa: & licet dominus Coloffenſis veniret hodie audiendus, conuenimus heri, vt vos deduceretis ad veſtrarum opinionum deductionem quid placuerit, & legeretis hoc ordine, & legatis quidquid vultis; cum quid communiter legendum erit, conueniemus, & de illis nos etiam faciemus ſimiliter legi quod volumus pro noſtra parte. Quod ita conuenerimus, ego propria manu heri adſcripſi, quod ſcriptis exhibeo.

IMPER. Placet, vt quilibet per ſe legat, quid vult.

CARD. Legatis.

EPHES. Legemus non omnes nunc, ſed prout expedierit. Rogamus paternitatem veſtram, vt cum omni patientia velitis nos audire exponentes diffinitiones illorum patrum, & approbantes nos noſtram propoſitionem: cum intendamus probare, quod non licuerit recedere a diffinitionibus patrum, nec addere fidei, & his quæ a patribus compoſita ſunt.

AND. Per monachum quemdam libro ſumpto, lectum eſt Nicænum ſymbolum Græco ſermone, in Latinum per interpretem promulgatum.

* id eſt, &
hoc lecto
ſymbolo.

EPHES. Lecta hac diffinitione in tertia Synodo, * fuit hoc lectum ſymbolum: poſtea ſequitur prohibitio^a hoc modo. His lectis, prohibet ſancta Synodus, aliam fidem conſcribere, aut componere, præter determinatam a patribus Nicænis. Eos vero qui auſi fuerint componere aliam fidem, ſeu producere ad inquisitionem veritatis, vel docere, vel tradere aliud ſymbolum volentibus conuerti ex gentilitate aut Iudaismo, aut ex quacumq; fide, etiam ſi eſſent epiſcopi, priuentur epiſcopatu: ſi clerici, clericalitu: ſi monachi, vel laici, excommunicentur. Cum autem ad iſta venerimus, duo videntur eſſe inquirenda. Primo, quo pacto & ratione iſti ſancti patres tantam custodiam in^b expoſitis habuerunt, quantam non habuerunt qui fuerant in prima & ſecunda Synodo. Secundo, cur noluerunt facere mentionem de ſymbolo ſecundi^c Concilii, ſed ſolum de prima Synodo, cum ſit differentia in verbis & ſyllabis. Dicimus factum, vt ex re natura demonſtrat.

^a Concilii Epheniſi par. 3. actiones.

^b id eſt, diſſinitia.

^c Scilicet Conſtantinopolitani primi, in quo fuit auctum ſymbolum Concilii Nicæni.

Concil. Tom. 33.

V

Si enim, qui primo symbolum fecerunt, prohibuissent quid addi, viderentur quid voluisse sibi arrogare. Sed patres tertii Concilii videntes recte facta, voluerunt firmare, prohibendo, ne quid addi liceret. Hoc etiam factum est in nouo testamento, quando ^a euangelistæ noluerunt sibi hoc arrogare, nec in eorum euangelio ponere, quod nemini liceret quid addere, &c. Sed postea sancti patres prohibitionem fecerunt. Aliam rationem afferimus ex contingentibus, quoniam post primam expositionem ^b symboli fidei, cum multum temporis transuerit inter primum & secundum, multæ expositiones factæ sunt ultra triginta numero: & quia ita priuatim & particulatim factæ erant, afferebant dubitationem, & maxime de consubstantialitate, quod multis non erat ita acceptabile auditu. Vnde secundum Concilium habens auctoritatem œcumenici Concilii, voluit extendere & declarare aliquos articulos de Spiritu sancto: similiter quædam verba de incarnatione, quæ non erant in primo symbolo, videlicet: Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine. Et hoc fecit, quia sibi licuit, & noluit inhibere, ne videretur abrogare his quæ addiderat. sed talis licentia & declaratio fuit causa damni in ecclesia Dei. Nam ex hoc accepta occasione, illi qui sapiebant opinionem Nestorii, fecerunt priuatim vnam aliam expositionem, & baptizabant in illo symbolo: & ex illo Nestorii multa alia facta fuere. Ideo in tertio œcumenico Concilio voluerunt patres approbare symbolum primi Concilii, & diffinierunt, quod nec ipsismet liceret aliquid addere vel auferre illi symbolo: & opere approbarunt. nam vocem illam de ^c genitrice Dei, quæ fuit per tertiam Synodum promulgata, cum esset necessaria, noluerunt ^d in symbolo addere, sed in alia diffinitione apposuerunt. Nunc venio redditurus rationem ad secundum, quare patres tertii Concilii noluerunt mentionem facere symboli secundi ^e Concilii, quia scilicet in tertio Concilio fuit admissum, symbolum secundi Concilii esse idem cum symbolo primi. Hoc ex ipsis rebus probatur. Nam manifestum est, illos non ignorasse secundæ Synodi symbolum, nec etiam contempsisse. quoniam modo hoc fecissent, cum illud fuerit approbatum, & visum & tentum per Christianos? Ideo solum de primo dixere propter au-

^a Restringit se ad euangelia. nam Apoc. vlt. prohibetur additio, vel diminutio.

^b In Nicæno scilicet Concilio.

^c scilicet Genitrice, Dei genitrix, de qua late infra.
^d Subintelligendum, nihilo minus.
^e Ephesius conatus respondere tacite obiectioni, cur patres tertii Concilii, scilicet Ephesini, fecerint prohibitionem de non addendo aliquid symbolo Nicæno, & non fecerint mentionem de symbolo Constantin. secundi Concilii, in quo plura sunt addita ipsi Nicæno.

ANNO
CHRISTI
1438.

toritatem, cum ibidem fuerint plures patres: & illud fuit fundamentum secundi Concilii, & quia Christiani maxime utebantur primo, & in illo baptizabantur. Item quia virtualiter secundū continebatur in primo. Item quia tractantes, ne quid liceret addere, cum in secundo fuerit quid additum, ne viderentur diuersificare, non fecerunt mentionem secundi, scientes virtute in primo contineri: & ideo declararunt, non solum sensu, sed nec voce quid addi posse: & si quid necesse esset addi vel declarari, mandarūt poni in aliis diffinitionibus. Et multæ sunt auctoritates Cyrilli, qui illi tertio Concilio præfuit, & Cælestini papæ locum tenuit, in^a epistola quæ incipit, Latentur cæli; vbi ait: Nullo modo patimur aliquid addi expositis in Nicæa.

^a in actis Concilii Ephesini part. 1. cap. 14.

AND. Assurrexit & monachus ille ex libro in Græco legens Cyrilli epistolam, & Cælestini papæ. quibus lectis, profecutus est Ephesinus his verbis.

EPHES. Audistis, reuerendissimi patres, prohibitionem papæ: quæ prohibitio in quarto Concilio lecta fuit, & approbata.

AND. Annuit & scribæ illi qui librum tenebat, qui Græco sermone quarti Concilii approbationem^b legit. Quibus lectis, mandauit prohibitiones quarti Concilii in medium^c deduci. Quibus lectis, & epistolis lectis, & eis expositis, legerunt gesta sexti magni Concilii, & aliam Agathonis papæ Romæ tempore sexti Concilii ad Concilium, & aliam ad imperatorem: demum diffinitiones septimi Concilii, quod in Nicæa secundo fuit.

^b eiusdem scilicet epistolæ in Concilio Calchedonensi actione 5.

^c actione 4. Concilii Calchedonensis.

LVD. Anne symbolum cuiuslibet Concilii lectum est?

AND. Lecta sunt, & conuenire videbantur: sed cum septimæ Synodi legeretur symbolum, cardinalis librum Latinum exhibuit antiquissimum, vbi in symbolo illius Concilii^d erat, Filioque: & adiunxit, quod ex chronica Martiniana habetur in illo Concilio dogma illud fuisse explicatum: & lectis^e subscriptionibus, inuentum est, Petrus Romanæ sedis presbyter locum tenens Hadriani papæ Romæ, & Petrus abbas sanctorum Andreæ & Sabæ, Tarasius patriarcha Constantinopolitanus. His lectis, Ephesinus exorsus est sic.

EPHES. Audistis, reuerendissimi patres, sententias patrum? Nos videntes sententias patrum, & intuentes eo-

Concil. Tom. 33.

V ij

rum auctoritates, & timentes eorum maledictiones, nullo modo admittere possumus illam additionem, quam vos fecistis. Iam restat, nisi hora impediatur, ut nos audiamus responsiones & rationes paternitatum vestrarum: & auditis vestris paternitatibus, adducemus auctoritates multorum patrum, quæ tamen ad hæc tendunt. Scitis, nos non esse arithmeticos nec^a artificiosos, ut ex politica dicta in medium adducamus: sed quod cum veritate dicitur, admittimus: quod autem repugnat, reiicimus.

* Græcus scriptor sic sessione 5. in finem: Rogamus vos ut summam & per capita responsiones vestras exponari. Scitis nos neque memoria valere, neque diuidentium numerandi, arte pollicere.

CARD. Beatissime pater, deferatur imperatori, qui optat finem imponi. Sed quia symbolum septimi Concilii per eos lectum non habet dogma, Filioque; & nos habemus cum illo verbo; videtur ut ex nostro more legatur, prout habemus.

AND. Annuit papa, ut legeretur: & per scribam nostrum cum dicto dogmate lectum est. quo lecto, cardinalis sic inquit.

CARD. Quia placet, ut breuiter respondeatur & distincte, ut vobis morem geramus, videtur, ut relata per notarios scripta auscultentur.

IMPER. Placet, ut cras xv. hora conueniant.

AND. Quibus expositis, assurreximus cuncti, hora iam vigesima prima.

NOTÆ AD QVARTAM COLLATIONEM.

^a *Restitutoriæ.*] Voluisset Andreas prius disputari quæstionem, an esset verum, quod Spiritus sanctus a Filio procederet. nam quæstionem, utrum fuerit licitum addere symbolo, aiebat pertinere ad ius positium voluntatis humanæ, & ad remedium restitutorium in pristinum, auferendo illud a symbolo, quod non videbatur necessarium, si dogma esset catholicum. Idem voluisset & Bessarion, ut ipse testatur in opusculo de successu Synodi & processu Spiritus sancti, cap. 2. in fine huius operis exhibitio.

^a *Concilii.*] Actione 7. septimæ Synodi, legitur in symbolo additum, Filioque, tum in Græco, tum in versione Anastasii: quod Iulianus cardinalis hic comprobatur ex chronico Martini Poloni in Hadriano papa, dum agit de Constantino & Irene imperatoribus; ubi dicit dogma, Filioque, fuisse in ea Synodo diffinitum. Vide etiam Baronium tom. 9. anno 787. num. 38. id ipsum comprobantem. Sed & tom. 8. anno 680. num. 32. ait Emmanuelem Calecam Græcum aduersus errores Græcorum id ipsum ante Concilium Florentinum testatum fuisse. Habetur Emmanuel tom. 14. bibliothecæ veterum patrum ex versione Ambrosii Camald. ubi circa initium primi libri af-

ANNO
CHRISTI
1438.

firmat, in septima Synodo fuisse diffinitum, & etiam actione 3. fuisse approbatam epistolam Tarasii patriarchæ, in qua assererat Spiritum sanctum procedere a Patre per Filium. Quæ verba ad eandem intelligentiam tendere, ac illa, ex Patre Filioque, habetur in diffinitione huius Concilii Florentini; & probat Bessarion in oratione de vnione, & in opusculo ad Alexium, in fine huius operis exhibitis.

¹ *Subscriptionibus.*] Subscriptionibus scilicet, quæ habentur in septima Synodo actione 7. nimirum, vt appareret ex subscriptionibus conformitas ad alios textus eiusdem septimæ Synodi.

COLLATIO QVINTA ET SEXTA.

DIE XX. ET XXV. OCTOBRIS.

Dicta in his duabus collationibus formiter non fuerunt recollecta, & eadem fere replicantur in collatione VIII.

AND. **A**D hanc quartam colluclationem cum pariter Avenissemus, cunctisve expectantibus, Colossensis summo pontifici direxit hæc verba.

COLOSS. Adsit benedictio tua, pater beatissime.

AND. Demum verba ad interpretem protulit.

COLOSS. Referam verba in Latino, vt formam feruem: tu autem in Græcum patribus his traduces. Si tamen quid Græce explicare voluero, non adimo mihi facultatem.

INTERPR. In traductione per tuam paternitatem pridi reprehensus extiti, etsi, vt arbitror, minus debite: nolo traducere, nisi Græce prolata, ^a in Latinum; cum ad id Græci fiduciam sumant.

AND. Iussit tamen imperator, vt exqueretur vtrumque opus. Cuius iussu, in scabello sedens, paratum se ad vtrumque extunc exhibuit. Cœpit igitur hoc modo hæc collatio. Has tamen duas collationes domini Colossensis non curavi adscribere, quia formiter collectæ non fuere, & quia in octaua collatione ipse eadem omnia repetiit: ideo non fuere hic adscripta, sed ibidem eius dicta videas, vbi declarauit quæ hic ^b expresserat.

^a Scilicet prolata a Græcis, cum illi in me fiduciam habeant, quod recte traducā de Græco in Latinum.

^b Propterea ad intelligentiam dicendorum in collatione 7. sequenti a Nicæno, videnda omnino sunt prius, quæ dicit seu repetit Colossensis in collatione 8. Nam ipse dicit ibi, quod eadem vult repetere, atque ad idem factum quæ dicit Forolitanensis collatione 10.

COLLATIO SEPTIMA.

KALENDIS NOVEMBRIS.

ANNO
CHRISTI
1438.

*Vtrum additio, Filioque, sit desumpta ab intrinsecis ipsi
symbolo, vel ab extrinsecis.*

AND. **N**OVEMBRIARVM Kalendarum die solita post
Missam conuenientibus cunctis, dicendi per
mutuum silentium concessa licentia, Nicanus ex Græcis
sex tertius verba hæc in medium protulit.

* Dixi in ante-
cedenti colla-
tione, ad intel-
ligentiam di-
ctorum Bessa-
rionis in hac
collatione
omnino le-
gendam esse
prius collatio-
nem §.

NICÆN. Auditis patienter per vos, reuerendi patres,
expositis, rationem illis reddituri venimus, sperantes pari
vos patientia audituros. Mutua patientia inter nos cari-
tatem ostendat, cum ab vno principio inchoamus, ad v-
num tendimus, videlicet ecclesiæ vnionem. Morem gera-
mus ecclesiæ, non priuatis affectibus. Responsonem ve-
stram quadripartitam* fecistis, ex quatuor, vt asseruistis,
per nos relatis; & cuiilibet responsum dedisse arbitramini,
& pro nostrorum deductorum euitatione, quatuor dice-
re conati estis. Primo, Spiritum sanctum a Patre & Filio
procedere, non esse additionem, sed declarationem. Se-
cundo, quod in symbolo liceat primo tradita declarare.
Tertio, quod hoc dogma est consonum rationi & patribus
ecclesiæ. Vltimo, veritatem cum contineat, quod quilibet
Christianus debet amplecti. Duo ex his tetigistis in prima
vestra collatione: & in secunda collatione cum restaret de
duobus aliis dicere, vt nobis mos geratur, dixistis velle o-
mittere, etsi necessaria forent: vobis potius quam nobis
gestistis morem. Ex his, ex quibus nobis morem gestistis,
agimus gratias, & cum caritate probabimus, ad nostram
propositionem duo illa non pertinere. Sed cum de quar-
to aliqua differentes deducere conati estis, veritatem esse
ab omnibus amplectendam, hæc non abnuimus; cum qui
habet sensum & obiectum recipit veritatis, & hoc inten-
dat, ad quod nos ipsi sumus simul tractaturi. Tertiæ partis,
de qua & certa dixistis, reseruabimus, cum de dogmatis
veritate tractabimus: quo tempore (Dei gratia) afferemus
rationes equidem plurimas. Capiam igitur ex expositis
per vos, quæ dubium per nos positum tangunt; (quid e-
nim expedit de dogmatis veritate discuti, si etsi verum

ANNO
CHRISTI
1438.

adscribere symbolo non licuerit?) Dicimus dogma illud, etsi verum, in symbolo stare non posse. nam & multa necessaria, etsi vera sint, symbolo non fuerunt apposita. Dabimus in cunctis ad breuitatem operam: sed longæ propositioni non potest perfecta breuis esse responsio. Dicam igitur de expositis circa primum, quatenus nostri quæsitum propositum tangunt. In deductione, quod dogma non sit additio, vti estis syllogismo quodam, cuius syllogismi maiorem capiam, quæ ad propositum facit: deducta vero ad probationem minoris omittam. In probatione huius maioris vti estis syllogismo quodam alio. Demum approbare conati estis per actus & diffinitiones præteritorum sacrorum Conciliorum, & demum a voce & dictis domini Ephesini: cuius syllogismi forma hæc est. Omne additamentum est extrinsecus, declaratio non est extrinsecus: ergo declaratio non est additamentum. Recipimus istius syllogismi maiorem, quod additamentum sit extrinsecus, licet ad rem, de qua agitur, possemus negare: minorem vero non admittimus, quæ dicit, declarationem non esse extrinsecus, sed de re ipsa. Nam & nos concedemus, declarationem esse positorem, sed non de positis: id est, declaratio est illorum quæ posita sunt, sed non de illis. Omnis enim declaratio, præsertim ista de qua loquimur, ad rationem vel verbum refertur, quæ extra sunt: ad quod verbum vel rationem ita se habet, vt minor propositio ad maiorem, ita declaratio ad rem declaratam. Dicimus Spiritum a Patre procedere: cum vultis inferre, & a Filio, capitis extra, auctoritatem hanc: Quod omnia quæ Patris sunt, sunt Filii. Hæc probatio sumitur ab eo quod extra est. Ratio ergo quæ affirmat minorem, extra sumitur: ergo non sequitur, quod declaratio non sit extrinsecus, sed aliquando sumitur extra, & aliquando non: imo vt plurimum extra sumitur. Deinde habet dictiones, * quæ saltem extra sumuntur: vnde sequitur contrarium eius quod dicitis, quod omnis declaratio non extra sit. Vnde videtur concludi, dicendo, * quod Spiritum procedere ex Filio, etsi declaratio foret, quod extra sumitur. Sed & vos dixistis: Additamentum sit extra, secundum philosophum, & non potest esse idem cum re cui additur. Nam & ipsa nutritio cum sit extrinsecus secundum philosophum, etsi si-

Ioan. 16.

* nempe,
Filioque.* necesse
esse dice-
re,

milis rei cui additur, nunquam additur, nisi similitudinem capiat; & simile non est idem secundum philosophum. Quare cum additamentum duo faciat, primo ut capiat rei cui additur, similitudinem; hæc dictio, Filioque, etsi sit similis rei additæ, habet dissimilitudinem saltem dictionum, habet & similitudinem: ex quibus negari non potest, etsi per modum declarationis veniret, quin sit additio, quæ prohibita videtur, & prohibitum hoc verbum apponi. Cum vero induxistis acta patrum, quibus videntur aliqua declarari, dubium nostrum non tangit. Nam quod aliquid apponatur fidei, hoc nunquam licuit, neque licebit. Exponere vero quæ implicite in sacra scriptura continentur, hoc illis patribus licebat, & etiam in symbolo ponere, non autem sacra scripturæ quidquam adiungere: postea vero pars istius licentiæ fuit prohibita, ut non addatur in symbolo. Scripturæ sacrae declarationes afferre suis in scriptis, cuiuslibet est permissum, nec hæcenus prohibitum: & hæc ex necessitate facta sunt. Nam cum liceret ad libitum usque ad tempus secundi œcumenici Concilii uti tali licentia, quia nonnulli vsi sunt tali licentia in proprio malo, præsupposito patres tertii Concilii, quod talis licentia nil boni operabatur fidelibus, sigillarunt & approbarunt, ut de cetero nulli liceat quidquam addere. Tenere namque quod primi sancti patres credere, errorem afferre non potest. Quis enim illos de fide non perfecta arguere auderet? Sed per additionem multa possent scandala exoriri fidelibus, etiam per syllabarum immutationem: quod primi patres tertii Concilii prohibuerunt.

^a Concilii
Ephesini par-
te 2. actione 6.
^b Concil. E-
phes. parte 3.
num. 37.

^a Accedat beati Cyrilli epistola ^b quam ad Acacium misit, in qua dicit: Sancta & œcumenica Synodus quæ Ephesi conuenit, prouidit necessario non debere alteram fidei expositionem ad Dei ecclesiam inferri, præter eam quæ iam extabat, quam patres nostri, qui in Spiritu sancto loquebantur, terminarunt. Ex quibus tria principalia sunt notanda. Primo, quod ipsa tertia Synodus prima ^{*} prohibuit additiones, hanc vim importat illud verbum Græcum *προσωνσον*. Secundo, quod necessario hoc factum est.

Id est, prouidit, ex epistola Cyrilli citata.

Tertio, quod non prohibetur ^a alterius fidei expositio, sed ipsius fidei alia expositio. nam quod contraria dogmata & opiniones non fierent, iam ab initio erat prohibitum. Ad quid

^{*} scilicet
inter Synodos.

* Oratione in
sancta lumi-
na, id est, de
Epiphania,
quæ est 19.
editionis Pa-
risiensis.

stianorum possessio symbolum. Et licet Gregorius^a Theo-
logus dicat, diuersitatem syllabarum, eodem dato sen-
su, non afferre nouitatem, loquitur de significantibus rem
eamdem, & quæ de vno & eodem prædicentur subie-
cto, vt quatuor, bis, duo, aut rectum dicere, non obli-
quum, sed in re nostra diuersum est. nam ad varias dictio-
nes sunt varii sensus. Alia namque est persona Patris, alia
Filii. Secundo cum dicitis, Græcos diuersis syllabis ac La-
tinos proferre symbolum: dicimus in nostra difficultate
non solum varias voces & dictiones, imo varium sen-
sum & differentem sententiam vniuscuiusque verbi esse.
Nam dicere, quod Spiritus sanctus a Patre procedat, ora-
tio vna est: quod vero a Patre & Filio, duæ sunt quæ copu-
lantur in vna. quare habent duas rationes oppositas:
vna earum est falsa, videlicet: Spiritus non procedit a Pa-
tre; alia, non procedit a Filio: & hanc veram nos esse di-
cimus, vos contra. Non sunt solum verba variis vocibus
idem significantia. Clarum est in Latino idem esse, bo-
nus dies, & καλὴ ἡμέρα in Græco: vnde vocum varietas in
hoc non inducit diuersitatem; & in hoc fuerat inter nos
concordia, vt quilibet suo idiomate fidem proferret. Res
addita non idem sonans differentiam facit, & non tantum
a nobis ad Latinos, sed & inter nos, si quis ex nostris id
Græce proferret. Et cum pro tertio dixistis, principia ac
dignitates cuiuslibet artis potentes habere omnia quæ se-
quuntur, adiicientes, quod progredientes ab ipsis princi-
piis, facillime ostendetis esse necessarium dicere, Spiritum
etiam a Filio procedere: & sequeretur hoc ex principiis
communibus nobis & vobis. Cum hæc probabitur, regrati-
abimur vobis: sed nos non apponemus hæc ipsis princi-
piis. nam hoc vniuersaliter impossibile est in omnibus
principiis vniuersalium rerum, maxime fidei, de qua
nunc sermo est. Nam principia, & quæ post, in multis
discreta sunt, & forte in omnibus. Nam principium, vni-
uersale; quæ sequuntur, particularia: & principium est
quod demonstrat, quæ sequuntur sunt quæ demonstrantur:
principium est propositionis, quæ sequuntur sunt con-
clusiones. Quonam modo vniuersalia particularia fiant,
& demonstrantia, quæ demonstrata sunt. vnde quod prin-
cipia contineant quæ sequuntur, necessarium est: sed

ANNO
CHRISTI
1438.

ANNO
CHRISTI
1438.

quod addatur principiis, non est necessarium: & tunc longe difficilius, si qua prohibitio esset, quæ hoc inhiberet, vt in casu nostro, maxime cum multa alia quæ vera sunt, & insunt principiis, attamen addita non sunt. Nam omnia dogmata fidei Christianæ in principiis scripturæ insunt: nihilo minus non voluerunt, vt quid fuerit adiectum.

Cum dicitis, quod cum Dei ecclesia vna sit, oportet vnam semper habere potestatem. Dicimus, quod etiam si vna sit ecclesiæ potestas, habet tamen seruire immutabilia, quæ per præcedentes fuere tradita: & hac data immutabilitate in rebus vniformiter determinabilibus, firmatur, vnam esse semper ecclesiæ auctoritatem. Alio namque modo ecclesia seipsam euerteret. Datus est modus, vt occurrentibus obuietur priuatis literis. sic factum est per Tarasium & Agathonem. Vltimo, decem particulas tetigitis, quæ id continent quod expressum est, licet quædam clarius habebant. Admirabamini in primo, quod Nicæni Concilii symbolum attulerimus. Dicimus, necessitate quadam hoc factum, vt, illo lecto, videretur facta prohibitio in tertia Synodo.

AND. Quæsitum est a Nicæno loquente, si symbolum secundæ Synodi lectum fuit in tertia: qui respondit.

NICÆN. Primum tantummodo lectum extitit: ambo autem asseruimus lecta virtualiter, primi lectione. Secundo dixistis, patrum prohibitiones referri ad alterius fidei expositionem, non ad declarationem prohibitam: hæc tamen satis operationibus patrum comprobatur, etiam declarationem prohibitam. Tertio arguistis ab ipsis principiis & dignitatibus; vltra iam relata, dicimus: non necessario sequitur quod vultis a principiis introducere. Nam nullum principium alicuius disciplinæ seu artis potest recipere conclusionem in ipso principio: potest bene esse causa conclusionis. Nam multæ declarationes necesse fuere theologiæ; tamen non fuerunt adiectæ principiis: ergo non semper addenda principiis declaratio. Ergo cum additio non fiat principiis sacre scripturæ, nec simbolo; & remoueatur vestra additio, cum pariter concurrant sacra scriptura & symbolum. Admittimus quod dicitis, omnia sequentia tertium Concilium referri

^aSubintelligi debet fieri, ergo remoueatur, &c.

Concil. Tom. 33.

X ij

ad ipsum Concilium: non tamen tertium Concilium potest esse expositio ceterorum, cum sequentia præcedentium sint declaratiua vt plurimum. Stemus igitur expositoribus Cyrillo & Agathon, qui tertium declararunt Concilium. Cum ergo tertio Concilio necessitas immineret, ipsi sancti patres illam prohibitionem exposuerunt, vt Cyrillus expresse declarat. Clarum est, quod & aliis Conciliis tale fuit propositum, quod opere demonstrarunt. Dimittemus alia ad futurum conuentum, vt similiter nobis concertantibus, vnus alteri occurrat. Sic ex patribus vestris qui se obtulit mecum specialiter concertare, præparet se in secundo conuentu.

AND. His dictis, pariter assurreximus omnes hora XXI. diei.

NOTÆ AD SEPTIMAM COLLATIONEM.

¹ *Similitudinem.*] Clarius ex Græco scriptore sessione octaua sic: *Alimentum enim cum sit extrinsecus, est tamen etiam ex similibus. factum enim simile additur: nec addi aliter potest, nisi fiat simile. Cum ergo additamentum hæc duo habeat, vt sit extrinsecus & ex similibus, videntur secundum vtrumque conuenire ea quæ adduntur, & id de quo agimus, nempe quod dicitur, Spiritum sanctum etiam ex Filio procedere. Habet enim hoc simile quiddam per vos, & quiddam dissimile: simile quidem per vos, quatenus in eundem incidit sensum: dissimile vero, quatenus saltem voces inferunt quid extrinsecus. Hæc ille.*

² *Alterius.*] Id est, non prohibentur expositiones aliorum dogmatum fidei, sed expositio ipsius fidei & symboli inserta in ipso symbolo hoc prohibetur: & statim occurrit tacitæ obiectioni, quod prohibetur inferi dogma contrarium, non explicatio eius quod inest. Respondit, quod contraria dogmata iam erant prohibita: ergo noua prohibitio refertur etiam ad expositionem eiusdem symboli, etiam per additionem verbi ad maiorem explicationem.

³ *Septimum.*] Supra enim collatione tertia Iulianus cardinalis adduxerat septimum Concilium, in quo erat additum in symbolo, Filioque.

⁴ *Lectum.*] Plura enim fuerunt addita a secundo Concilio in symbolo Nicæno, & tamen tertium Concilium prohibitionem fecit, ne adderetur Nicæno. ergo intelligit de additione sensus contrarii, non explicationis. Vide in collatione sequenti.

ANNO
CHRISTI
1438.

COLLATIO OCTAVA.

DIE IV. NOVEMBRIS.

Discutiuntur prohibitiones patrum & Conciliorum, de non addendo aliquid symbolo & diffinitionibus fidei; & quod additio, Filioque, sit declaratio.

AND. **C**VM sacrum confistorium post exhibitas preces Missarumve solennia conuenisset, facto silentio, Nicænus qui pridie sermonem fecerat, his verbis profecutus est.

NICÆN. Cum nos optima responsa reddiderimus ad plura per paternitates vestras exposita, quædam nos propter horæ breuitatem omisimus, quæ tamen virtute & potentia in dictis continentur. Sunt autem ex^a vestris, quæ responsa requirunt. Etenim dixistis, ^b mouere fidem per symbolum aliud esse quam declarare; & quod Agatho extendit & auxit in expositione quam fecit de fide, ^c & quod vox ipsa *θεοτόκος*, videlicet Dei genitrix, non necessario debebat apponi; ^d & quod sancta Romana ecclesia hæc fecerat, mota auctoritate patrum & sanctorum ecclesiæ, necessitate coacta & sua auctoritate, quam in huiusmodi rebus habet. Ad primum dicimus, verbum, *mouere*, non habere sensum illum quem creditis. Nam sequitur post, ^e non esse licitum addere nec verbum, nec dictionem, nec syllabam: & opere comprobantur. nam vrgentibus necessitatibus vt declarationes fierent, nullas declarationes fecere. Quod autem beatus Agatho ^f dicat, quod verbis & sensu debeat seruari integritas fidei, nos non intelligimus vt vos; sed intelligimus, vniuersaliter prohiberi vniuersam mutationem. Hoc clare colligitur ex his quæ supponit Agatho: nec etiam minuit, nec auxit, nec immutauit quæ sunt fidei. subsequenter & recte ponit, eandem fidem verbo & sensu debere seruari. Quoniam vero auctori, vel minuitioni, vel immutationi verborum & dictionum prohibitionem imponit, videtur ipse esse sententiæ vt nos: & quod ipse aliquam sui expositionem addit, non facit ad nostram quæstionem, cum nunquam prohibitum est, nec erit, priuatam & particularem fidei expositionem particularibus & diuersis fieri verbis; at disciplinam

X iij

^a Scilicet, dictis.

^b Id est, addere declarationem in symbolo nõ est mouere seu cõtrariari fidei in symbolo.

^c In sua epist. relata in 6. Synodo actione 4. quam infra ponderat Colossen.

^d In symbolo scilicet: & ideo quamuis diffinita in 3. Synodo, non tamen addita fuit symbolo, prout necessitate cogente fuit additum, Filioque.

^e In verbis scilicet prohibitionis factæ in 3. Synodo part. 2. actione 6.

^f In sua epistola relata in 6. Synodo actione 4.

ipsam fidei & symbolum in omnibus immutabile permanere debere, vt ipse Agatho expresse insinuat. Cum dixistis verbum *θεοτόκος*, id est Dei genitrix, non omnino fuisse necessarium poni: nescimus quo pacto hoc factum sit. si non erat necessarium, non debebat vsquequaque diffiniri; & frustra tot patres solenniter de eo dubitassent, & superflue alibi fuisset additum^a. Si vero necessarium extitit, militat nostra sententia. Quod dicitis, necessitate factam additionem per Romanam sanctam ecclesiam, & auctoritate sanctorum, vtrum sancta Romana ecclesia auctoritate sanctorum mota fuerit, in aliis videbitur disputationibus, & in sequentibus erit cogitatio. Si vero auctoritate propria, aut necessitate mota fuerit: dicimus, quod necessitas nullo modo^b est impedimento diffinitionibus patrum, cum nulla videatur excepta; & suo tempore cum caritate petemus, qualis fuit illa^c necessitas. Verum de auctoritate Romanæ ecclesiæ multa haberemus dicere, nisi aliud esset propositum nostrum. Nam scimus & cognoscimus quouisque se talis extendat: primitus autem volumus vos scire, quod talem licentiam, vt in symbolo quid addatur, excipimus, & ab œcumenica Synodo, & ab vniuersali ecclesia, nedum a Romana, & cum ab vniuersali ecclesia excipimus. Ergo nec Romana potest, nec hoc nos facimus, sed patres fecere in diffinitionibus eorumdem. Hoc diximus ad vestra proposita, non his solis inniti volentes, sed aliis suis loco & tempore deducendis. Dicimus igitur, diffinitiones patrum ad quamcumque declarationem extendi: & cum audimus patres dicentes: Nulli licet addere, vel minuere: intelligimus ad syllabam dictionemque. Ad ista facimus testimonia sanctorum patrum operasse. Quærimus, si diffinitiones & prohibitiones in illis contentæ referant se ad symbolum, vel non.

AND. His expositis, silentium factum est: intuentibusque nostris sex, ab eisdem quæsitum, pariter allocuti sunt. Conuocatisque cardinalibus, qui suo loco sedebant, pariter & cardinales & deputati sex ad summum pontificem ad tribunal eiusdem accesserunt, cunctique pariter allocuti sunt. Omnes rem quidem in fidei esse facto, professi sunt: tam mature grauiterque cuncta fecere.

LVD. Quid demum secutum est?

^a Scilicet in diffinitione eius symbolum.

^b Id est, nullo modo necessitas impedit, quin obseruetur diffinitio de non addendo aliquid in symbolo, cum nulla necessitate excepta fuerit diffinitum, vt non addatur.

^c Propter quam scilicet non solum diffinitur, sed etiam in symbolo apposit.

ANNO
CHRISTI
1438.

AND. Reuerſi ſunt ſex deputati ad conſtitutum locum. Demum cardinalis, qui inter eos primus fuerat, ſic inquit.

CARD. De mandato ſanctiſſimi domini noſtri aliqua referam. Sacer hic cœtus, quæ & hodie & pridie retuliſtis, audiuit. Conueneramus, vt dicenda ſcripto ederentur. Quare vt forma ſeruetur, conueniant qui ſcripſerunt, & de ſcriptis conueniant: & demum conuenientes plenum & pertinens recipietis reſponſum; & nunc etiam quaſito veſtro reſponſum damus hoc modo. Ex verbis veſtris, expoſitis geſtis tertii Concilii, patres legerunt Nicænum ſymbolum, epiſtolam Cyrilli ad Neſtorium, blaſphemias Neſtorii, ſymbolum Neſtorii, Tarafii, auctoritates ceterorum ſanctorum, cum aliquibus fidei diffinitionibus. poſtea ſequitur: ^a Nulli liceat aliam fidem proferre vel expo-
nere, &c. quam illa, quæ a patribus in Nicæa conuentis expoſita.

^a Concilii
Ephefini par-
te 2. actione 6.

¹ Dicimus prohibitionem referri ad omnia quæ fuere in Nicæa expoſita, & quod non magis ad ſymbolum, quam ad alias diffinitiones reſpicit. Vos tamen, patres, aliqua patienter audiatis dicenda per dominum Coloffenſem.

AND. Antequam Coloffenſis verba faceret, cardinalis petiit a Græcis, vt acta Calchedonenſis Synodi exhiberent. Qui Græci reſponderunt, non habere integram Synodum. Tunc cardinalis dixit, libros debere portari. Papa demum annuente, Coloffenſis his verbis allocutus eſt.

COLOSS. Quædam diebus his per vos repetita ſunt, quæ iudicio meo & collegarum non videntur ſtare eo ordine quo dicta ſunt. Præterea cum quædam firmiſſima ſententia confirmaviſſem & oſtendiſſem, vos alio ſenſu declaraviſtis, & plane quædam negaviſtis. Verum cum omnia talia maxime conducant ad præſens noſtrum certamen, patiamini, obſecro, patres optimi, vt ipſa paululum repetam, & meam ſententiam dicam, veſtramque repellam. Illud in primis proferam, illam veſtram exhortationem ſanctam, cum vnus & idem ſit ambobus finis, oportere patientia vti & modeſtia; memoriæ ſit, idve & vos faciatis: illud addens, vt quæ ſimplici animo & recto corde dicuntur, non ſiniſtra intelligentia aſſumantur, quia & nos & idem fecimus, & quædam, etſi ſono aſperrima viſa ſunt,

æquo tolerauimus animo, & in futurum faciemus. hoc facto caritas inuiolata manebit, & finis quæsitus assequetur. Voluistis, patres, repetere a me dicta: non tamen repetistis eodem ordine nec sententia; cum vestrum problema fuisset, quomodo sancta Romana ecclesia fecerit rem prohibitam, & quomodo illi licuit. Dixi ad hoc, quod non fuerit additio, quod non fuerit prohibitum, quod fuerit verum, quod impellente maxima necessitate, quod esset manifesta veritas in ecclesia Dei, & quod oportebat id fieri per Romanum pontificem, ad cuius officium specialiter ista spectare noscuntur: ex quibus conclusi, fuisse omnino licitum Romanæ ecclesiæ illam declarationem facere. Repetitio vestra nec ipsum ordinem seruauit, nec sententiam. Quare oportet in præsentia de hoc facere specialem mentionem. In secundo passu dixistis, ^a tertiam particulam nos spon-
te nostra omisisse, cum fuerimus auditi ^b ad nutum.

^a Quod scilicet esset manifesta veritas in ecclesia Dei.
^b Ad arbitrium scilicet & voluntatem nostram.

Nonne expositum patet? Nonne dominus Nicænus dixit, quod quæ dicebantur, non ^c tangebant quæsitum, & quod eis non intendebatis dare responsum? Quid restabat, nisi de ea re tacere? Quid effundere verba vobis non audientibus? Et inuiti venimus ad silentium partis illius, & certe fati mœsti. Ex illius enim partis probatione facile erat probare, fuisse licitum Romanæ ecclesiæ facere declarationes. Hæc volui repetere, vt constet omnibus, cuius causa pars illa fuit omissa. Et cum voluistis cuidam nostro syllogismo dare responsum, aliter adduxistis. Nos hac argumentatione vsi sumus: Nulla expositio vel declaratio alicuius dictionis est additio: sed dicere Spiritum sanctum procedere a Filio, est explicatio contentorum in primo: ergo non est additio. Vos replicando ^c dixistis: Omnis additio fit ab extrinseco: ergo expositio non est additio.

^c Meum scilicet argumentum.
^d Id est, Dico quod omnibus per vos dictis dedimus congruas responsiones.
Ex scriptis apparet, quod non prætermisimus syllogismum, quo dicitis probare, primo, Filio que esse explicationem, secundo, explicationem non esse additionem.
Huic argumento, quo vsi estis ad primam propositionem probandam, ego occurri,

AND. His expositis, Nicænus hæc dixit.

NICÆN. ^d Dico, quod omnia per vos dicta habent respon-
sionem congruam. De hoc syllogismo miramur, cum omnia scripta sint quæ diximus: non prætermisimus syllogismum de quo verbum facitis, sed venimus occurrentes syllogismo, quo vsi estis primum syllogismum probare.

COLOSS. Ego illo syllogismo non vsus sum, quod dicitis: verum est, quod ad confirmationem maioris propositionis præmissi hoc, quod omnis additio fit ab extrinseco: nec
vsus

ANNO
CHRISTI
1438.

vsus sum syllogismo, sed similitudine, philosophorum doctrina dicentium debere esse similitudines breues, quia similitudo habet conuenientiam & disconuenientiam. Hoc habeo ex doctrina vestræ Græciæ.

NICÆN. Dicat paternitas vestra, vt placet, & potestis dicere. Sed quæ diximus, scripta sunt, & auscultauimus cuncta, & ex illis responsionem cepimus.

COLOSS. Veniamus ad alia. Ego dicebam, quod dogma, Filioque, comprehenditur in verbo, Patre. Paternitas vestra respondit, quod medium, quo illud probabatur, capiebatur extrinsecus, videlicet assumptione huius, quod quæcumque habet Pater, habet Filius: asserentes hoc extrinsecus esse. Sed sciendum quid in disciplina dicatur extrinsecus, & secundum philosophos, & maxime Aristotelem. Illud in disciplina extrinsecus dicitur, quod non subiicitur subiecto eiusdem scientiæ, nec partem eandem, nec proprietatem, nec passionem habet: sicut si diceremus, arithmetica distare a philosophia naturali, & astrologiam a morali, in quibus subiecta distinguuntur. Alio modo dicitur extrinsecus, quod non est in eadem voce: vt procedere Spiritum a Filio, est vocis alterius dictionis & sensus. Ignoro quomodo capiatur extrinsecus per vos. Si extrinsecus capitis, vt dicatur non esse vnum subiectum in vno, & alio problematum, videatis, an sane sit dictum, sequeretur maximum inconueniens contra fidem. nam sequeretur aliam esse fidem euangeliorum a symbolo. Secundo, quod propositio illa: Quæcumque habet Pater, &c. non sequeretur ex^a symboli disciplina. In disciplina cunctis, esse, quod est vnus disciplina subiectum, non potest probare aliam proprietatem alicuius subiecti alterius disciplina. Si ergo vox hæc, Saluatoris, esset alterius obiecti, nihil concluderetur per exposita in symbolo. Hoc quam alienum sit a fide Christiana, paternitates vestræ vident. Et certe quod est præcipuum in fide, vel immediate a primis principiis, non potest dici extraneum, vel alienum. Nonne sumitur a doctrina euangelii? ergo euangelium est principium ad ea quæ sunt in symbolo: ergo est proprium principium, non alienum, & non extrinsecus. Hoc clarum est, euangelium esse symboli principium, quia apostoli exequi volentes Dei præceptum, vt omni

Concil. Tom. 33.

Y

* Post ex, sup-
plendum ea,
vt sensus sit:
Non sequere-
tur ex ea pro-
positione Sal-
uatoris. Ioan.
16. Quæcum-
que habet Pa-
ter, mea sunt
tamquam ex
principio, do-
ctrina & disci-
plina symboli,
vt hæc se
declarat Co-
llossen.

creatura euangelium prædicarent, vt pariter in euangelizando conuenirent, ex euangelio fecerunt symbolum, quod dicitur apostolorum. Sequitur ergo, quod verba euangelii non possunt dici extrinsecus a symbolo, intelligendo extrinsecum a sensu. Necessè est ergo quod extrinsecus intellexeritis secundo modo, videlicet quod non est ex voce propria, prout in symbolo ponitur. Sed ex hoc sequitur inconueniens aliud, quod symbolum factum ex fide

* scilicet, ex fide tradita per Christum in euangelio.

Christi, factum sit per additionem: quod vos negatis. Nil etiam est in symbolo positum per Concilia, quod * immediate reperiatur in symbolo apostolorum. Nicænum Concilium declarauit consubstantialem, quod non inueniebatur in symbolo quoad verba, nec sequebatur immediate ex aliquo posito in symbolo. Nam si ex aliquo sequeretur, ex illo sumeretur, a Patre genitum: sed ex hoc non sequitur absolute, quia Arius dicebat: Dato quod Pater Filium genuerit, non sequitur ergo consubstantialis. Nam sol hominem generat, non tamen substantiam cum homine communicat: non sequitur, genitus a Patre; ergo consubstantialis. Oportet doctrinam euangelii capere, illam videlicet: *Ego & Pater unum sumus.* ex qua concluditur consubstantialitas. Sed talis modus dicendi, secundum vos, extrinsecus venit: ergo est additio. Hoc idem in Constantinopolitano symbolo. Nam dicere Spiritum sanctum dominum & viuificantem, cum non fuerat vox talis in symbolo, nec ex aliquo immediato sequitur, cum non inferatur Spiritus: ergo dominus. Tamen patres illi concluderunt dominum & viuificantem esse, ex euangelio rem ipsam fumentes, aut ex principiis primis: & tamen secundum vos sequeretur esse per additamentum. Et quia quod sequitur per additamentum, est aliud quam principium, quomodo saluabimus Ephesini dictum, qui interrogatus a nobis, cur de Constantinopolitano symbolo mentio facta non extitit, dixit, & recte, quia idem erat. quæ quidem veritas stare non posset, si dicatur extrinsecus illud, quo mediante, aliquid inducitur declarationis in symbolo. Aduertite quæso inconueniens, quod in tota philosophia daretur ex hoc, cum in omni scientia contingit fieri demonstrationes, quæ fiunt per quod est esse rei, demonstrando proprietatem de proprio subiecto: & cum tale

Ioan. 10.

ANNO
CHRISTI
1439.

* id est,
explicite

ANNO
CHRISTI
1458.

quod quid est esse rei, nec in voce conuenit cum subiecto, nec in prædicato, nec in conceptu, vt Aristoteles 7. metaphysicorum probat, sequitur hoc inconueniens in philosophia, quod proprietas alicuius subiecti fiet per extrinsecum, & in esse subiecto per extrinsecum: quod tamen falsum est, & arbitror vos non negare doctrinam sanctorum, eorum maxime, qui approbati sunt per Concilia: cum de fide & religione Christiana quid docent, nil docent quod sit extrinsecum a fide. Nam cum doctrina Christianorum theologiæ subsit, cum allegatur quis doctor, pertinentissime allegatur: & nullatenus alienus a doctorum illorum numero est beatus Basilius, qui scribens ad fratrem Gregorium Nyssenum^a dicit: Quicumque intelligit Spiritum, intelligit & similiter comprehendit illum ex quo est: intellectu Spiritu, intelligitur & ille cuius Spiritus est, & quia Christi est Spiritus^b: & cum intelligitur Spiritus in symbolo, intelligitur Filius^c. Ex hoc datur intelligi, quod auctoritas illa Saluatoris, *Quæcumque habet Pater*, &c. non dicitur quid extrinsecus continere: alias sequeretur, quod omnia illa quibus vsi sunt patres in declaratione symboli, essent additiones: & cum illæ additiones non prohiberint, quod non dicatur vnum & idem symbolum, cur in casu nostro non dicimus, dicere Spiritum procedere a Filio, intelligi illico ex quo procedit a Patre^d? Nec est necessarium, cum dicitur quod aliquid includitur in alio, quod debeat esse idem penitus: imo sæpe contingit, quod conueniunt in vno, & disconueniunt in alio, vt genus cum specie: & licet explicans species, aliam vocem habet, nemo philosophus diceret, additiones esse genus & species correlatiuas, & econtra, si se habent, quod vno posito, aliud intelligatur, & nihilo minus illa distinguuntur numero, specie, vocabulis. Cum ergo in casu nostro res vnius substantiæ sint omnino eadem, præterquam proprietates constitutiæ: non est dicere habere quid extrinsecus, si inferatur vnum ex altero. Dico igitur ex his, propositionem declarantem Spiritum sanctum procedere a Filio, nullatenus extrinsecum posse dici, si ex verbis Christi illud suscipitur. Et cum admirationem suscipitis, quia diximus ex theologiæ principiis sequi, Spiritum sanctum a Filio procedere, minime mirandum est: sed nos

^a Epist. 49. circa medium.

^b Et quia Christi est Spiritus. hucusque verba Basili.

^c a quo scilicet procedit. Ioan. 16.

^d Quia procedendo a Patre, habet omnia quæ habet Pater: habet quod procedat ab eo Spiritus, ergo hoc idem habet & Filius.

ipſos admirari conuenit, ſi admirationem ſuſcipitis. Nam hoc ſolo breui diſcurſu luce clarius patet; quæcumque habet Pater, habet Filius: ſed procedere Spiritum habet Pater; habet ergo & Filius. Syllogiſmus hic eſt in prima figura & tertio modo: antecedens & maior conſeſſa eſt, & eſt Ioannis 16.

NICÆN. Auctoriſtatem Ioannis admittimus, ſed quod reducat ad ſenſum quem dicitis, dicimus vos dicere.

COLOSS. Si ſyllogiſmus admittitur, conſequentia negari non poteſt.

NICÆN. Dicite quid placet, quia ad ea non reſpondemus, quæ ad conſuſionem præſentem non faciunt: ſed profiteſtur hoc, hoc modo nunquam ad conſuſionem venturos. Nos quidem patienter audiemus expoſita, quoſque ad propoſitum veniatis.

COLOSS. Nonne quæ retuli, Saluatoris verba ſunt, & minor per euangelicum textum comprobatur? Ergo argumentum concludit per fidem. Niſi vos huiuſmodi principia negare velitis, luculenter oſtendam, quæ dicta ſunt, rem de qua agitur, pertinenter concernere.

NICÆN. Dicite prout placet: ſed rogamus, verbis honeſtis, nec aſſeratis nos fidei principium negare.

COLOSS. Cum vos audierim dixiſſe, gratias nobis aucturos, ſi a principiis fidei Spiritum a Filio procedere demonſtrarem; deſideraui id agere, vt condignas rependeretis grates.

NICÆN. Id diximus; ſed ſuo tempore id petiuimus reſeruari; rationi conſonum eſt vt ſeruetur.

COLOSS. Dicam quæ veſtro iudicio pertinentia ſunt, & liberum eſt reſpondere quod veritatem detegit. Dicit & ipſe Saluator a ſe procedere. Nam nil eſt aliud euangelicum illud, *Ex meo accipiet*, niſi Spiritum ex eo procedere, beato Epiphaniaſo teſte, cuius verba ſunt hæc.

*Hic deſunt breues quædam auctoriſtates ſancti
Epiphaniaſi^b.*

Et cum aſſeruiſtis, quod ſicut conſuſiones non adduntur principiis, ſic nec hæc additio fiet ſymbolo: dicimus quod absolute verum non eſt, quod principiis conſuſiones non addantur, quoniam in vna diſciplina ve-

^a Paulo ante hæc ipſa collatione.

Ioan. 16.

^b Clariffime id probat ſanctus Epiphaniaſus adu. hæref. lib. 1. hæf. 14. alias 74. a num. 7. ad 10. vnde videtur deſumptæ fuiſſe auctoriſtates, quæ hic deſunt.

ANNO
CHRISTI
1438.

niunt multiplicia principia, aliqua quæ non probantur in illa, vel quia per se nota sunt, vt in metaphysica; vel quia in alia doctrina probantur. Sunt alia quæ possunt demonstrari, & hæc possunt esse principia & conclusiones, vt in morali philosophia.

AND. His expositis, silentium factum est, & dominus cardinalis sic inquit.

CARD. Hora iam surgendi est, ac nocti parendi: vestro quæsito responsum dedimus. Dominus Colossensis non vt expositis responderet, hæc retulit quæ audistis: sed quia videbatur eidem aliter vos sumpsisse quæ dixerat, quam videretur expediens; visum est, vt ipse se declararet. Restat, vt scriptores conueniant ad diem Sabbati pro responsione nostra recipienda.

NICÆN. Dicimus, & dicemus vestræ paternitati, quod quæstio nostra in duobus consistit. Primo, si vestrum dogma verum sit, vel non; & veritate inuenta, an symbolo addi licuerit. Omnibus quidem notum est, vltimum præcedere primum. nam & dato dogmate vero, dicimus addere non licuisse. Modus discussionis habitus longus est: videtur ommissa discussione veritatis dogmatis, vt ad rem propositam veniamus; hoc videtur expediens isti rei. Nam ad ea quæ dicta sunt, non videtur satisfactum, nec interrogationi nostræ responsum.

CARD. Non pertinenter & bene quæsito dedi responsum?

NICÆN. Non expectauimus vestræ paternitatis responsionem^a, satisfactionem quæsitæ, & illa audita, quæ intendimus comprobare, si verba domini Colossensis impedimento non fuissent.

CARD. Duabus diebus cum orationem feceritis, quod ad interrogationem vnâ perturbaretur dicendi modus^b, vel alteraretur data dicendi forma, iustum non est; die Sabbati respondebitur per vos expositis, demumve paritate seruata, ad breuia quæsitæ breuia responsa dentur.

AND. Hora iam 22. his expositis assurreximus cuncti.

NOTÆ AD OCTAVAM COLLATIONEM.

^a *Dicimus.*] Vides lector, quod cardinalis immediate & directe responderet quæsitæ Nicæni clare & breuiter; noluit autem responsio-

Y iij

^a Loquitur de responsione data supra a cardinali, de qua plura dicimus in nota huius collationis, quam voluit Nicænus in hac eadē collatione discutere: cui optime respondet cardinalis, quod propter eius interrogationem nō erat modus dicendi perturbandus.
^b Duabus diebus fuerant dicta plura de processione Spiritus sancti: necesse fuit quod super his aliqua diceret Colossensis iuxta formam consentam, non autem hæc omittere propter interrogationem supra factam a Nicæno, de qua in prima nota huius collationis dicimus.

nem suam dilatare in hac collatione, quia prius voluit Colossensem respondere ad dicta a Græcis in prioribus collationibus, dicens hic, vt iterum replicat in fine huius collationis, suam responsionem ad quæsitum Nicæni dilatandam fore & probandam, vt re vera præstitit Foroliuensis in sequenti collatione, & ipse cardinalis collatione decima & duodecima, vbi incipit; *Notetis*: & 13. vbi incipit; *Ego allego*: demonstrando quod additio prohibita refertur ad omnes definitiones, quia prohibetur solum dogma contrarium fidei, non autem declaratio: quia tunc non est additio, sed maior extensio. At vero Græcus scriptor, vel eius scriptorum corruptor, sessione nona, quæ huic collationi correspondet, post consultationem deputatorum cum summo pontifice, non refert responsionem cardinalis quæsitio Nicæni, neque promissionem eiusdem de eadem responsione comprobanda in sequentibus: sed dicit, *nullam datam responsionem quæsitio Nicæni, & Colossensem euagatum extra propositum: quia, inquit, non suppetebant illi aptæ responsiones*. Sic scriptor mutilus, vel eius scriptorum corruptor, & iudex non constitutus.

Hanc cardinalis responsionem, vt optimam, inseruit postea Bessarion in opusculo ad Lafcharim cap. 3. in fine huius operis exhibitio.

Hinc apparet non esse plenam fidem adhibendam eidem scriptori, vel eius scriptorum corruptori, dum sessione sexta perbreuem & insufficientem eiusdem cardinalis Cæsarini refert responsionem ad dicta Ephesini improbantis octauam œcumenicam Synodum, in qua Photius schismaticus eius antesignanus fuerat condemnatus, quam amplioem & fortioem optasset Baronius tom. 10. anno 869. num. 61. Quamuis alio etiam ex capite excusari possit cardinalis, vt idem ipse ibidem innuit. non enim tempus erat, vel opportunitas disputandi de octaua Synodo, sed de additione, Filioque, in symbolo.

² *Tangebant.*] Græci enim, vt supra, institerunt, vt prius ageretur, vtrum fuerit licitum addere symbolo, quam vtrum sit vera propositio, ex Patre Filioque: & resistebant, vt de hoc ageretur.

COLLATIO NONA.

DIE VIII. NOVEMBRIS.

Additionem, Filioque, non esse vere & proprie additionem, neque esse prohibitam.

AND. **C**ONVENERAT cœtus sacer, cunctisque expectantibus, quæ exponeret episcopus Foroliuensis ex Latinis deputatus tertius, his verbis exorsus est.

FOROLIV. Ad ea quæ dicta sunt per nos, reuerendissimi patres orientales, primo per modum præambuli tria per vos proposita commemorabo. Audiuius ab initio vestræ colloquutionis dicentes, non debere nos huic rei in-

ANNO
CHRISTI
1438.

fistere, aut studere vt vincat vna pars alteram, vt nos inuicem superare contendamus; sed tantummodo menti esse nobis, vt puram & sinceram fidei veritatem clare & aperte in medium deducamus. Quod vtique approbauimus & nos ipsi, & cum omni studio & cura sequi volumus: quia sicut in epistola ^a diuus Hieronymus dicit, nunquam errat dubitatio quæ sequitur veritatem. Imo etiam ipsa veritas, & præsertim diuina veritas sanctæ fidei, homines valde distantes regione, moribus & lingua, imo & separatos congregat & colligit in vnum, sicut magnus ille Areopagita manifestat in libro de diuinis nominibus ^b, dicens: Fides est vnicum credentium fundamentum, eos colligans in veritate. Ipsa enim est scientia adiuuatricis cognoscentium & cognitorum. Igitur si optamus, si intendimus, si studemus ad hanc sanctam vnionem, mentem realem & constantem procurare oportet, vt animorum sensu conuenientes, in ipsa veritate vniamur. Secundo, per vos prædictum est, quod quidquid per nos tractandum est & ratione discutiendum, cum patientia & mansuetudine & tranquillitate tractetur. Et hoc vtique magnam in corde meo induxit lætitiã, adeo vt cum Propheta dicere possem, cum hoc a te, domine Nicæne, intellexi: *Dedisti lætitiã in corde meo.* quia sicut scribit Paulus 2. ad ^c Timoth. epist. *Seruum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docilem; patientem cum modestia, &c.* Tertio dixistis, quod seruare intendo & delectat, bonum & rationabile esse, vt allegationes, responsiones & rationes nostræ sint breues, cum breuitas ipsa & facilius apprehendatur ad intellectum, & memoriæ commendetur facilius. Quod vtique placet, si ita breues non sunt, quod sint obscuræ, & imperceptibiles euitetur: quia dicitur, obscurus sum, cum breuis esse laboro. Precor, reuerendissimi patres, vt non exigatis a me duo impossibilia, scilicet vt sim breuis, & vt respondeam ad omnia per vos dicta. Respondebo igitur ad principalia, & sequar ordinem vestrum in respondendo. Primo ^e proposuistis duabus præcedentibus collationibus, ^d in hac responsione (quia sic rationabile nobis videtur) aliqua concedemus per vos dicta, nonnulla negabimus, & rationabiliter & iuste rationem in medio deducentes, aliqua declarabimus, ad quæ-

^a Tom. 1. epist. ad Celantium num. 14.

^b Ex cap. 7.

^c Psal. 4. cap. 2.

^e Exposuistis, & respondistis.

^d Eius igitur responsionis vestræ.

^a Summatim.
vide notam 1.
huius collatio-
nis.
^b Sequens igitur
ordinem
responsionum
veterum.

dam vero non dabimus extensam responſionem, ſed bre-
uem, & ſub quodam inuolucro ^a. Nec dubito quod vos
peroptime ſic iudicabitis faciendum, ^b ſequens in nomine
Domini. Ad hæc ſex dicta principalia reſpondeo. Ipſa ve-
ſtra propoſitio incipit ſic: Cum vos audierimus, &c. Quan-
tum ad hanc partem, dicimus, quod bene ſeruaſtis ratio-
nem exordiorum. Sequitur initium veſtræ controuerſiæ
hanc particulam, Filioque, eſſe additionem extrinſecus
factam, & per conſequens prohibitam dicitis ſic ad lite-
ram. Hoc licet eſſet verum & rectum, non licet addere,
cum & multa, quæ & vera & neceſſaria ſunt & declara-
ta, tamen non fuerunt addita, nec in ſymbolo poſita, cum
hoc non liceat: & poſtea per interiectionem multorum
ſermonum, quos ego ſummatim explicabo, concluditis.
Quare cum ſit demonſtratum, additionem eſſe prohibi-
tam, & probatum etiam, hoc eſſe additionem: ergo hoc
prohibetur. Huic omnino volumus reſpondere: & ne vi-
deamur dicta veſtra negligere, dico, quod in hac ſermo-
num interiectione vos primo commemoratis dicta per
reuerendum dominum archiepiſcopum Coloffenſem: &
dicitis velle reſpondere ad ea quæ faciunt ad propoſitum,
alia ad aliud tempus reſeruare. Et dicitis velle reſpondere,
& repetitis dicentes, quod ipſe uſus eſt quodam ſyllogi-
ſmo, & eſt verum, & quod vultis facere additionem de mi-
nori, & reſpondere ad ea quæ deduxit per continuatio-
nem illius, & formaſſe ſic ſyllogiſmum: Omne addita-
mentum extrinſecus fit, declaratio autem non eſt extrin-
ſecus: ergo declaratio non eſt additamentum. Hanc par-
tem dimittamus. Ipſe reuerendus dominus archiepiſco-
pus eximius doctor & profundus theologus eſt, & opti-
me arguebat. Ad ipſum initium controuerſiæ, cum di-
citis, hanc particulam, Filioque, eſſe additionem, &
eſſe prohibitam, manifeſte contradicimus, negando ip-
ſam eſſe proprie additionem, & negantes inſuper eam
eſſe prohibitam. & hoc volumus declarare per dicta ſan-
ctorum, & rationabiles declarationes. Quod non ſit pu-
re & ſimpliciter additio, declaratur ex habitu-
dine continentię virtualis teſtamenti noui & veteris, & ex or-
dinato ſucceſſu in expreſſione articulorum fidei. Et pri-
mo ſic, beatus Auguſtinus ^c contra Fauſtum expreſſe di-
cit:

^c Lib. 17. & 18.

cit:

ANNO
CHRISTI
1438.

cit : Christus non venit soluere legem , sed adimplere : non vt legi adderentur quæ aberant , sed vt fierent quæ scripta erant . quod eius verba testantur . Non enim ait , Iota vnum , vel vnus apex non præteribit a lege , nisi addantur quæ defunt : sed ait , Donec omnia fiant .

Item de catechizandis^a : In veteri testamento est occulatio noui ; in nouo testamento est manifestatio veteris .

Item in quæstionibus^b noui & veteris testamenti , cum dicitur in euangelio^c , *Audistis quæ dicta sunt* , &c. *Ego autem dico vobis , non resistere malo* : non aliud voluit , quam quod lex id sensu habuerit . Et super illud Ezechielis :

^d *Sicut rota in medio rotæ* , Gregorius^e ad literam : Rota in rota , nouum testamentum in veteri . Item glossa ordinaria super Matthæum capite quinto , in illis verbis ; *Non veni soluere legem* ; ait : Euangelium est recapitulatio veteris legis . Constat , quod recapitulatio non est additio . Si igitur secundum Augustinum , tanta mysteriorum copia noui testamenti , quia includebatur implicite in veteri , non dicitur additio secundum sensum , non mirum , si illius articuli expressio non dicatur proprie additio secundum sensum , sed potius impliciti explicatio . Dico hoc idem ex ordinato successu articulorum fidei . Nam sicut dicit Augustinus^f , tempora sunt mutata , non fides : eadem enim patrum præcedentium & sequentium fides .

Nam & qui præibant , & qui sequebantur , clamabant : *Benedictus qui venit* , &c. Sed tamen in articulis facta est impliciti explicatio , & indeterminati determinatio . unde circa reparationem nostræ fidei & salutis magis quam veteris licuerunt . Abrahæ facta est implicite explicatio Genesis vigesimo secundo , cum ei dictum : *In semine tuo benedicentur omnes gentes* . Adhuc Isaia septimo maior explicatio facta est in illis verbis : *Ecce virgo concipiet , & pariet filium* . & tandem maior explicatio facta est per angelum ipsi virgini quærenti modum , cui sic expressum est : *Spiritus sanctus superueniet in te* . Et ita fuit circa articulum de Spiritu sancto , quod primo tantum confitebatur ecclesia tempore apostolorum : Credo in Spiritum sanctum . Et cum postea ecclesia dixit in symbolo , Ex Patre procedentem , non fuit noui additio , sed eiusdem expressa explicatio . Et sic cum postea expressum est ,

Concil. Tom. 33.

Z

^a Lib. de catechizandis rudibus.

^b Quæst. 69.

^c Matth. 5. Oculum pro oculo , dentem pro dente.

^d Ezech. cap. 5.
^e Lib. 1. in Ezech. hom. 6.

^f In psal. 50.

Matth. 21.

Luc. 1.

* In expositione prologi lib. r. sententiarum, dub. 2. vocat eum dominum, quia nondum erat canonizatus.

& ex Filio, non fuit novi articuli appositio, sed eiusdem articuli magis determinata explicatio. Negamus omnino huiusmodi additionem esse prohibitam. nam vt optime distinguit dominus Bonauentura* optimus theologus, triplex in scriptura inuenitur additio. Vna, in qua additum est contrarium: alia, in qua additum est diuersum: alia, in qua additum est consonum. Illa prima, scilicet cum additum est contrarium, est error & hæreticum: vt si quis diceret in diuinis Patrem genitum, aut Patrem natum, aut Filium ingenitum, aut Spiritum sanctum a nullo procedentem, seu creatum. Secunda additio est, cum quod additum, est valde diuersum: & hæc additio est præsumptuosa & temeraria, quia temeritatis & præsumptionis est, in veritatibus fidei & sacræ scripturæ aliquid diuersum dicere: vt si quis in diuinis diceret, Patrem geometram, Filium arithmeticum, Spiritum astrologum: licet sic dicendo non multum recederet a veritate, cum quælibet persona diuina sit omnipotens & omnia sciens: tamen quia modus dicendi est diuersus a modo dicendi & sanctorum & scripturæ, propterea tales diuersas locutiones præsumptioni adscribimus. Tertia vero additio, vt si dicam in diuinis, Patrem omnipotentem, Filium consubstantialem, Spiritum sanctum procedentem: & hæc est piorum & catholicorum. est enim fidelis instructionis: quia quod implicite inest, explicat. Illæ autem præadductæ duæ additiones, scilicet vbi additum est contrarium aut diuersum, omnino prohibentur sub grauissimarum comminatione pœnarum. Vnde Apocalypsis vltimo capite dicitur: Si quis apposuerit ad hoc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Illa vero additio, in qua additum est consonum & conueniens, non prohibetur in scripturis, imo laudatur & remuneratur a saluatore nostro dicente: *Quodcumque supererogaueris, ego reddam tibi.* Et in Ecclesiastico: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Nunc ad propositum dico, quod in hac verbali additione nec est additum contrarium, nec diuersum; & non est ex suo genere prohibita: imo additum est consonum & conueniens. Vnde apostoli dicentes in symbolo, Credo in Spiritum sanctum, patet, quod non fecerunt expressionem de processione eius,

Luc. 10.

Ecclesi. 24.

ANNO
CHRISTI
1438.

nec ex Patre, nec ex Filio. Postea sancti patres, vt occurrerent & obuiarent erroribus prauisve dogmatibus hæreticorum, expresserunt ex Patre, veluti consonum fidei apostolorum; & in eorum ^a simbolo apposuerunt: & sic consequenter posteriores patres processionem eius ex Filio, vt consonam simbolo fidei, expresserunt. Hic non me extendo ad declarandum, quod huiusmodi expressio, Filioque, sit consona & conueniens fidei, & professioni & simbolo patrum, ne dicere possitis, quod ego exeam propositum: sed cum volueritis, sum paratus, & iam hic seorsum notauit: & si volueritis, antequam exeamus hinc, explicabo. Sic igitur patet cuicumque rationabiliter videre volenti veritatem, expressionem illam, Filioque, non esse proprie simpliciter additionem, nec vlllo pacto esse prohibitam. & hoc pro nunc sufficiat ad responsionem vestræ principalis controuersia. Intremus nunc profundius illius controuersia radicale fundamentum, quia contrariatis nobis omnino, sentientes quod nullo modo licuerit addere nec clausulam, nec dictionem, nec syllabam; vbi quatuor circa fundamentum ponitis. Primo motuum patrum: secundo vnam rationem: tertio vnam auctoritatem beati Cyrilli: ^b quarto de verisimili. Primo dicitis ad tam solennem prohibitionem fuisse commotos patres tertii Concilii, vt remouerent a fidelibus licentiam non vtilem, imo damnosam. Sed circa huiusmodi licentiam dicitis vnum, quod mihi non videtur verisimile, salua reuerentia. Dicitis enim quod licebat a principio religionis & fidei solum declarare, exponere & extendere quæ implicite erant contenta in sacra scriptura^c. Hoc solum illis veteribus patribus licebat facere, & vt volebant illas declarationes ponere in simbolo, & vbiicumque, præter in textu sacra scriptura: & postea hæc licentia partim fuit prohibita^d, partim autem relicta, scilicet declarare & extendere illa quæ continentur in sacra scriptura^e. hoc enim nunquam fuit prohibitum, nec in futurum prohibebitur. Et dico, quod non videtur mihi verisimile, quod illis patribus liceret vt declarationibus, vt volebant, & ponere in simbolo fidei, nisi essent congregati in Concilio generali: quia dicit sanctus Thomas^f de Aquino, quod nunquam fuit facta noua editio symboli fidei, nisi in Concilio generali: & loquitur de quo-

^a A se composito in Concilio Constanti-nopolitano.

^b Græcus festo sic. Quartum argumentum ex consuetudine ducebatur.

^c & addere in simbolo.

^d addendi scilicet in simbolo.

^e extra symbolum.

^f 1. 2. q. 1. ar. 10.

Concil. Tom. 33.

Z ij

cumque symbolo, quod fuit commune ecclesie symbolum. hoc præmissis, sequar illa quatuor. Primum est istud, quod cum vsque ad secundum œcumenicum Concilium liceret patribus vti tali licentia ad libitum, post illud Concilium, quia nonnulli vsi sunt tali licentia in malum proprium, qui fabricabant symbola, in quibus seminabant contraria fidei dogmata: cum patres tertii Concilii vidissent, quod talis licentia nil lucri operabatur fidelibus, sed detrimentum magnum, cum liceret cuilibet addere, eam licentiam abstulerunt. Certe hoc non videtur verisimile, nisi intelligatur de licentia vsurpata, quam hæretici & præsumptuosi sibi vsurpant, de qua valde congrue potest intelligi illud dictum: Deteriores omnes sumus licentia. Et in hoc valet motiuum vestrum, cum dicitis, patres propterea figillasse & diffinisse, quod de cetero non liceret aliquid in symbolo addere. Sequitur secunda vestra ratio, quia non licendo addere symbolo, nullum potest inferri detrimentum fidelibus, cum profiteantur fidem illam quam tenebant primi illi patres, quos nemo, nisi insanus, de fide non perfecta inculpare posset. Sed data licentia addendi in symbolo prout quisque vellet, poterit multum detrimenti fidelibus inferri; cum per transmutationem syllabarum posset error in ecclesiam induci. Hanc rationem cum benigna supportatione dicimus aliquantulum claudicare: quod vere ^a statim ostendemus. Sequitur auctoritas Cyrilli, & argumentum: sed quia omnia ista facilius soluentur euerso fundamento, venio ad hoc ipsum. Vnde hoc expresse asserimus, quod cum magis respiciendum sit ad medullam, quam ad corticem; & ad intentionem principalem legislatoris, quam ad superficiem verborum & literarum, & illa prohibitio sit lex ecclesie; dico quod debet intelligi secundum intentionem eorum qui huiusmodi legem ediderunt & confirmarunt. Ipsi autem patres intendunt prohibere principaliter professionem & fidem contrariam & dissonam & diuersam a fide patrum: & propterea sicut dicit dominus Bonauentura ^b, secundum veritatem ex vi mutationis, sententia quæ ponitur in prohibitione patrum, non se extendit nisi ad contraria dicentes, & ad illos qui intentione confundendi & diuersificandi, & pollutam faciendi puram & sanctam fi-

^a Paulo infra
hac eadem
collatione.

^b Lib. 1. sententiarum, art. 1. quart. 1.

ANNO
CHRISTI
1438.

dem patrum, audent immutare, addere, vel subtrahere clausulam, additionem vel syllabam: sed hac prohibitione non prohibetur vlla ætate, etiam in fine sæculorum, imo nec prohiberi potest, quin semper liceat ecclesiæ vniuersali, in generali & legitimo Concilio auctoritate debita congregato, & capiti & principi ecclesiæ habenti in se vniuersalem plenitudinem potestatis totius ecclesiæ, pro legitimis causis, ad obuiandum erroribus & hæresibus emergentibus, nouam declarationem alicuius partis symboli facere, consonam fidei patrum, & in symbolo apponere. Et quis sanæ mentis habet dubitare, si immineret necessitas, quod magna Christianorum multitudo laberetur in hæresim circa sacramentum altaris, quod sicut in symbolo fuit appositum per patres; Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum; quin posset ecclesia apponere: Confiteor eucharistiæ sacramentum ad salutem animarum: & similiter dictionem illam *θεοτοκος*, id est Dei genitrix, si necessarium videretur, dicendo: Et incarnatus est ex Maria virgine, quæ vere est Dei genitrix, & homo factus est. Verum illud confitemur, quod nulli priuatæ personæ, aut priuatæ congregationi, aut priuatæ ecclesiæ id liceret. Et hæc duo dicimus, illam prohibitionem referri debere ad priuatos homines, & ad illos qui praua intentione id facere attentarent. Vnde sicut dicit dominus Bonauentura^a, non fuit illorum patrum qui hanc prohibitionem fecerunt, intentio præcludendi viam aliis patribus ecclesiæ sequentibus, ad explanationem fidei faciendam maiorem, si Deus illos illuminaret, vt viderent esse necessarium. Imo plus dicit dominus Bonauentura, quod si hac^b intentione dixissent, constat quod non bene moti fuissent, & eorum sententia merito esset abolenda. Sed quod patres illi habuerint in illa prohibitionem illam sanam & rectam intentionem quam prædiximus, hoc ipsum volumus ostendere ex his quæ habemus in actis sanctorum Conciliorum, maxime tertiæ Synodi, & exemplis patrum qui illo tempore fuerunt. Conuenientibus namque episcopis in Epheso^b, & vocato Nestorio contumace, dixerunt quod secundum morem legatur fides patrum Nicææ, quatenus huic expositioni collatis de fide sermonibus, consonantes quidem confirmantur, discrepantes eiiciantur. Vn-

^a Loco supra cit. hæc eadem collatione, qui fuit canonizatus post Eugenium a Sixto IV. ideo vocat dominum.

^b Concilii Ephesici act. 6.

de patet, quod intentio Synodi est, quod illa fides probe-
tur, quæ vera; & quæ discrepat, reiiciatur. Et per hoc pa-
tet quid significant illa verba: Nulli liceat aliam fidem pro-
ferre ab ea quæ necessario diffinita est; id est, discrepan-
tem & contrariam. & deinde lectum fuit symbolum Syno-
di Nicænæ: Credo in Deum. Postea fuit lecta epistola Cy-
rilli ad Nestorium, in qua recitat aliqua symboli Nicæni,
& exponit, & declarat Christum Deum & hominem
non in duabus, sed vna persona natum ex Maria virgine.
& probat eam Dei genitricem, adducens testimonia sa-
cræ scripturæ: & contestatur Nestorium, vt & ipse sapiat
quæ in hac epistola dicit. Lecta prædicta epistola, quæ in-
cipit, Obloquuntur quidam de me, Cyrillus dicit: Hæc
scripsi Nestorio, defendens rectam fidem. Certus autem
sum, quod in nullo egressus inuenior a recta fidei ratione,
aut prætermisi expositum a Synodo Nicæna symbolum:
& peto vt dicatis, an recte & irreprehensibiliter, & con-
sonanter dixerim illi Synodo. Dixit Synodus: Nullam in-
nouationem seu nouitatem intulit Cyrillus, & quæcum-
que in Nicæa dicta sunt, epistola Cyrilli latius exposuit,
& apertius, & manifestius. Et quod hæc epistola multam
lucem præbet ad comprehensionem intelligentiæ dicto-
rum in ipsa Nicæna Synodo, confitenturque eadem sapere
dictam epistolam Cyrilli cum symbolo Nicæno. Lecta fuit
deinde epistola Nestorii ad Cyrillum, in qua dicit beatam
Mariam non esse Dei genitricem, & inducit quædam di-
cta sacræ scripturæ. Ad hæc Cyrillus interrogat patres, an
litera Nestorii sit consona fidei Nicææ. Responderunt pa-
tres: Non est consona, sed aliena ab orthodoxa fide, & re-
pugnans omnino fidei expositæ in Nicæa, & dissentiens
a fide Nicæna & ab epistola Cyrilli, & aduersa non solum
fidei Nicææ & Cyrilli epistolæ, sed nec sibiipso conue-
niens. Item quod extranea a veritate, & contraria a fide
Nicææ, & a recta fide. Exclamauit Synodus: Recta fides
anathematizat Nestorium, & exclamat impiam fidem &
dogma & sectam Nestorii. Ex hoc aperte patet, quæ sit in-
tentio Synodi, quæ postea fert sententiam prohibitiuam,
quod nulli liceat proferre aliam fidem quam in Nicæa: vi-
delicet, quod nulli liceat proferre fidem contrariam &
dissonantem, seu alienam vel extraneam a veritate & a

vera fide. Vnde hoc verbum, *aliam*, secundum intentionem Synodi significat contrarietatem & dissonantiam, non aliam expositionem eiusdem fidei consonantem veritati & rectæ fidei, quia Cyrillus latius & apertius declaravit & exposuit fidem Nicænam: & quia veritati & fidei consonantia dixit, iudicatus est eadem sapere cum fide & symbolo Nicæno. Idem patet expressius in epistola quam Synodus postea scripsit ad imperatorem^a, referendo quæ gesta erant in Synodo; & dicit: Epistolas Cyrilli inuenimus consonantes dogmatibus & intellectibus, & in nullo aliena eius dicta ab expositione fidei, quæ ab apostolis & patribus Nicææ tradita sunt. Dogmata vero Nestorii inuenimus repugnantia sanctis patribus, & penitus contraria catholicæ fidei. Postea fuit lecta epistola Cælestini papæ^b ad Nestorium, quæ incipit: Aliquantis diebus. & inter alia dicit: Quis vnquam non dignus est anathemate iudicatus, vel adiiciens, vel detrahens veræ fidei? Etenim ipsa fides tradita nobis ab apostolis nec augmentum, nec diminutionem recipit. Legimus in libris nostris, non addi oportere, nec detrahi. magna quidem & addentem & detrahentem pœna constringit. Vbi notandum est, quod ante Concilium Ephesinum^c erat prohibitum & pœnale, addere & detrudere fidei apostolicæ, etiam in symbolo apostolorum: & clare exponit ipse Cælestinus. Sed hac prohibitione non obstante, symbolo apostolorum aliqua addita sunt & detracta per symbolum Nicænum & Constantinopolitanum; vt illud: Descendit ad inferos: & tamen hoc non reprehenditur. Et tamen Cælestinus reprehendit Nestorium, quem dicit aliquid de symbolo apostolico detraxisse, videlicet *θεοτοκος*, id est, Dei genitrix: quod tamen non explicite, sed implicite continetur in symbolo apostolico. Huius autem ratio est, quia Nicæna & Constantinopolitana, & aliæ Synodi nil fidei apostolicæ addiderunt vel detraxerunt contra sanum intellectum & contra veritatem: sed Nestorius sic. Ex hoc apparet, quod addere vel detrudere quis prohibetur, quando contra verum intellectum, vel contra fidem rectam aliquid addit vel detrahit. Et ex hoc soluitur omnis difficultas, quam vos patres orientales contra Latinos dicitis, qui addiderunt, (Filioque.) Non enim addiderunt contra verum intelle-

^aHabetur post actione 6. Concilii Ephesini inter epistolas catholicorum, & dirigitur Theodosio & Valentiano imperatoribus.

^bIn actis Concilii Ephesini par. 1. cap. 18.

^cCælestinus enim non loquitur de prohibitione Concilii Ephesini quod eius tempore celebrabatur, sed de anteriori, imo & hæc eius epistola data est ante celebrationem Ephesini, vt dicit Iul. card. infra collatione xi.

ctum symboli Constantinopolitani, nec contra veritatem, aut contra rectam fidem: maxime cum publice dixeritis, quod symbolum Constantinopolitanum & Nicænum idem sunt; & lecto vno, intelligitur & aliud: quia licet in verbis differant, non differunt in sensu & veritate. Et sic dicimus, quod symbolum Romanum est vnum cum Constantinopolitano & Nicæno symbolo, & lectis illis intelligitur & hoc lectum: & licet addere verbum verum, & non licet addere verbum quod discrepat a vero sensu & a recta fide. Et cum dicitis quod fuit prohibitum addere, respondetur: cum vos fateamini esse vnum & idem id, quod conuenit in sensu, quamuis differat in verbis: sequitur, quod proprie non est additio, sed vnum & idem, seu identitatis expressio. Sequitur in epistola Cælestini: Inter multa quæ impie prædicata vniuersalis recusat ecclesia, symbolo ab apostolis tradito plangimus hæc verba fuisse sublata^a, quæ nobis totius spem vitæ salutisque promittunt: videlicet, quod beata Maria sit Dei genitrix: quod tamen virtualiter tantum inerat symbolo apostolorum. Ex hoc etiam patet, quod symbolo apostolorum non licet detrahere: & tamen per patres Nicææ detractum^b est, videlicet: Descendit ad inferos. & qui detraxerunt, non negabant illam veritatem, nec illam impugnabant, sicut Nestorius impugnabat, quod Maria esset mater Dei. Postea monet Nestorium Cælestinus, vt nisi intra decem dies reuocet errorem suum, & prædicet de Christo, quod vniuersalis ecclesia tenet, nouerit se ab ecclesiæ vnione deletum. Alia plura ex actis Conciliorum dicere possem, sed ad^c vltiora nostra festinat oratio. Redeamus ad id, vnde paululum digressi sumus, quantum ad processum vestræ orationis: non tamen recessimus a proposito, vt manifeste patet. Dicebamus, quod circa principale fundamentum, vbi fundatis contradictionem, adducendo motiua patrum, opponitis illam rationem, quam diximus nos ostenduros aliquantulum claudicare. Et re vera ita est, arguitis sic: si liceret addere symbolo, multum detrimentum posset inferri. Dico hoc esse falsum, imo id sequeretur, si non liceret vniuersali ecclesiæ, aut principi ecclesiæ, in quo est plenitudo potestatis & auctoritatis totius ecclesiæ. Si enim non licuisset patribus ecclesiæ addere symbolo apostolorum

^a Nestorio scilicet, qui negando esse Dei genitricem, detrahebat a symbolo quod simpliciter in eo continebatur.

^b Id est, ea verba non intererunt in symbolo ab eis composito.

^c Quæ hic sequuntur vsq; ad finem huius collationis, & ab initio sequentis vsque ad medium, nimirum vsque ad dicta Iuliani cardinalis, desiderantur apud Græcum scriptorem sessione 10. & 11. quæ his collation. correspondent, vt in fine eiusdem sessionis 10. notatur.

ANNO
CHRISTE
1458.

rum per Christum generatorum, magnum ecclesia fuisset passa detrimentum: & sic, si non licuisset aliis Conciliis. Et cum additis in argumento, quod data licentia, quod quisque posset addere in symbolo, possent fidelibus detrimenta inferri, cum per mutationem syllabarum posset error in ecclesiam induci; & videmini multum timere istas syllabas: dicimus, quod receditis de medio, & saltatis de extremo ad extremum, ac si esset necessarium alterum duorum, aut quod negetur hæc licentia omnibus, etiam vniuersali ecclesie, & vniuersalibus Synodis; aut quod vnicuique priuato hæc licentia passim concedatur. Dicitis ad literam sic, videlicet, data licentia quod quisque posset addere in symbolo, sequeretur inconueniens. Dicimus, quod hoc non oportet, neque vnquam fuit licitum, sed hoc laudabile & honestum medium, videlicet, vt non detur hæc licentia particularibus personis, & tamen quod ab vniuersalis ecclesie principe minime auferatur. Tertio arguitis auctoritate Cyrilli^a ad Acacium, vbi dicit: Sancta & œcumenica Synodus quæ Ephesi conuenit, necessario prouidit, non debere aliam fidei expositionem in ecclesiam Dei inferri præter existentem, quam venerabiles patres nostri, qui Spiritu sancto loquebantur, de fide terminarunt. Et vos notatis prohibitoria. Primo, quod tertia Synodus prohibuit addere: tamen non dicit sic textus, sed dicit non debere aliam fidei expositionem in Dei ecclesiam inferri. Secundo notatis verbum, necessario prouidit; id est, ad salutis necessitatem, qua piissima mater ecclesia contra imminetia pericula & insurgentes hæreses prouidit, vt potuit, remedio opportuno. Domine Nicæne notatis & dicitis, quod non prohibetur alterius fidei expositio, sed ipsius fidei altera expositio: vbi dicimus, quod primam partem dicti vestri simpliciter negamus, scilicet, quod non sit prohibita alterius fidei, scilicet a fide patrum expositio: imo semper fuit prohibita, & semper erit. Secundam vero partem, quæ sequitur literam Cyrilli, qua prohibetur ipsius fidei altera expositio, fatemur de illa quæ est diuersa, discors & discrepans ab expositione patrum.

CARD. Patres, nos habemus vnum dubium, quia vos dicitis certa verba in epistola Cyrilli, vbi nos non ita habemus, vellemus videre: legatur textus.

Concil. Tom. 33.

A a

^aIn actis Concilii Ephesini part. 1. cap. 11.

^a Cyrillus A-
cacium Domi-
no gaudere.
Res quidem
dulcis, &c.
Concilii E-
phesini part. 3.
cap. 35.

^b De sacrificio
capri essisarii
Lett. 16. Græce
ἀπομβανισμῶν,
in actis Con-
cilii Ephesini
part. 3. num.
16.

AND. Assurgens quidam e Latinis epistolam legit his ver-
bis. ^a Cyrillus in Domino gaudere. Res quidem dulcis salu-
tatio fratris, operæ precium, & omni ratione dignum, &c.

NICÆN. Nos non habemus istam, sed credimus quod
non sit contraria aliis. Nos habemus hic tres epistolas ad
Acacium. Vna tractat de sacrificio, quod apud veteres
vocatur ^b apombeanum, & incipit: Tuæ epistolæ.

AND. Continuauit dominus Foroliuensis.

FOROLIV. Denique circa tertium principale funda-
mentum cum nos contradictionis arguistis, quia ex quo
dicimus, ab initio ecclesiæ prohibitum fuisse contraria dog-
mata inferri: ergo aliquid aliud Synodus prohibet, scili-
cet mutationem dictionum & syllabarum. Sed non sunt
ita timendæ istæ syllabæ: hoc solutum est in euerfione fun-
damenti vestri.

NICÆN. Nos timemus vbi timendum est.

FOROLIV. Quod ibi dictum est, quod prohibetur ad-
ditio syllabarum & dictionum, intelligitur de his qui ani-
mo euertendi fidem hæc facerent. Præterea non est in-
conueniens eandem prohibitionem diuersis tempori-
bus innouari; imo plus beatus Paulus apostolus ad Galat.
I. dicit eandem prohibitionem, & repetit, dicens: *Licet
nos, aut angelus de cælo euangelizet vobis præterquam quod
euangelizauimus vobis, anathema sit.* & ibi sequitur: *Sicut
prædixi, & nunc iterum dico: Si quis vobis euangelizauerit
præter id quod accepistis, anathema sit.* Sequitur vestra prin-
cipalis corroboratio quædam de illa voce *θεοτόκος*, id est
Dei genitrix, de duabus naturis & operationibus in Chri-
sto. Ad quam veritatem ostendendam dixistis conuenif-
se patres Concilii sexti: & licet in symbolo contineantur,
non tamen ita clare: tamen noluerunt in symbolo pone-
re. Et propterea infertis, hinc sequi, nihil debere addi
in symbolo, nec quæ aperte & clare in ipso symbolo
sunt, nec quæ non ita clare sunt. Et confirmatis sic, quod
omnia illa Concilia quæ post tertium sunt secuta, ita fer-
uarunt, quartum videlicet, quintum & sextum & se-
ptimum. Hic respondemus, quod vtique hoc infertur,
quod non debet ex facili causâ, & sine magna necessitate
aliquid noui exprimi in symbolo communi fidei: sed quod
non possit ab vniuersali ecclesia pro necessariis causis,

& a principe ipsius ecclesiæ habente in se potestatem totius ecclesiæ, vt supra dictum est, non sequitur; & quia vultis inferre quod non in symbolo communi fidei, sed alibi debuissimus ponere illam particulam, & licitum fuisset: & propterea quamdam licentiam videmini concedere, eo quod omnes patres bene attribuerunt locum declarationibus & expositionibus, scilicet, vt scribantur in codicibus priuatis, non tamen quod in symbolo apponantur. Hinc vobis respōdemus, in magna parte fundantes nos in concessis a vobis. Dicitis in vna parte vestræ propositionis, quod ipsum symbolum propterea in magna obseruatione habendum est, quia in eo omnes fidei professores baptizabantur: & ex hoc infertis, quod nos in priuatis codicibus debuissimus ponere. Vbi nos oppositum inferimus, & iuste: quia quæ in priuatis codicibus apponuntur, non sic de facili veniunt ad notitiam simplicium qui baptizantur, sicut quæ sunt in symbolo: imo simplices potuissent credere, quod non esset verum, ex quo non ita publice in communi symbolo cantaretur de processu Spiritus sancti ex Filio, sicut de processu ex Patre. Sequitur quintum principale, vbi dicitis: Clamant patrum dicta sole clarius, & consonant eorū operationes. Nam cum multæ fuerunt necessitates, adhibuerunt remedium de declarationibus in priuatis declarationibus, non tamen posuerunt in symbolo. Dicimus vt supra, quod ex hoc bene infertur, quod non ex facili causâ, nisi imminente & urgente graui necessitate, non debet noua expressio fieri in symbolo: sed quod non posset fieri concurrentibus opportunis requisitis, istud negatur simpliciter, & sæpe negatum est. Illam vero excusationem quam facitis, auctoritatem magni Gregorii non facere ad nostrum propositum, bene ostendimus contrarium: & non turbemini, quia cum bona caritate dicam. Sextum principale verbum est quoddam obiectum contra argumentum domini mei Colossensis, vbi sic obiicitis. Cum argueret ex dissimilitudine vocis & idiomatis in prolatione symboli apud Græcos & Latinos, respondetis, & postea obiicitis, vel saltem nitimini: dicitis sic: In ipsa nostra difficultate dicimus non solum esse varias voces & dictiones, imo res differentes sensu. ^a nam cuiuscumque verbi, & sensus quidem. Nam dicere quod

^a Nam vnum quodque verbum habet suum sensum & significatū.

Spiritus sanctus procedat a Patre, atque quod procedat a Patre & Filio, sunt duæ diuersæ propositiones: unde videmini arguere logicaliter, & subtiliter, & inferre, quod istæ sunt duæ propositiones alterius sensus, scilicet, quod Spiritus sanctus procedat a Patre, & quod procedat a Patre & Filio, sunt duæ, quæ vna copula copulantur, & fit vna propositio, licet alio termino vtamini, sic fit vna ratio tantum. Volo vt propriis terminis logicalibus, non curans de rhetorica, quod fit vna propositio; & cū vultis inferre, quod sint diuersæ propositiones, quia habent diuersa contradictoria: quia huic, Spiritus procedit a Patre, contradicit propositio categorica, scilicet, Spiritus non procedit a Patre. Et licet in textu vestro non ponatis hanc particulam, oportet eam subintelligere, vt ratio vna sit apud logicos clara: & postea vultis quod illi propositioni copulatiuæ, scilicet, Spiritus sanctus procedit a Patre & Filio, duæ sint contradictoriæ^a, quarum vna est falsa secundum nos ambos, scilicet quod Spiritus sanctus non procedat a Patre: altera est vera secundum vos, scilicet, quod Spiritus sanctus non procedit a Filio. Ego non intendo vobis facere conuicium, sed cum scriptum sit ambobus existentibus amicis, sanctam amare veritatem, & in ore philosophorum, amicus Socrates, amicus Plato, magis amica veritas. Dico ad rationem vestram primo, quia vtimini logica: dico cum reuerentia, quod non vtimini vera logica: falsum assumitis, & contra regulas logicales dicitis hanc affirmatiuam, Spiritum procedere a Patre & a Filio, habere vnam negatiuam^b, scilicet, Spiritum non procedere a Patre, nec a Filio. cum reuerentia vestra non est ita. Contradictorium vnus copulatiuæ affirmatiuæ non est vna copulatiua facta ex partibus contradicentibus, imo est vna disiunctiua facta ex partibus contradicentibus. Et verbi gratia, nisi ita esset, tunc duo contradictoria adinuicem contradicentia essent simul falsa: quod non est verum; in^c vlla scientia hoc potest cadere. Probo assumptū, & sumo^d propositionē, Hic homo est lapis, & est animal: si sua contradictoria esset vna copulatiua facta ex partibus contradicentibus partibus affirmatiuæ, scilicet, hic homo non est lapis, nec animal: constat, quod vtraque^e non falsa, scilicet homo est lapis, & homo est animal: quia altera^f pars copula-

^a Sub vna scilicet copulatiua, vt subdit.

^b Sub vna scilicet copulatiua.

^c Pars scilicet copulatiuæ.

^d Subintelligitur tantum.

^e f. nulla

tiuæ est falsa^a. Et similiter alia copulatiua, Homo non est lapis, nec est animal, est falsa, quia habet alteram partem falsam, scilicet, Homo non est animal. Sed clarius. Volo accipere exemplum in diuinis. Accipio hanc copulatiuam, quæ falsa est, scilicet, Filius procedit a Patre & a Spiritu sancto: si hæc negatiua est illi contradicens, Filius non procedit a Patre, nec a Spiritu sancto; etiam hæc falsa est, quia alteram partem habet falsam, scilicet illam, quod Filius non procedat a Patre. Et tunc contra vos infertur ex dictis vestris, quod debetis negare duo contradictoria ad inuicem contradicentia, vt duo falsa. Probat. Nam vos negatis istam, Spiritus sanctus procedit a Patre & a Filio. Et similiter habetis negare istam, Spiritus non procedit a Patre & a Filio. Ergo si ratio vestra est bona, videatur quid sequitur.

^a Scilicet, homo est lapis.

AND. Hoc verbo dicto, arrisit: demum profecutus est sermonem suum.

FOROLIV. Audistis, reuerendissimi domini & patres. Ego non intrassem materiam logicalem, nisi vos intrauissetis; sed oportuit intrare. Nunc volo rationem vestræ theologiæ soluere, & volo saluare honorem reuerendi patris domini Colossensis in veritate, quia in illa parte optime dicebat. Quando vos, patres reuerendi, dicitis, quod ista est alia propositio, & habet alium sensum, scilicet, Spiritus sanctus procedit a Patre & Filio, ab ista, Spiritus procedit a Patre, quia alio modo verificatur vna quam alia: hoc concedimus, & verissimum est, & non est contra nos. Sed si sic intelligitis alia, quod sit alia & omnino impertinens, & quod non possit apud bene intelligentes immediate deduci vna ex altera, hoc vtique negamus, nec valet argumentum ex eo, quod alia propositio sit contradicens vni, & alia sit contradicens alteri. Verbi gratia a simili, primo in symbolo apostolorum circa articulum de Filio dicebatur: Et in Iesum Christum filium eius vnicum dominum nostrum. Sed ad obuiandum hæresi Arianorum, patres Nicæni addiderunt, genitum, non factum, consubstantialem Patri. Hæ duæ propositiones alio modo verificantur, & alia habent contradictoria. Nam Arius negasset contradictorium primæ, videlicet, Et in Iesum Christum vnicum dominum nostrum; & concessisset

contradictorium secundæ; quia negabat consubstantialem Patri. Secundo in articulo de Spiritu sancto in symbolo apostolorum non plus dicebatur, nisi, Credo in Spiritum sanctum: sed postea per patres Constantinopoli congregatos fuit additum, Dominum & viuificantem, ex Patre procedentem: & tamen constat, quod aliter verificatur vna, & aliter alia. Et alia est propositio contradicens vni, & alia alteri. Quibus non obstantibus, quia viderunt patres vnam ex alia sequi, expresserunt istas, scilicet; Genitum, non factum, consubstantialem, &c. Et dominum, & viuificantem, ex Patre procedentem: & posuerunt in symbolo. & ita concorditer sentiendum est de ista: Ex Patre Filioque procedit: vbi maxime saluatur dictum domini archiepiscopi Colossensis, cum inducebat de principiis & conclusionibus. Et non dubito vos scire, quod conclusiones & veritates sequentes ex principiis, sunt in duplici differentia. Quædam veritates sunt valde remotæ a principiis, nisi per multa media: sed quædam sunt veritates, quæ sunt ipsis principiis valde propinquæ, adeo quod videantur per se notariæ, & facile deduci ex per se notis, vt videantur inferri syllogismo imperceptibili. vt, verbi gratia: Omne quod continet tantum quantum pars, & amplius, est maius sua parte: omne totum est huiusmodi: ergo. Vnde dicit Aristoteles in princ. quod tentare demonstrare naturam esse, ridiculum est. Vbi dicunt expositores & doctores, quod Aristoteles notanter non dicit, naturam esse demonstrare, ridiculum est: sed dicit, tentare demonstrare, ridiculum est. Et ratio est, quia illa deductio demonstrationis, naturam esse, ita de facili fit, quodammodo syllogismo imperceptibili, vt conari ad illud, vt ad imperceptibile, cum notum sit, ridiculum sit. Nunc bene dicebat dominus Colossensis, quod ista veritas, quod Spiritus procedit a Patre, & quod procedit a Filio, non est de numero illarum veritatum quæ sunt remotissimæ a suis principiis, & quæ non possunt inferri, nisi per multa media; sed ex his quæ sunt propinquissimæ suis principiis, & facillima deductione ex principiis deducuntur. Et ideo patres in Nicæa, quia viderunt hanc veritatem, videlicet, Filium consubstantialem, non factum, sed ab æterno, facile deduci posse ex articulo de Filio po-

ANNO
CHRISTI
1438.

sito in symbolo apostolorum; ideo sine aliquo timore offendendi symbolum apostolorum, iucundissime & cum omni fiducia cantauerunt consubstantialem, &c. Et ita fecerunt in hoc articulo de Spiritu sancto patres in Constantinopoli, quia viderunt faciliter deduci posse, Spiritum procedere a Patre, non timuerunt symbolum apostolorum, in quo dicitur tantum, Credo in Spiritum sanctum: sed cum fiducia addiderunt, Dominum viuificantem, & ex Patre procedentem. Et similiter Latini videntes facillima deductione, Spiritum a Filio procedere, deduci posse ex eo quod dixerant apostoli & patres Nicæni, addiderunt symbolo. Et cum licentia domini nostri, ego alia die complebo responsum.

AND. His expositis, quisque intuebatur alterum, ex his quæ facundissime graui sermone a viro antiquo verbis conuenientissimis lætifve audierant.

NICÆN. Ea quæ vestra paternitas dixit, nos cum caritate audiuius, prout protulistis, & ad nullum perturbati fuimus. Gratias agimus paternitati vestræ & pro his quæ dixistis, & per quem modum, quoniam omnia fuerunt auditu nobis gratissima: sed & gratiora, prout arbitramur, recipietis responsa in diem alterum.

AND. His expositis, quisque surrexit pontificibus affurgentibus.

NOTÆ AD NONAM COLLATIONEM.

* *Respondebo.*] Verba inter loquendum ab Andrea confuse excepta Græcus scriptor sic adaptauit sessione 10. *Respondebo igitur ad grauiora, & sequar ordinem vestrum. Vos vestros sermones exposuistis 1. & 4. die Nouembris: responsonis autem vestræ (cum videatur rationi congrua) quadam suscipimus, quadam negamus. Cur ergo negemus, iustas & congruas causas afferentes, aliqua declarabimus; ad quadam vero haud prolixa utemur oratione, sed de omnibus summatim dicemus: nec dubito, quin vos etiam sitis hoc probaturi, & iusta ratione faciendum. Sequentes igitur ordinem sermonum vestrorum, in nomine Domini respondebo ad sex quadam generalia capita: & quidem proœmium spectat ad vos, quod omnibus cum caritate auditis, &c. Quod ad hoc attinet, nihil videtur nobis respondendum: rite enim & optime seruastis ordinem proœmiorum. Sequitur secundum caput controuersie, particulam hanc, ex Filio, esse additamentum extrinsecus. Hæc ille.*

* *Scripturis.*] Id est, non prohibetur in euangelio expressio articulorum fidei. ceterum ipsi sacræ scripturæ cur non possit fieri additio, vide infra collatione 14. num. 1. circa finem.

³ *Intentione.*] Sed hoc est impossibile, quia legitima Concilia huiusmodi non possunt errare, ut notatur in margine operum sancti Bonaventuræ Romæ impressorum. Potest etiam explicari, quod si hoc voluissent, eorum sententia non fuisset a sede apostolica approbata, sed abolita.

ANNO
CHRISTI
1438.

COLLATIO DECIMA.

DIE XI. NOVEMBRIS.

Additionem, Filioque, esse declarationem: Et prohibitionem de non addendo, intelligendam esse de non addendo contraria, non autem declaratoria.

AND. **C**ELEBRATIS sacris die II. Nouembris in conuentu, cum quilibet arrectis staret auribus, Foroliuensis, qui pristina in conuentione sermonem fecerat, continuauit his verbis.

FOROLIV. Dei gratia, & cum benedictione domini nostri, ero hodie breuissimus & clarissimus. Die Sabbati, reuerendi patres, terminauimus sermones in illa parte vestri sermonis, vbi opponeratis, dicendo, quod in hac propositione, Spiritus sanctus procedit a Patre; & in ista, procedit a Patre & a Filio, non solum sunt variæ voces & dictiones, imo & res differentes sensu, &c. vbi quod diximus audistis, & plures scripserunt. Procedamus ad vltiora. Sequuntur in vestra propositione hæc sex quæ vos dicitis de principiis. Dicitis sic: Principium, & quæ post principium sunt, in plurimis discreta sunt, & forte in omnibus. & adducitis probationem, ponendo tres differentias inter principium & ea quæ sequuntur. Nam principium vniuersale est; quæ post, particularia. Item principium est quod demonstrat; quæ post, quæ demonstrantur. Tertio principium est propositio, quæ sequuntur sunt conclusiones. Vnde arguitis sic. Quonam pacto fieret, vt particularia fierent vniuersalia, & conclusiones propositiones? Secundum principale quod dicitis, sequitur hoc modo. Quod principia habeant quæ sequuntur ex eis, est necessarium: sed quod, quæ sequuntur, addantur principiis, non est necessarium. Tertium his verbis deducitis. Si aliqua prohibitio esset ne hoc fieret, vt in præfenti nostra difficultate, tunc longe difficilius hoc posset fieri, cum multa quæ vera non sunt, adiecta sint principiis. Quarto illa-
tionem

tionem sic facitis: nam dogmata fidei capimus ex dogmatibus scripturarum, quæ dogmata sunt principia. Et quinto infertis, quod cum nihil sit adiectum principiis sacræ scripturæ, nec nos addemus stante prohibitione. Ultimo corollarium infertis sic: Vnde necessario sequitur, quod dato quod symbolum fidei seruet, & habeat locum principii in ecclesia Dei, quæ post ipsum sequuntur, in ipso symbolo nullatenus addenda sunt. Explicauit, reuerendi patres, propositionem vestram fideliter, licet ipsam per numerum partium ordinate distinxerim, vt possim ordinate respondere. Vbi dicimus primum, quod sicut prædiximus die Sabbati, ad dicta respondendo, quæ vera sunt acceptabimus; quæ non videbuntur vera, negabimus aperte & cum ratione: quæ vero ambigua & obscura, aperire & declarare studebimus. Cum primo dicitis loquendo de principiis doctrinæ, quod principium & quæ post, sunt in plurimis discreta, & forte in omnibus; credimus sine dubio quod in plurimis distinguantur: sed illud, & forte in omnibus, simpliciter negamus. Domine Nicæne attendatis bene. Nam illud aduerbium, forte, secundum grammaticos est aduerbium dubitandi: & quod non debeat dubitare, sed esse certi; scilicet, quod principium & quæ sequuntur, non sunt discreta in omnibus, nec in omnibus disconueniunt, aduerte. nam conueniunt saltem in tribus, scilicet in veritate, in genere doctrinæ, & in habitudine ordinis & illationis. Nam quæ sequuntur ex principiis vera sunt, & demonstrantur vera ex veritate principiorum. Vnde illud primo posteriorum, necesse est demonstratiuam scientiam ex veris esse principiis per declarationem. Verum igitur oportet esse quod scitur, quoniam non est scire quod non est, vt diametrum esse symmetrum, quia non est simile. Vnde de necessitate principium doctrinæ & quæ sequuntur, conueniunt in veritate. Nam ex vero realiter non sequitur non verum. Et ideo optime Dauid propheta, vt ostenderet in omnibus verbis Dei veritatem, dicit ad literam: *Principium verborum tuorum veritas*. Secundo conueniunt in genere doctrinæ. Nam ex principio geometrico sequuntur conclusiones geometricales, ex physico physicales, &c. Tertio conueniunt in habitudine ordinis & illationis: licet enim venire

Psal. 118.

in notitiam eorum quæ sequuntur ex notitia principii; & hic processus ex principio est a priori: & aliquando econtra, & hic est processus a posteriori. Et propterea scriptum est Ethicorum primo: Non lateat autem vos, quoniam differunt a principiis rationes, & quoad principia bene & Plato dubitavit, & quæsiuit, vtrum a principiis, vel ad principia esset via, quemadmodum in stadiis ad terminum, vel econtra. Illis vero tribus differentiis positis inter principia & quæ post principia sunt, pro nunc non curamus contradicere, licet possemus ponere aliquas difficultates. Sed in secundo dicto principali, vbi dicitis, quod principia habeant in se quæ sequuntur ex eis, hoc est necessarium; sed quod addantur, non est necessarium: ex hoc infertur sic: Omnis conditio necessaria prior est quam non necessaria: sed per vos, quod principia habeant in se quæ sequuntur, est necessarium; & sic est necessarium conclusionem veritatis contineri in principiis: quod vero addantur, non est necessarium: ergo illa quæ sequuntur ex principiis, prius sunt vera quam sint addita vel addenda: ordine quippe naturæ prius est propositio vera quam licita, vel illicita. Vnde euangelium prius erat in se verum, quam prædicandum vel legendum. Et sic hæc propositio, Spiritus sanctus procedit a Patre & Filio, prius est vera quam addita. Quod enim conuenit alicui necessario & per se, & absque habitudine ad aliquod extrinsecum, prius sibi conuenit, quam id quod conuenit ei pro habitudine, aut aliquid extrinsecum. Vos contrarium dicitis, a principio collationis in hoc conuentu factæ quærentes, quare nos fecimus additionem illam, Filioque; & an licuerit facere: & tamen ordine naturæ prius videndum erat, an sit verum, quam an sit licitum, vel prohibitum. nam secundum omnes veros theologos, quæ Deo insunt ad intra, priora sunt illis quæ insunt Deo habitudine ad extra. Vnde prius est, Spiritum sanctum esse cum Filio & a Filio, quam sit licitum, vel prohibitum addere. Præterea tertium propter breuitatē, & venio ad quartum, vbi dicitis sic. Dogmata fidei sumuntur ex fonte scripturarum, quæ sunt principia fidei. Ex hoc dicto inferimus nos, quod declaratio, expressio & explicatio quæ fit circa articulum fidei vel symboli per scripturas euangelii, epistolas

ANNO
CHRISTI
1438.

Pauli, & veteris & noui testamenti, nullo modo est extrinseca reputanda, aut alterius generis doctrinae, cum sit doctrina Dei & ecclesiae: quia tunc tantum dicitur probatio extrinseca, quando fit non per principia propria illius doctrinae, sed per principia alterius generis scientiae: ut si conclusionem physicam probarem per principium geometricum. Sed secundum vos, scripturae veteris & noui testamenti sunt principia fidei: ergo probatio & declaratio quae fit per huiusmodi scripturas, fit notorie per principia propria fidei, & intrinseca doctrinae nostrae. Quare nullo modo debent censerī extrinseca. Cuius contrarium, cum reuerentia, dixistis, respondendo cuidam articulo domini Colossensis, dicebatis sic, quod ratio quae sumitur ad probandum illud, Spiritus procedit a Filio, sumitur ab extra, quia accipitur maior extra. Cum dicitur, Omnia quae sunt Patris, sunt Filii, dicitis quod accipimus quamdam auctoritatem vnde sumimus hanc maiorem, & hoc ab extra. Vnde hic aperte respondemus & dicimus, quod si per extra intelligitur, quod sumatur extra minorem propositionem, extra hoc est, quia in quacunque deductione quantumcumque intrinseca & propria, si complete formetur syllogismus, semper maior antecedit minorem, & est extra ipsam, aut situ, si sit in scriptis; aut probationis successione, si est in voce. Si autem intelligatur de habitudine praedicti ad subiectum, non est extra. Igitur sumendo talem maiorem, Omnia quae sunt Patris, sunt & Filii; & probando ipsam per dictum euangelii, aut epistolarum Pauli, aut alicuius partis sacrae scripturae, talis probatio aut declaratio nullo modo debet dici extra doctrinam fidei, nec extra doctrinam diuinitus reuelatam; nec debet dici extrinseca: imo cum fiat ex propriis principiis doctrinae fidei (cum vos concedatis esse principia ipsas scripturas) bene sequitur quod nullo pacto haec probatio, declaratio, vel explicatio debeat dici extrinseca. Vnde, sicut pridie dicebamus, cum in articulo de Patre non contineretur expresse, quod esset factor visibilium & inuisibilium; & in articulo de Filio non contineretur ex forma verborum illud, genitum, non factum, consubstantialem, &c. sed tantum dicebatur in symbolo apostolorum ibi: Et in Iesum Christum vnicum dominum nostrum: ad

Concil. Tom. 33.

Bb ij

* Patres Niceni discernunt ea quæ addiderunt symbolo apostolorum, & postea patres Constantinopolitani, vltimum subdit.

obuiandum errori Manichæorum in articulo de Patre, & errori Arianorum in articulo de Filio, expresserunt, & symbolo apostolorum apposuerunt, dicentes^a, quæ addita sunt in symbolo; quia viderunt hæc omnia & posse euidenter ex principiis fidei, scilicet sacris scripturis, huiusmodi extensionem & declarationem facere, & in symbolo ponere: nec putauerunt extra, nec dici extrinsecam. Similiter postea alii patres alterius Synodi, vt obuiarent hæresi Macedonianorum, & omnium illorum qui dicebant, Spiritum esse creaturam, in articulo de Spiritu sancto hanc explicationem & extensionem & declarationem fecerunt, & symbolo apposuerunt, scilicet, In Spiritum sanctum viuificantem, & ex Patre procedentem; quia hoc viderunt ex euangelio Ioannis & epistola Ioannis deduci. Vnde non crediderunt huiusmodi explicationem esse extra, nec esse extrinsecam. Ad propositum, domine Nicæne, & dicam curialiter. Dicimus nos Latini, quod si hanc declarationem & explicationem eiusdem articuli de Spiritu sancto, scilicet, quod non solum ex Patre, sed ex Filio procedat, possumus deducere ex euangelio & epistolis Pauli bene intellectis & declaratis, vel alia sacra scripturæ parte, non debet dici huiusmodi extensio seu explicatio extrinseca. Imo nec proprie additio dici debet, illo dato, scilicet quod ex propriis principiis fidei, scilicet, ex sacris scripturis euidenter deducatur. Hoc autem, Dei gratia, speramus clare deducere, cum placuerit Deo, & sanctissimo domino nostro. Sed pro nunc, vt vobis morem geramus, illam profunditatem non intramus. Et cum rationem ponitis dicentes: Nihil fuit adiectum principiis sacra scripturæ, nec nos addemus: respondendo ad dicta vestra, rationem reddidit bonam & optimam reuerendissimus dominus meus dominus archiepiscopus Colossensis: ad octauum vestrum principale sic dicebat, & non videtur mihi posse solui: ita fuit efficax. Hæc fuit ratio in forma domini Colossensis. Cum ecclesia Dei vna & eadem sit, necesse est vt vnâ & eandem semper habeat auctoritatem. Huic rationi vos respondendo ita dicitis: Ad hoc vt ecclesia habeat huiusmodi auctoritatem, necesse est vt ipsa ecclesia seruet & custodiat immutata omnia quæ per præcedentes patres tradita fuerunt.

ANNO
CHRISTI
1438.

Nos dicimus confidenter absque titubatione, quod nemo fidelis dubitare debet de plenitudine auctoritatis ecclesie, quam expressit Saluator Matth. 18. cap. *Si autem ecclesiam non audierit, sit tibi ethnicus & publicanus.* Et iterum: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Et est etiam articulus fidei expressæ tam in symbolo apostolorum, quam Nicæno. Imo conuenienter post articulum de Spiritu sancto statim ponitur articulus de ecclesia, dicendo in symbolo apostolorum: Credo in Spiritum sanctum, sanctam ecclesiam catholicam. Et in secundo similiter symbolo^a patrum post articulum de Spiritu sancto immediate sequitur: Et vnam sanctam ecclesiam catholicam. Et si quærat in hoc articulo, vbi fit mentio de ipsius ecclesie auctoritate; dicitur quod ibi, dū expressit, Vnam sanctam catholicam & apostolicam ecclesiam. Dicimus ad propositum, quod ecclesia quæ his temporibus concurret, custodiuit semper immutatam fidem antiquorum patrum. Nam vt dicit Augustinus, tempora sunt mutata, non tamen fides: & immutatum seruauit symbolum, & immutatum diuinum sacrarum scripturarum codicem. Nam patres in Nicæa cum expresserunt, Visibilem & inuisibilem, & genitum, non factum, consubstantialem Patri, &c. nullo modo dicendi sunt corrupisse aut immutasse symbolum apostolorum, & aliam fidem a fide apostolorum professos fuisse. Et similiter patres qui expresserunt postea in symbolo in articulo de Spiritu sancto, Dominum & viuificantem, ex Patre procedentem; nullo pacto dicendi sunt immutasse nec fidem præcedentium patrum, nec symbolum ipsorum; licet maiorem explicationem fecerint ex euidenti & rationabili causa, & urgente necessitate, scilicet ad obuiandum erroribus & hæresibus tunc seminatis contra veritatem & maiestatem Spiritus sancti. Et vt breuiter me expediam, sic etiam ecclesia Latinorum nullo modo dicenda est fidem patrum aut fidei symbolum variasse aut immutasse, sed ex euidenti & rationabili necessitate illam vltiorem expressionem fecit, Filioque. Et ideo sicut non valuisset illud argumentum vestrum, si quis illis temporibus illud fecisset contra patres Nicænos & Constantinopolitanos, dicendo, aut ipsæ conclusiones ponantur in sacra scriptura, aut vestra additio de symbolo

^a Scilicet Constantinopolitano.

remoueat: ita similiter inferendo contra nos, non valet. Vltimo die Martis dominus Nicænus pro complemento addidit duas conclusiones principales. Obiiciebat enim nobis sic: Dicitis, quod ecclesia Romana auctoritate & necessitate mota fuit. Dicimus, quod necessitas nullo modo est ^a impedimentum definitionibus sanctorum patrum, dummodo in illis non contineatur clausula, excepta necessitate. Hic dicimus, quod nonnullæ clausulæ sunt ita infixæ constitutionibus & opportune subintellectæ, vt etiam si non exprimantur, semper intelligantur secundum veram epiikiam. Hæc autem est vna de illis, scilicet, excepta necessitate, quæ nulla clauditur lege, sane intelligendo. Et cum de auctoritate Romanæ ecclesiæ superficialiter tangitis, profundior de ipsa tractatum volentes facere, subinfertis ibidem, quod talem licentiam, vt in symbolo fidei addatur, vos excipitis etiam ab œcumenicis Conciliis, & ab vniuersali ecclesia, nedum a Romana. Hic respondemus & dicimus, quod huiusmodi libertas & auctoritas nec ab œcumenicis Conciliis, nec ab vniuersali ecclesia, nec a Romana ecclesia auferri potest, nec a nobis, nec a præcedentibus patribus. Nam iure diuino hanc habet. Vnde morem vobis gerendo, non profunde, nec a principali proposito intrando hanc materiam, dicimus, quod hæc auctoritas Romanæ ecclesiæ euidenter colligitur ex euangelio Ioannis, cum Saluator noster curam commisit Petro vniuersi gregis Christiani: *Si diligis me, pasce oues meas & agnos meos.* Et hæc auctoritas manifeste patet per patres qui conuenerunt in Constantinopolitano Concilio, & aliis antiquis Conciliis: & patet per Athanasium & per Agathonem, & illa epistola ^b, quæ fuit ab vniuersa Synodo confirmata, in qua expresse dicit, quod fides Romanæ ecclesiæ debet ab omnibus œcumenicis Conciliis & ab vniuersali ecclesia obseruari. Patet etiam per sanctum Hieronymum optimum discipulum vestri theologi Gregorii. Nam in professione fidei quam facit ad Damasum papam, dicit: Hæc est fides ipsa beatissima, quam in catholica ecclesia didicimus, quam semper tenuimus, in qua si minus parum caute forte quid positum est, emendari cupimus a te, qui Petri & fidem & sedem tenes: si autem hæc nostra confessio apostolatus tui iudicio

^a Id est, necessitas non impedit nec infringit vim legis & prohibitionis, nisi in ipsa lege sit clausula, excepta necessitate.

Iean. 21.

^b Ad Constantinum imperatorem, in qua etiam continetur instructio legatorum in act. 6. Synodi act. 4.

ANNO
CHRISTI
1438.

fuerit approbata, quicumque me culpate voluerit, se im-
peritum, maleuolum, vel non catholicum, sed hæreticum
comprobabit. Nec mirandum patres doctissimi, quod iu-
diciu[m] de fide ad principem fidelium, primum in statu
mortalium, deferendum decernatur. Nam cum vna &
eadem esse debeat totius ecclesiæ fides, sicut vult Apo-
stolus I. ad Corinthios dicens: *Obsecro vos, fratres, per no-
men Domini nostri Iesu Christi, ut idipsum dicatis omnes,
& non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem
sensu & eadem scientia.* Et propterea oportet, vt ab vno
& eodem ecclesiæ principe determinetur, quod ab omni-
bus certum & diffinitum de fide teneatur. Nunc igitur
quia nonnulli moleste ferunt, quod apud vos Græcos pa-
tres, doctores nostros Latinos allegem, dico, quod iuste
facio & rationabiliter, quia non loquor solum vobis Græ-
cis, sed apud Latinos, principaliter quia doctissimi fue-
runt & illuminatissimi in diuinis scripturis, & allegantur
in Synodis œcumenicis: vnde quæ ipsi astruunt, non ita
ieiune & exiliter ponunt dicta, vt non faciant credibilia
credenda. nam probant ea ipsa auctoritatibus sacræ scri-
pturæ optime ac commodis rationibus. Hæc sint dicta
cum patientia audientis, & dicentis venia & pietate, dica-
tis quidquid vultis.

AND. Tam læte, iucundeve, verbisque conuenienti-
bus dicta fuerant, vt quisque patrem prædictum summe
collaudaret. Deinde paululum facto silentio, cardinalis
hæc inquit.

CARD. Quia ex vtraque parte fuerunt dicta multa sub-
tiliter & eleganter, quæ forte magis intelliguntur a theo-
logis, & ab iis qui sunt periti in sacra scriptura, quam
laicis & qui non sunt ita periti; ego haberem quædam val-
de rudia dicere in hac materia, quæ intelligerentur non
solum a peritis, sed a laicis: & ni fallor, puto quod soluent
totam quæstionem hanc. Verumtamen quia hodie est con-
uentum, vt fiant colluctationes de verbis prohibitionum,
sit electioni Græcorum patrum, si volunt audire vel fa-
cere disputationes.

IMP. Dicat dominatio vestra quidquid placet.

CARD. Tangam radicem istius dubitationis. Quæstio
est de verbis prohibitionis^b Concilii Ephesini, videlicet,^b Part. 2. c. 6.

^a In militanti
scilicet eccle-
sia.

nulli liceat aliam fidem docere, exponere aut sapere. Nos dicimus, quod hæc verba intelliguntur, quod nulli liceat proferre fidem contrariam fidei Nicænæ. Ipsi dicunt, quod non solum intelligitur tam de alia fide, sed & de expositione quantumcumque vera: & quod per illam prohibitionem comprehenditur omnis additio & declaratio in symbolo. Isti qui student in legibus, dicunt, quod non potest de lege terminari, nisi tota lege perspecta. Vnde necessarium est vt videamus quædam alia, quæ præcedunt hanc legem. Antequam patres venissent ad illam prohibitionem, quidam Charisius^a retulit, quod Anastasius & Photius discipuli Nestorii miserunt quemdam Iacobum ad prædicandum symbolum Nestorii; & iste Iacobus alios seduxit, & dedit illis aliud symbolum fidei: imo sicut dicit Charisius, dedit symbolum perfidiæ: & inter alia dixit Charisius, quod ille Iacobus & alii accusabant eum, quod non teneret veram fidem. Vnde iste Charisius dixit in Synodo, legam meam fidem, & postea Nestorianam. Primo recitavit symbolum suæ fidei, quod tamen non est symbolum nec Nicænum, nec Constantinopolitanum.

^a Concilii Ephesini part. 1. act. 6.

NICÆN. Imo illud idem.

^b Et in Spiritum veritatis paraclerum. hæc verba sunt addita a Charisio, & alia ommissa, vt in act. Concilii Ephesini part. 1. act. 6.

CARD. Hæc verba in symbolo Charisii sunt, ^b Et Spiritum veritatis, &c. Hæc non sunt in symbolo Nicæno.

EPHES. Tunc non fuit lectum nisi symbolum illud Nestorii.

CARD. Charisius legit professionem fidei suæ, & postea Nestorianæ. Hæc quæstio est in facto, postea poterunt videri.

EPHES. Charisius legit suam fidem, sed non per modum symboli.

CARD. In forma symboli lectum est.

EPHES. Charisius recitavit professionem fidei suæ.

CARD. Legite librum.

AND. Lectum extitit ibi per reuerendum dominum his verbis. Me vero vt hæreticum amouerunt, qui pietatis dogmata retineo, sicut iam apparebit. ^c Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium factorem, &c. Eiusdem cum Patre substantiæ, &c. Natum ex Maria virgine, &c. Et in Spiritum veritatis, consubstantialem Patri & Filio, &c. Quibus lectis, cardinalis sic inquit.

^c Verba symboli Charisii, vbi supra.

CARD.

ANNO
CHRISTI
1438.

CARD. Notetis, quod amouet aliqua Nicæni Concilii, quia non ponit verbum illud: Erat aliquando quando non erat: ^a & ponit, Consubstantialem Patri & Filio: quod non est, nec in Constantinopolitano, nec in Nicæno. Deinde legit symbolum Nestorianum, symbolum dicens perfidia. Postea Synodus dixit, quod nulli liceat tenere aliam fidem, quam illam quæ in Nicæa: & postea reprobat illos qui credunt in expositione symboli transformati Nestorianorum, nec reprobat fidem Charisii. Vnde si intentio Synodi fuisset inhibere professionem fidei, & non voluisset, si fuisset dictum aliud symbolum præterquã Nicænum, certe reprobasset professionem fidei Charisii. Sed quia Charisius profitebatur veritatem, non improbavit quid de dictis eius: imo reprobando symbolum Nestorianum, sequitur, quod illa verba, Aliam fidem, significant aliam fidem a Nicæna falsam: & hoc videtur validum argumētum ad probationem istorum verborum. Secundo in Synodo prohibetur non tantum, vt quis non proferat, sed nec vt sapiat aliter quã continetur in symbolo Nicæno. Si quærem a vobis, si sapitis, si Deus est æternus: sum certus quod diceretis, quod sic. Sed secundum hæc, quis posset dicere vos anathematizatos, quia hoc verbum non est in symbolo Nicæno, & vos aliud sapitis quam in symbolo Nicæno. Ad id quod dicitis, quod priuatis personis licet aliud credere quam sit in symbolo; si verū est, sed publice non licet aliud symbolū profiteri. Ego dico, quod hoc est expresse contra verba definitionis, quæ dicit: Nulli liceat, &c. Et subdit, si est episcopus, priuetur episcopatu: si clericus, clericatu: si laicus, excommunicetur. Ex hoc sequitur, quod quidquid dicant siue publice, siue priuatim, incidunt in pœnam. Et ex hoc quod nominant laicos, apparet intentio, quod quicumque laicus hoc teneret, esset excommunicatus: & laici non solent cantare symbolum in ecclesia, sed clerici. Vnde intentio fuit prohibere omnes, & in ecclesia, & extra. Vnde ex hoc apparet, quod cum priuatim prohibeantur aliam fidem tenere, omnes essent excommunicati, si vellemus intelligere aliam fidem; id est, aliam expositionem & explicationem fidei. Item vt magis hoc aperiam, professio fidei quam fecit Agatho, missa Concilio ^b, non fuit solum priuata Agathonis, sed fuit totius occidentalis ecclesiæ:

Concil. Tom. 33.

C c

^a Verba symboli Nicæni contra Arianos afferentes, aliquando non fuisse filium Dei.

^b Inact. 6. Synod. act. 4.

quia in illa epistola dicitur, Cum omnibus Synodis occidentalibus subiectis Concilio apostolicae sedis, & illam epistolam episcopi subscripserunt. Item pridie dominus Nicænus cum responderet domino Colossensi, dixit, quod

* Id est, in prohibitione non exprimitur clausula, excepta necessitate, ut supra dictum est.
b Ita scilicet, & ego a simili dico quod, &c.

verbum necessitatis non^a exprimitur: & idem^b respondeo vobis, quod hoc vel in communi, vel in priuato non exprimitur in prohibitione: ergo generaliter intelligenda est prohibitio siue in publico, siue in priuato. Item volo dicere aliud. In Concilio Ephesino nunquam est facta mentio symboli Concilii Constantinopolitani. Aut igitur fuerunt obliti, & voluerunt non cantari nisi Nicænum: & tunc sequentes patres non potuissent cantare symbolum Constantinopolitanum, & male faceremus cantando illud. aut fuerunt recordati: & tunc diceremus, quod esset contrarium, & non liceret. Aut putauerunt vnum & idem, & nihilo minus differt in multis verbis a symbolo Nicæno: sed quia continet eandem fidem, reputatur vnum & idem. Et isti patres pridie dixerunt, quod virtualiter continetur in symbolo Nicæno; & quia continet eandem fidem, reputatur vnum & idem: & lecto vno, videtur & aliud lectum: ergo vbiq; vnum symbolum non discordat in veritate fidei, est reputandum vnum & idem: ergo non prohibetur per istam legem, quia lex prohibet aliam fidem. vnde oportet necessario intelligere de fide contraria a veritate. Vnum aliud dico ad expressionem huius rei, quod quæ diffiniuntur in Conciliis, videtur diffinita per Spiritum sanctum: & ille spiritus qui in vno est, est in alio: sed in sexta^c Synodo, vbi fuit repetita hæc lex prohibitiua, dicitur sic: Nulli liceat proferre aliam fidem, nec aliud sapere in euersionem eorum quæ diffinita sunt. Vnde Spiritus sanctus qui inerat patribus sextæ Synodi, exponit hæc verba, aliam fidem, id est, euertendo, non autem ad declarationem, vel maiorem expressionem veritatis. Item cum dubitatur de verbis alicuius legis, est recurrendum ad intentionem legislatoris: & hæc intentio comprehenditur ex præfatione legis, seu ex processu. Sed in processu istius actionis^d Ephesini dixerunt, quod conuenerunt patres, & voluerunt quod legeretur symbolum Nicænum, & quod conferrentur sermones & symbolum: & quod sermones qui sunt consonantes, confirmarentur, discrepantes reiicerentur. Vnde intentio legisla-

^c Actione 18.

^d Actione 6.

ANNO
CHRISTI
1458.

toris fuit, tollere additionem quæ tolleret fidem vel veritatem: nec fuit intentio sanctissimorum patrum, vt solum inspiceremus verba, sed verum intellectum sacræ scripturæ. Hoc patet ex epistola Cyrilli, qui recitato symbolo Nicæno subdit^a: Nos sequentes diffinitiones sanctorum patrum, sectamur intentionem ipsorum, & exponimus rectam fidem. Item apparet ex septima Synodo^b, vbi dicitur: Cum omni diligentia intentionem veritatis sectantes. Et dicunt, quod sectantes intentionem veritatis nil tollimus ex iis quæ per patres Nicææ, & aliorum Conciliorum patres dicta fuere: & tamen fecerunt alias diffinitiones quam alii fecerunt, scilicet diffinitiones de imaginibus. Vnde apparet, quod intentio patrum est, quod veritas manifestetur, & non taceatur. In vltimo seruaui vnum, & videtur casus qui nunc currit: & antequam ad illud veniam, dicam vnum, quod pertinet ad dilucidandam rem hanc. Concilium Calchedonense^c dicit, quod erant aliqui, qui obloquebantur de Leone papa, & dicebant, quod fecerat peregrinam expositionem fidei, & quod fecerat vltra quam liceret iuxta patres Nicænos. Vnde dicit, ne quis accuset Leonem, quasi peregrinam expositionem attulerit, quia non licuerit cuiquam exponere fidem præter patres qui in Nicæa conuenerunt. Concilium statim dicit aduersus eos qui veritati resistunt, & excusat Leonem, & dicit, quod Leo non fecit contra prohibitionem, exponendo fidem & declarando: quia quando insurgunt errores, varia remedia debent adhiberi. Et licet sufficeret fides exposita per sanctos patres, quia tamen sunt qui moliuntur peruertere eorum rectum sensum, oportet occurrere, & declarare & exponere fidem. Nam si omnes essent contenti fide constituta, & non vellent inducere inuouationem, non esset necesse aliud remedium cogitare, quam quod est declaratum in fide: sed quia multi ex recta linea per anfractus exorbitant, euntes per viam mendacii & falsitatis, necesse est nobis aperire viam veritatis. & multa^d dicit, quod declarare est necessarium. Nunc venio quod vltimo volebam dicere. Vos carissimi patres scitis, quod Flauianus condemnauerat Eutychem in Concilio^e Constantinopolitano. Postea fuit celebrata Synodus secunda Ephesina, quæ fuit improbata, &

Concil. Tom. 33.

C c ij

^a Epistola ad Nestorū, quæ incipit: Cum Saluator: in actis Concilii Ephesini part. 1. cap. 16.
^b Act. 7. in diffinit.

^c In allocut. ad imp. par. 3. cap. 1.

^d Concilium scilicet Calchedonense, vbi supra, ad proban. quod &c.

^e Non loquitur de Constantinopolitano I. oecumenico celebrato ante Concilium Ephesinum I. sed de Constantinopolitano celebrato sub Flauiano tempore Leonis, cuius acta referuntur in actis Concilii Calchedonensis act. 1. Vide Baron. tom. 6. anno 445. & Biniensi tom. 1. par. 2.

* Concilii Calchedonenfis act. 1.

ibi Dioscorus tyrannice regebat: in qua Synodo Euty-
ches volebat excusare, quod non errabat: & recitabat fi-
dem suam, videlicet symbolum Nicænum de verbo ad
verbum: & postea dixit^a, quod hæc fides patrum est, in ista
volo viuere & mori; & quod fides Nicæna fuit confirma-
ta per Concilium Ephesinum primum, quod prohibuerat
proferri aliam, & quod prohibuerat quod nihil adderetur.
Vnde dixit: Ego teneo rectam fidem, & Flauianus non,
quia dixit, quod Christus est in duabus naturis: hoc ipse
addidit symbolo Nicæno, quod Christus sit in duabus na-
turis. Et Eutyches intelligebat prohibitionem de additio-
ne verbali. Quidam Eusebius episcopus Dorylæi audiens
hæc, clamauit: Mentitus est Eutyches, non est diffini-
tio talis, non est regula hoc præcipiens. Dioscorus dixit:
Quomodo non est hæc regula? Nos habemus hic quin-
que codices, in quibus dicitur, quod non licet addere ali-
quid. Fuerunt hæc recitata in Calchedonenfi Synodo: &
Synodus nihil dixit contra episcopum Dorylæi, imo ap-
probauit, vt subdam. In hac igitur Synodo Dioscorus tu-
lit sententiam contra Flauianum, & in verbis sententiæ
dixit, quod ideo deponit, quia fecerat contra prohibiti-
onem Ephesini Concilii, vbi dicitur, quod non liceat ad-
dere, quia in Ephesino Concilio dicitur: Si quis addat ad
symbolum Nicænum, si est episcopus, priuetur. & propter
ea priuauit episcopatu Flauianum & Eusebium Dorylæi,
tamquam transgressores legis. Et omnes episcopi qui fue-
runt in illo^b Concilio Ephesino secundo, secuti sunt sen-
tentiam Dioscori: & omnes isti episcopi fundabant se in
hac prohibitionem Concilii^c Ephesini: vnde dicunt, quod
sefe alienos monstrarunt gradu sacerdotii Flauianus &
Eusebius, quia conati sunt addere, vel minuere aliquid de
sancta fide quæ in Nicæa a sancto Concilio exposita est.
Confirmavit sententiam Synodus in ciuitate Ephesina,
quod iustum est eos qui audent quid addere fidei, aut mi-
nuere, alienos esse a sacerdotio: & ita alii episcopi sequen-
tes dixerunt. Quando hæc acta secundæ Synodi Ephesi-
næ referebantur in Synodo Calchedonenfi, omnes dixe-
runt: Anathema Dioscoro, hac hora damnetur Diosco-
rus qui male iudicauit. & sic reuocauit^d quod fecerat con-
tra Flauianum^e, & iudicauit, quod Flauianus non fecerat

^b reprobatō
scilicet.

^c primi scili-
cet.

^d scilicet Con-
cilium Cal-
chedonense.
^e scilicet Dio-
scorus in E-
phesino secun-
do.

ANNO
CHRISTI
1438.

contra Nicænum nec ^a Ephesinum Concilia : quia licet ^a p̄imum.
illa professio, quod Christus sit in duabus naturis, non con-
tineretur in symbolo Nicæno verbis expressis, tamen non
est contra veritatem, sed virtualiter sumitur ex symbolo
Nicæno. Ex hoc apparet manifeste, quod non est arguen-
dus qui quid addit declarando, dummodo dicat verita-
tem consonantem fidei catholicæ. Et videtur mihi, quod
non possit allegari melius in mundo exemplum, quam ex-
emplum Flauiani. Concludo, quod verba illa prohibitio-
nis, quod non liceat proferre aliam fidem, nec addere, nec
minuere, intelliguntur de illis qui sapiunt fidem contra
veritatem, & immutando verum intellectum sacræ scri-
pturæ, & in symbolo Nicæno ^b. Hoc secundum meum ru-
de iudicium videtur mihi manifeste soluere hanc quæstio-
nem. Si autem non ita sit, cupio reformari. Vnde cum ec-
clesia Latina dicat, se nil addidisse contra veritatem, nec
contra verum sensum symboli Nicæni & Constantino-
politani, dimittenda est hæc quæstio, vtrum licuerit; &
est procedendum, an hoc sit verum, quod Spiritus pro-
cedat a Filio: & si possunt probare quod non procedat,
tunc ego dicam expresse, quod ecclesiæ Romanæ non li-
cuit, quia tunc sapuisset contrariam fidem. Si vero ipsi
non possunt probare, quod hoc sit falsum, sed ostendetur
ex sacra scriptura & sanctis doctoribus, quod verum sit;
necesse erit confiteri quod licuerit. Hoc volui dixisse cum
correctione sanctissimi domini nostri, & imperatoris, &
aliorum.

^b addendo sci-
licet contraria.

NICÆN. Reuerende domine mi, sane omnes ratio-
nes & sermones vtriusque dicti fuerunt optime & sapien-
ter dictæ, præsertim rationes postremæ, per paternitatem
vestram, & potissime ad propositum faciunt. Tetigistis ea
quæ pertinebant ad rem a nobis propositam, & nil dimi-
sistis: tamen cum caritate respondebimus, & iterum pari
cum caritate audiemus ea quæ voletis dicere. Nos itaque
putamus, quod plura quæ per vos dicta sunt, pro nobis fa-
ciant: tamen non iudicamus esse tempus propter duas
causas. Primo propter horæ angustiam, quia tempus est
surgendi: secundo, quia etiam si fuerunt bona dicta, non
minus multa; ideo volumus hæc in scriptis habere & co-
gitare, & tempore suo responsionem debitam dare. Nunç

Cc iij

in nomine Domini surgamus, & accipiemus dicta in scriptis, & maxime quæ ultimo dicta sunt.

AND. Surrexit Colossensis contra Græcos inuehens, & summo pontifici hæc in sacro conuentu exposuit.

COLOSS. Sanctissime pater, quia pridie conuenimus, quod ex his quæ dicuntur conferantur scripturæ; & quia pridie Græci noluerunt venire, videntur promissorum transgressores: & ideo protestamur, vt nil fiat in transgressione fidei.

EPHES. Pridie erat pluuia, & quia dicebamus, quod non erant dicta ad propositum, ideo volebamus videre ea quæ dixistis: tamen vt caritas seruaretur, eramus contenti, vt darentur notariis.

COLOSS. Peto instrumentum quod dicant noluisse recipere, & quod non faciunt ad propositum, cum hoc quod non dixerim ad propositum, est iniuria non mihi, sed toti ecclesiæ Romanæ, quod audeant isti præsumere dare iudicium, si dicta sunt ad propositum, vel non.

AND. Quibus expositis, finis diei illius concertationi datus est.

COLLATIO VNDECIMA.

DIE XVIII. NOVEMBRIS.

Professiones fidei Charisii & aliorum fuisse admittas in Concilio Ephesino, quamuis plura continerent quæ non erant in symbolo, siue illæ fuerint professiones publicæ, siue priuatæ.

AND. **C**ONGREGATIS in vnum patribus loco & horis solitis, Ephesinus ex Græcis primus sic inquit.

EPHES. Nos, amati patres, adsumus, non studio contradicendi adinuicem (nam hoc magis pertinet ad ostentationem quam ad viam veritatis) sed vt communiter debeamus examinare & inquirere & pacificari, & cum diligentia perscrutari quæstiones & difficultates quæ in nostris disputationibus oriuntur: & quod sic communiter debeamus conferre res, & inquirentes progrediamur quousque veniamus ad finem, qui est inuentio veritatis. Quamobrem ea quæ particulariter reuerendissimus dominus archiepiscopus Colossensis in pluribus vicibus dixit, & quæ

reuerendissimus episcopus & magister Foroliuensis, nos etiam particulariter prosequentes, Deo adiuuante, & hora permittente, perscrutabimur, & ad vnumquodque eorum quæ dicta sunt ab istis patribus, curabimus cum oportunitate, non respicientes ad aliquam ostentationem sermonis, respondere: & nos dicemus quæ apparebunt vera ex concessione vestrarum reuerendissimarum paternitatum. Verum in hoc principio, si ita placet, prosequemur ad respondendum illis quæ dicta sunt per reuerendissimum dominum cardinalem ibi sedentem, particulatim & diuisim vnumquodque examinantes. Ipsa namque quæ per eundem reuerendissimum dominum cardinalem dicta fuerunt, magis ad rem faciunt, & ipsam difficultatem tangunt, & cum ordine sua reuerenda paternitas exposuit: propterea nos istam gratiam retribuemus ad talem ordinatum sermonem, vt nullum ex dictis debeamus relinquere. Dico autem me responsurum ad ea quæ extempore^a dicta sunt per reuerendam paternitatem suam, non ad ea quæ fuerunt polita & pulchriori forma posita. Obsecro itaque reuerendam paternitatem vestram, vt quoties continget vestram dominationem interrogare, placeat aut concedere, aut negare mea dicta. Nam ego intendo inquirere & perscrutari sermones & rationes cum tua paternitate, cum ego cognoscam tuam reuerendam paternitatem potius gaudere inuentione veritatis, quam tuitio-
ne suorum sermonum. Vnde etsi contigerit aliqua de tuis rationibus a me refelli, tu reuerende pater, vt sapientissimus, potius me diliges. Nam sapiens^b cum arguitur, diligit arguentem secundum rationem. Liceat tuam dominationem interrogare, vt placebit, tempore & loco opportuno. nam libentissime patiar & ego ipse, cum tua dominatio corriget sermones meos, & aliquid interrogabit & rationem quaeret, & adiuuante Deo, respondebo: redarguat tua dominatio quod videbitur a me non bene dictum. Sciat tua dominatio, quod in quibus per me dictis tua dominatio non contradicet, nec inquisitionem faciet, remanebunt approbata, nec poterunt recipere aliam discussionem: quæ obseruanda sunt apud illos qui post me suscipient sermones. Primum argumentum a tua dominatione tactum tale est, videlicet, quod in tertio

^a Graecus scri-
ptor sessione
ta. quæ huic
collationi cor-
respondet, sic
Ea dico quæ
summarij
dicta sunt
prius, nō quæ
sunt postea
particulatim
enarrata: hæc
enim rursus in
immensitatem
producta dis-
cussionem ef-
fugiunt,

^b P. rom. 9.

œcumenico Ephesino Concilio Charifus quidam porrexit ad Concilium aliquos libellos fidei, quos composuerat contra sapientes doctrinam Nestorii: & cum ipse Charifus expositionem suæ fidei fecerit alio modo se habentem quam expositio Nicæni, tamen ab ipso Concilio non fuit in vlllo reprehensus. Et quod ex his manifeste videtur inferri, non prohiberi simpliciter aliam fidei expositionem, sed contrariam & dissonam fidem: interrogo, an ita se habeat argumentum vestrum?

AND. Collegarum acciuit consilium cardinalis prædictus: demum sic inquit.

CARD. Cum gratia & beneplacito sanctissimi domini nostri, & patientia & correctione istorum patrum, audiui gratanter ea quæ vestra paternitas dixit: & quantum pertinet ad præmium, nil dicam: quantum ad interrogationem erga personam meam, ego iuxta sancti Petri doctrinam ero paratus reddere rationem de his quæ sciam. Sed ego maluisssem, quod tua paternitas interrogasset alium de istis patribus, quia quilibet melius sciret quam ego: nihilo minus postquam me elegistis, faciam libenter. Sed quia sumus hic causâ declarandæ veritatis, non verecundabor corrigi, si quid male dixerò, & a paternitate tua, & ab istis patribus; quia potius debemus diligere honorem Dei, qui est veritas, quam proprium. Sed cum hoc pacto respondeo, quod si respondendo non esset mea responsio sufficiens, quod non præiudicet veritati vel aliis; & accepto tuam oblationem: & cum ego te interrogaue-ro, respondeatur. Nunc venio ad quæsitum, & non erat opus vt interrogaretis, quia dedi in scriptis, & satis palam dixi, & ibi est expressum. Si vultis quod plus dicam, geram tibi morem: si vultis quod repetam, dicam: alias apparet in scriptis quod dixi. vultis vt dicam?

EPHES. Reuerendissimi patres, non quæro a vobis aliud, nisi quod ibi est scriptum; nisi si argumentum vestrum est, vt ego exposui: propterea non est opus, nisi vt dicatis, aut sic, aut non.

IMP. Isti patres nolunt imponere onus vestræ reuerendæ paternitati. Sed si placet vestræ reuerendæ paternitati respondere, respondeat: si non, respondeat alius.

EPHES. Nos quantum potuimus capere ex verbis vestris,

ANNO
CHRISTI
1438.

fr̄is, ita collegimus sententiam: si est, dicatis quod sic: alias dicatis vt vultis. Quærimus & interrogationem vestram, & expositionem vestri dicti breuiter fecimus: breuiter respondeatis.

CARD. Ego respondebo: sed de cetero non interrogetis, sed legatis quæ dixi, & interrogetis, si vltra scriptum quid vultis: hæc est summa argumenti. Charisius dedit symbolum fidei suæ, & fuit catholica: & postea recitauit symbolum transformatum^a Arianum. Synodus reprobauit expositionem symboli Nestoriani, & non Charisii. Si non licuisset facere istam professionem, reprehendisset eum. Dixi etiam quod symbolum Charisii est vt symbolum Nicænum, nisi in duabus vel tribus dictionibus, quæ tamen sunt veræ & catholicæ. Dicatis quid vobis placet.

^a Nestorianum, vt statim sequitur.

EPHES. Conuenistis mecum in omnibus reuerendissimi domini, talem esse sententiam, quam per vestram dominationem dictam esse dixi, præter vnum; videlicet, quod illa professio fidei Charisii sit vera & catholica. nam catholica erat solum intellectu dictorum, sed non dictionibus. Nam liquido permutatam habebat compositionem dictionum ab expositis per Nicænos. Nec etiam ipsa professio fidei exposita fuit per Charisium, vt professio catholicæ fidei, sed vt sequens catholicam fidem, & suam propriam expositionem. Estne ita?

CARD. Placet quod professio fidei Charisii sequitur in omnibus veram fidem in sensu, sed non in dictionibus. Et quando dico catholicam, intelligo veram. Sed quæro, cum ipse fatearis, quod professio illa est vera, & quod in sensu & intellectu conuenit cum Nicæna, numquid hæc professio fuit improbata per Synodum, vel non?

EPHES. Concilium admisit illam Charisii professionem, vt Charisii, non vt catholicæ fidei, sed vt consonam catholicæ fidei. Et, reuerendissimi patres, satis intelleximus interrogata, & veraciter respondentes dicimus, quod Charisius ille non simpliciter accusabat Nestorianos, vt aliam fidem tradentes, sed propter hæc tria. Primo, quod istam eorum peruersam & fallacem professionem fidei

Concil. Tom. 33.

D d

tradebant illis qui conuertebantur ad cognitionem fidei, vt vniuersalem fidem, & vt traditam a Nicænis patribus. Hoc igitur refertur ad manifestam iniuriam illius venerabilis Concilii, quod hanc expositionem veræ fidei fecerat. Secundo, accusabat illos, quia falsa & peruerfa dogmata seminabant contraria veræ & catholicæ fidei: propterea potius ille Charisius appellat professionem illorum perfidiam, quam fidem. Tertio, quia ipsi Nestoriani impellebant & molesti erant Charisio, quia volebat admittere professionem fidei; & putabant eum hæreticum. Propterea igitur ipse Charisius coactus est exponere suæ fidei professionem prout volebat, & quibus verbis, vt ostenderet seipsum consonantem patribus Nicææ, & illa sapere; & vt ostenderet seipsum merito expelli ab hæreticis, quia non sapiebat illa quæ illi sapiebant. Hoc autem nunquam ab ecclesia prohibitum fuit, vt quisque fidem possit exponere prout vult, ad priuatam doctrinam solum & demonstrationem suæ veræ fidei, non ad constitutionem symboli: & multo magis tunc licebat, quia nondum diffinitio prohibitionis fuerat prolata: & manifeste habetur ex nonnullis patribus qui præsidebant per illa tempora ecclesiæ, & aliis Conciliis, quia licuit patribus professionem fidei exponere prout volebant, & quibus verbis volebant. Nam & beatus Agatho, vt vestra dominatio dixit, suæ fidei expositionem & professionem conscripsit vna cum ipsis qui cum ipso erant, & illam conscriptam prout voluit, destinavit ad sextum Concilium, &c. Et etiam beatus Sophronius patriarcha Hierosolymitanus restitutus suæ ecclesiæ conscripsit fidem prout voluit, & Constantinopolitano patriarchæ destinavit. Quæ professio recitata est in^a Concilio. Et ideo omnes episcopi, imo archiepiscopi & patriarchæ adinuicem scribebant & profitebantur fidei expositionem. Quæ quidem literæ illorum nil aliud continebant, nisi professionem suæ veræ fidei & opinionis: quod hucusque obseruatur apud patriarchas orientales. Nam ceteri patriarchæ qui sunt post Constantinopolitanum, ^b in constitutione dignitatis statim exponunt expositionem fidei, & mittunt ad patriarcham Constantinopolitanum. & omnino antiquitus solebat fieri, & nunc seruatur. Propterea non est mirandum si etiam Cha-

^a Sexta Synodo, actione 10.

^b Dum scilicet constituantur patriarchæ.

ANNO
CHRISTI
1428.

rifius per suam professionem fidei fidem catholicam exponit, non sub tali intentione, vt omnes vterentur sua, sicut vtuntur symbolo Nicæno, sed solum ad demonstrationem suæ propriæ fidei, vt dictum est. Si autem vos habetis aliquid dicere circa professionem fidei Charisii, dicatis, & audiemus. Interrogamus, vtrum professio fidei Charisii tradita fuit Concilio ad demonstrationem suæ fidei, vel vt omnes illa vterentur, vt symbolo Nicæno. Nam propriæ expositiones nunquam fuerunt prohibitæ, vt diximus. Si quid habetis, dicatis.

CARD. Exposuistis triplicem causam, propter quam Charisius dixit suam fidem, & reprobauit symbolum Nestorianum. Primo, quia illi Nestoriani credebant symbolum eorum esse, vt Nicænum symbolum. Secundo, quia illud symbolum continebat falsitatem. Tertio, quia reprehendebant Charisium vt hæreticum & vt non bene sapientem. Quoad primum illi Nestoriani tradiderunt mere symboli professionem: & non dicit meus liber quod traderent vt symbolum Nicænum. Secundo etiam ad hæc dico, quod apparet ex textu, quod illi spernebant fidem Nicænam, & tradiderunt symbolum alterius fidei, imo perfidia. Hæc formaliter verba sunt Synodi^a: Nam cum Philadelphiam venissent, &c. Vnde dico quod hæc non fuit causa, quare Synodus fuit mota ad reprobendam fidem Nestorianorum: sed causa est, vt dicit diffinitio, quia peruersa continebat. Ratio est, quia si illud symbolum Nestorianum continuisset veritatem, vt symbolum Charisii, Synodus admisisset, non reprobasset. Ad secundam causam dico, quod est vera, quod fuit reprobatum, propterea quod falsitatem continebat. Ad tertiam dico, quod non est sufficiens, & non fuit mota Synodus ex eo: & ratio, quia Synodus non habuit curam, an Charisius esset reprehensus, vel non; sed an vere, vel non. Vnde sublatis & prima & tertia causis, dico, quod secunda fuit causa finalis Synodi ad faciendam illam diffinitionem. Deinde tua paternitas dixit, quod Synodus non prohibuit priuatam personam facere expositionem sibi prout vellet, dummodo esset vera. Postea allegatis exemplum de Agathone & Sophronio, qui fecerunt eorum expositiones fidei, & non fuerunt in sexta Synodo improbati. Sed in hoc oc-

Concil. Tom. 33.

Dd ij

^a Concilii Ephesini parte 1. actione 6. Nam cum Philadelphiam venissent, quosdam se duxerunt, & posthabito Nicæno tradebant alterum peruersarum opinionum symbolum.

currit petere, vtrum Charifius, Agatho & Sophronius fecerunt contra constitutionem, vel non: & tunc respondebo ad tuam.

EPHES. Nullo modo Agatho & Sophronius præterierunt prohibitionem illam, quia non addiderunt, nec detraxerunt symbolo communi, sed priuatim fecerunt. vnde non comprehenduntur pœnis & prohibitionibus. Dicitur est, quod non est prohibitum hoc: sed quod loco symboli professio detur, hoc expresse prohibetur.

CARD. Placet, quod Agatho & Sophronius non fecerint contra prohibitionem, & respondeo ad quæsitum tuum. Dico quod Charifius dabat suam professionem vt veram & consonantem rectæ fidei & symbolo Nicæno: non autem tradebat, vt dans legem ecclesiæ, vt illo tota ecclesia vteretur: quia non erat in potestate sua præcipere populis. Vnde satis est mihi, quod non fecerit contra prohibitionem. Postea si ecclesia vniuersalis, vel qui tenet locum ecclesiæ, vult docere populos, satis mihi est, quod non faciat contra prohibitionem. Dicatis demum quid placet.

EPHES. Hæc nos habuimus a responsione vestræ dominationis, videlicet, quod merito Charifius a Concilio non est reprehensus, quia non fecerat contra prohibitionem: non tamen sequitur, quod ex hoc illi patres Concilii videantur dare licentiam transformandi symbolum Nicænum: & sic repellitur primum vestrum argumentum. Verum si aliqua ecclesia habeat auctoritatem & licentiam dare symbolum commune, in verbis vel syllabis differens, alio tempore dicemus. Et ideo quæro a dominatione vestra: numquid Charifius ille poterat, vel licebat illi tradere expositionem fidei illis qui sequebantur fidem Nestorianam, secundum professionem quam postea in symbolo fecit? Nam vestra dominatio de hoc aliquid terigit, & ideo declaret: licebatne illis Nestorianis, spreto Nicæno, loco illius aliud componere symbolum, & illud tradere baptizantibus, si illud contineret veritatem? nunc dominatio vestra dixit, talem licentiam habere vniuersalem ecclesiam. Quæro, an Nestoriani haberent, si verum protulissent symbolum.

ANNO
CHRISTI
1438.

CARD. Fecistis duo quæsitæ, sed non dixistis vnum, quod non est prætermittendum. Dixistis, quod inhibitiõ non vult, quod quilibet non habeat licentiam faciendi symbolum suum. Ad istud dico, quod satis est ad elucidationem nostræ quæstionis, quod Synodus non prohibet quemlibet tradere expositionem suæ fidei, vel symbolum secundum veritatem.

NICÆN. Addo, quod ecclesia vniuersalis non prohibet, quod quilibet possit exprimere, dummodo sit vera expositio.

CARD. Hæc diffinitio, secundum vos, non prohibet, quod quilibet exponat & profiteatur symbolum prout vult, dummodo verum. Volo ostendere, (intelligo verbum, aliud, & diuersum verbis, etsi verum, prout vultis interpretari) quod contradicitis textui. Dicit textus: Nulli liceat proferre aliam fidem. Intelligitis aliam fidem etiam aliis verbis, licet consonantem rectæ fidei. Si hoc est, aduertat paternitas vestra, quod contradicitis textui dicenti: Nec clerici, nec episcopi, nec laici. & in fine loquitur in singulari, & de episcopo, clerico, vel laico. Vnde si illa verba, Aliam fidem, habent sensum prout dicitis, sequitur contrarium eius quod dixistis, quia conceditis, quod persona particularis possit sibi facere symbolum: & tamen textus contrariatur, intelligendo prohibitionem, Aliam fidem, id est, aliis verbis. Et hoc sufficiat ad intellectum quem datis, quod sit contra dicta vestra. Quantum pertinet ad intellectum horum, satis dixi in scriptis, & dico, quod textus non dicit, quod nulli liceat proferre aliam fidem vniuersaliter, sed dicit contrariam fidei Nicænæ. Et textus non dicit, quod non liceat in publico, vel in priuato: sed dicit, Aliam fidem. Et quod illud verbum, Aliam fidem, debeat intelligi de contraria, apparet ex his quæ sunt facta in principio illius actionis; quia conuenientibus episcopis fuit dictum, legatur symbolum, conferantur sermones Cyrilli & Nestorii: & illi qui reperientur consonantes fidei Nicænæ, confirmantur: qui dissoni, repellantur. Modo Synodus faciens diffinitiones, facit secundum intellectum principii: & sic intelliguntur illa verba, Aliam fidem. Possent allegare alias rationes ad has quas dedi in scriptis, & ne turbem mo-

dum arguendi, hoc sit fati. Nunc respondeo ad duo quæ-
sita, & antequam respondeam, dico, quod dixistis, quod
ante tertiam Synodum non erat facta prohibitio. Et di-
co ad hoc, quod ego sum paratus ostendere per acta tertii
Concilii & sexti, quod hæc prohibitio fuerat ante facta:
& si placebit audire, nunc dicam. nihilo minus, ne fugiam
quæsitum, respondeo ad primum. Petitis, licet Charisius
posset facere sibi symbolum, an posset symbolum, in quo
omnes ^a conuenterentur.

^a Conuersi sci-
licet profite-
rentur.

EPHES. Nos quarimus, an Nestoriani habeant pote-
statem vniuersalis ecclesiæ.

CARD. Hoc fuit secundum.

EPHES. Ad primum fuit mihi responsum, & dixistis,
quod non: & ideo quæsiui, an Nestorianis licuisset, si ha-
buissent veritatem. nam hac ratione sustulistis meum ar-
gumentum istis verbis, videlicet. Cum dicerem, quod
non licebat Nestorianis facere symbolum, in quo alii ba-
ptizarentur, dixit dominatio vestra, quod symbolum
fuit reprobatum Nestorii, quia habet falsitatem: & ad-
didistis, quod si continuisset veritatem, fuisset approba-
tum.

CARD. Et nunc dico, quod si habuisset veritatem, trans-
isset, vt Agathonis & Sophronii symbola transuerunt. &
fundo me in textu qui dicit, quod causa reprobationis est,
quia continet peruersa dogmata Nestorii. Deinde dico,
quod Nestoriani si veram fidei expositionem dixissent,
non fuissent improbati; sed non potuissent mandare vni-
uersali ecclesiæ, quod id vniuersaliter profiteretur, quia
non habebant potestatem vniuersalis ecclesiæ.

EPHES. Illud symbolum Nestorianum erat dissimile
a symbolo Agathonis & Charisii, & aliorum, etiamsi fui-
set verum, quia illud symbolum Nestorianum tradebatur
conuertentibus loco symboli Nicæni. Illa autem alia
Charisii & aliorum symbola non sunt tradita vt commu-
nis disciplina & vt commune symbolum, in quo debe-
rent baptizari: & sic non est simile de illo Nestorianorum,
etiamsi fuisset verum cum aliis: & illud merito fuisset re-
probatum, etiamsi fuisset verum. Alia non fuerunt repro-
bata, quia non tradebantur vt commune symbolum. Et
cum dominatio vestra videtur dedisse licentiam Nesto-

^b Id est, ad si-
dem conuertis.

ANNO CHRISTI 1438. rianis, hoc non liceret. nam Charisius & ceteri non tetigerunt symbolum.

CARD. Contra, Charisius tetigit symbolum Nicænum, quia addit, Spiritum sanctum consubstantialem; & certa alia verba quæ non erant in Nicæno. Et ad id quod dixistis, ne quid præteream, quia implicatis multa argumenta, vellem vt particulatim faceretis, vt singulis respondere possem. Dico, quod nulla est differentia inter symbolum Nestorianorum, Charisii & Sophronii, si continuisset veritatem. Et tua paternitas non debet capere alium sensum ex textu legis, quoniam lex declarat, lex dicit, quod ideo reprobatur, quia continebat dogma falsum: ergo in hoc debetis vos fundare, & non in alio. Nam tradi symbolum per priuatos, quo omnes vtantur, hoc non prohibetur hac lege, sed solum hac lege prohibetur professio malæ fidei. Vtrum autem priuata persona possit hoc dare, dico quod non, non ex hac lege, sed ex alia qua cauetur, quod nullus potest mandare, nisi illis in quibus habet potestatem. Et volo dare aliam rationem, quia quæ publicum concernunt, omnes inferiores debent sequi ritum superiorum ecclesiarum.

EPHES. Rursus dominatio vestra venit ad ea quæ primo dicebatis, quod vniuersali ecclesiæ liceat tradere symbolum illis qui sub ea sunt. Ad id argumentum quod feci, non clare respondistis, videlicet, si illi Nestoriani habuissent potestatem faciendi symbolum, si fuisset verum.

CARD. Quid vultis ex hoc inferre? ego respondeo ex textu, & clare.

EPHES. Concedit dominatio vestra, quod Nestorianis licuerit baptizandis per eos symbolum ipsorum edere, & secundum illud baptizare, si esset verum, videlicet, vt expositio Charisii.

CARD. Id quod est priuatum, tradere vt commune non potuissent, & esset dicere falsum. Nestoriani si fecissent symbolum verum, potuissent illud sapere & proferre, & docere. Sed si dixissent quod esset symbolum Nicænum in sensu & verbo, non dixissent verum, sed proferre vt symbolum verum bene potuissent. Sed dicere quod priuatum est, esse commune, esset falsum.

EPHES. Clarum est, illos Nestorianos fuisse vsos vt com-

muni eorum symbolo, quia in illo baptizabant: numquid habebant potestatem id facere, si fuisset verum?

ANNO
CHRISTI
1411.

CARD. Dico, quod potuissent proferre, sed tradere vt commune non potuissent.

EPHES. Ego dixi, & bene, quod accusabantur Nestoriani, quod tradebant vt commune, symbolum transformatum, & sub illo baptizabant. Si autem illi Nestoriani habuissent licentiam hoc faciendi, prout videtur dominationi vestræ dicere, quod non erat lex prohibitionis prolata: ergo ista causa quæ mouit Concilium ad proferendum illam prohibitionem, non prouideret, prout erat intentionis patrum; cum propter istam licentiam transformandi symbolum, illi potuissent peruersa dogmata ponere. Ideo prouidens Concilium, ne talia de cetero fieri possent, necessario fecit diffinitionē prohibitiuam, quæ generaliter diffinit & terminat, nemini licere tradere, vel proferre, vel componere aliam fidem, præter illam Nicæni Concilii. Hæc autem ipsum Concilium decreuit, quia cognouit fuisse causam, vt falsa infererentur veritati. Vnde ex hac licentia qua utebantur in transformando symbolo, videntur patres tertii Concilii moti ad faciendum prohibitionem. Hoc autem a vestris verbis, vt aliquid sumptum, colligimus.

CARD. Cui vultis vt magis credatur, diffinitioni Concilii Ephesini, an vobis?

EPHES. Nos credimus & ipsi diffinitioni, & illis qui exposuerunt & interpretati sunt: & si qua difficultas est, credendum est interpretatoribus, qui fuerunt principales ibidem cum diffinitio extitit promulgata, quam nobis exponit beatus Cyrillus, & in epistola quam scripserat ad Iohannem Antiochenum & Acacium Melitenensem. Videamus interpretationem illius, & ipsam sequemur. nam nemo esset, qui magis posset diffinitionem exponere. Nunc si dominatio vestra vult quid dicere, dicat.

CARD. Synodus assignat hanc causam prohibitionis symboli Nestorii, quia sapiēbat falsitatem.

EPHES. Synodus non adducit hanc solam causam.

CARD. Diffinitio dicit, quod mandat, quod excommunicationi subiaceant qui sapiunt symbolum^a: ergo videtur, quod peruersum dogma Nestorii erat ipsum symbolum.

Deinde

^a Scilicet Nestorianum.

ANNO
CHRISTI
1438.

Deinde patet per verba Charisii, qui dicit, quod spreta fide Nicæna ediderunt aliud symbolum, id est, peruersum. Tertio, quia quod continetur in symbolo Nestoriano, fuerat lectum ex epistola Nestorii, quia eadem perfidia continebatur in epistola, prout in symbolo eiusdem. Cyrillus interrogauit Synodum, si contenta in epistola erant vera. Dixit Synodus quod erant falsa: vnde ea de causa Synodus tulit sententiam^a. Ad id quod dicitis, quod est credendum Cyrillo, fateor quod est credendum: & epistola Cyrilli scripta ad Ioannem^b non obstat, imo probat hunc sensum. Et si bene considerabitis verba epistolæ, intelligit illa verba, Aliam fidem, videlicet non quoad verba, sed quoad sensum: quia certum est, quod in epistola Cyrilli, & in responsua Ioannis sunt multa in expositione fidei, quæ non sunt in symbolo Nicæno. Et nihilo minus quia illa sunt vera, dicit, nil addentes vel diminuentes: & tamen in verbis multa addit, licet non in sensu. Vnde per illam epistolam apparet, quod non dicitur alia fides, quæ differt in verbis, si non differt in sensu. Item epistola ad Acacium^c non obstat, magis est pro nobis, quia ad illa verba Concilii, Aliam fidem, subdit^d, qui declarat aliter quam sit fides: non ergo contrariatur mihi. hæc sunt verba: *Qui semel nescio quo modo, &c.* Et sequitur: *Qui autem hoc agere vult, id est declarare, innouat quidem nihil, sed nec fidei expositionem nescitur innouare, sed manifestam magis constituit. Quid possetis habere clarior?*

EPHES. Quomodo incipit epistola?

CARD. Pridie dixeram, me hanc non habere: & fuit, quia non erat rubrica. Postea quærens reperi in certis instructionibus, quæ dicebantur secreta Nestorii, & incipit: *f* Causa quidem dulcis & digna. & post illa verba, aliam expositionem, declarat se, aliam, id est contrariam.

EPHES. Nos non habemus.

CARD. Declarat, quod nil videatur addere & innouare qui declarat. Et in Synodo quærens, an protulisset^e fidem conuenientem symbolo Nicæno, omnes responderunt, quod Cyrillus dixerat consonanter symbolo Nicæno: & licet apertius & manifestius dixerit ea quæ con-

Concil. Tom. 33.

E c

^a Actione 6.

^b Concilii Ephesini par. 3. cap. 14.

^c Concilii Ephesini par. 3. cap. 15.
^d Scilicet Cyrillus, intelligi de eo.

^e Verba epist. Cyrilli in act. Concilii Ephesini par. 3. cap. 15. Qui semel nescio quo modo dissentire vult, & quod non recte sentirent. Ex quibus verbis probatur, quod additio erat contraria & dissoluta.

^f Aliar, Res sane dulcis. In act. Ephes. loco citato.

^g par. 2. act. 1.

* *Alia*, Studium ac diligentiam. Concilii Ephesini par. 3. cap. 43.

tinentur in symbolo Nicæno, non videtur quid noui induxisse, sed quod magis sapiat cum Concilio Nicæno. Vnde si illa verba, *Aliam fidem*, significarent de verbis diuersis, certe Cyrillus incidisset in prohibitionem. Deinde volo allegare dictum Cyrilli in expositione symboli: & ex hoc videbitis, quis sit sensus prohibitionis, & quid Synodus voluerit prohibere. Incipit epistola: ^a Amor doctrinæ & amor laboris. vbi hæc verba sunt, videlicet: Iam sancta Synodus quæ in Epheso congregata est, tulit sanctam sententiam contra Nestorii malam opinionem, & vanitatem illorum qui cum eo erant, vel ante ipsum fuerunt, æqualia sapientes, & docere vel conscribere audentes damnauit, & æqualem illis imposuit causam, id est pœnam. Vnde ex hac epistola apparet, Synodum damnasse dogmata mala Nestorii: & sic apparet verbum, *Aliam fidem*, intelligi de contraria, quæ est Nestoriana, velei similis. Item apparet, quod symbolum Nestorianum reprobauit, quia sapiebat similia Nestorio. Etiam Cyrillusmet compositor diffinitionis dicit, quod damnat Nestorium & eos qui sapiunt sibi æqualia. Vnde patet, quod symbolum Nestorianum fuit improbatum, & qui sapiebat dogma æquale Nestorio, quod est contra id quod vestra paternitas ante dicebat, assignando aliam causam. Vnde cum paternitas vestra cognoscat hanc rem facillimam, & non habere dubietatem, cum facile sit vt omnes intelligant, & estis doctissimus homo, rogo paternitatem vestram, nolit tenere tantum auditorium ad rem quam pueri possent soluere. Sed ne perdamus tempus, intremus rem principalem, & dimitamus ista quæ non habent difficultatem. Nihilominus sum paratus respondere & hodie & semper. Sed hæc quaestio non est utilis, nec habet exitum veritatis.

EPHES. Nos istos sermones de quibus agimus & dicimus, non putamus ita vt facillime possint repelli a pueris, vt dominatio vestra dixit. Sed nos putamus ipsos necessarios, & alias vtilis, cum nos faciamus sermones de vocibus & auctoritatibus sanctorum patrum: hoc primo supponentes, quod si etiam dogma vestrum esset verum & rectum, tamen non esset in symbolo addendum, nec in symbolo cantandum. Melius est nos circa talia laborare, & dimittere theologicas rationes stare immutabiles & inconcussas.

ANNO
CHRISTI
1438.

Nam hoc magis adhæret difficultatibus rerum, de quibus discutiendum est. Notificamus vestræ reuerendæ paternitati hanc nostram esse intentionem, nullo modo a discussione istius difficultatis desistere, nisi applicemus prius ad aliquam veram conclusionem. Nos & dicimus & sapiamus, & faciliter ostendere possumus, quod si inuentum fuerit dogma, de quo difficultas est, esse verum, illud poterit apponi sub priuata diffinitione, prout in multis Conciliis œcumenicis actum est. Verum ab ipso symbolo nil debet submoueri, nec detrahi, nec addi, vt vnio Christianorum possit seruari a scandalis.

CARD. Quia tempus est carior res quam homines possunt habere, ideo vellem quod fieret, quod dixit imperator, vt tempus non duceretur in annum. Satis super hac quæstione disputatum est & per scripta & dicta hinc inde. Ego puto quod dominatio vestra cognoscat veritatem, & quod docti sapientes viri iudicent in mentibus suis, quod hæc quæstio non habet difficultatem. Sed non reprehendo vos qui introduxistis eam, quia facitis vt sapientes, qui volentes ingredi magna, incipiunt a leuioribus. Ita vos intraturi materiam Spiritus sancti, voluistis hanc vt faciliorem præmittere. Sed postquam tanto tempore hoc discussum est, & bene est aperta veritas quam non ignorabatis prius, arbitror vos fecisse ad tentandum, quomodo nos Latini scimus respondere. Rogo vt veniamus ad difficultatem maiorem: & sicut dixi pridie, si probatis Spiritum sanctum non procedere a Filio, profiteor plane, quod ecclesiæ Romanæ non licuit. Si vero non poteritis probare, & ostendetur contrarium, tunc sum certus, quod non facietis difficultatem, an potuit illa declaratio poni. Tamen pro me non remaneat: ego sum paratus respondere ad omnia obiecta. Sed forte melius esset, quod illis tribus diebus ordinariis disputationis fieret discussio materiæ præsentis, & in aliis prosequeremur hoc. Interrogetis me, & ego sum paratus. Domine Ephesine, ego dicam vnum verbum, & loquar vt cum patre, quia a vobis possum informari. Habuistis dicere, quod hæc prohibitio non fuit ante tertium Concilium Ephesinum. Ego possum ostendere contrarium, & est bonum vt patres audiant, quia licet dixerim in scriptis, hic non dixi: fortior ratio quæ assigne-

tur, quod non possit apponi syllaba in symbolo, est ex epistola^a Cyrilli: tamen si bene aduertit paternitas vestra, in illa epistola dicitur: Nihil præteratur, vel mutetur, non dicitur, addatur: sed posito quod dixisset, non facit contra nos, vt non ideo prohibitio fuerit prius facta. Cyrillus fundat se in auctoritate sacræ scripturæ, & dicit: Meminimus enim dicentis: *Noli transferre terminos æternos, quos patres tui posuerunt*: non illi loquebantur, sed Spiritus Dei. Vnde Cyrillus fundat se in hac auctoritate, quæ est prohibitua addere vel detrahere; & dicit sanctos patres & Spiritum sanctum per eos fecisse. Certum est illos sanctos patres fuisse ante Concilium, quia fuit dictum Salomonis, qui diu fuit ante tertium Concilium & Nicænum, imo & ante fidem Christi expressam in nouo testamento. Idem dicit Cælestinus^b his verbis: Quis non dignus est anathemate, qui addit fidei apostolicæ, quæ non recipit nec augmentum, nec diminutionem, & magna pœna constringit & addentem & detrahentem. & sequitur: Legimus in libris nostris, nil esse addendum vel minuendum. Hæc epistola fuit ante inchoationem Concilii Ephesini, & tamen Cælestinus profitetur ante fuisse inhibendum addi fidei apostolorum. Habeo duos testes: volo tertium habere, vt in ore duorum vel trium stet omne verbum: & allego septimam Synodum^c, quæ dicit: Quæ enim tradita sunt in catholica ecclesia, nec augmentum, nec diminutionem admittunt. Maxima & addentes & diminuentes pœna constringit maledictionis, vt scriptura asserit contra eum qui transfert terminos patrum suorum, nec habuerit propositum ad cognoscendum veritatem. Ergo septima Synodus fundat se in hac auctoritate sacræ scripturæ, & hoc dicit quod contingit illis qui non habent propositum cognoscendi veritatem. Vnde patet quod ille dicitur addere vel detrahere, qui transgreditur terminos patrum, veritatem mutando: sed qui declarat veritatem, non transgreditur terminos patrum. Et ratio est, quia prout dicit Cyrillus, hæc prohibitio facta est per Spiritum sanctum loquentem per sanctos patres: cum Spiritus sit spiritus veritatis, qui dicit veritatem, est intra spiritum, nec addit, nec detrahit. Qui autem dicit falsitatem, ille est qui exit terminos Spiritus sancti: & ille debet iudicari transgredi, vel addere ad ter-

^a supra citata
in actis Con-
cili Ephesini
par. 3. cap. 34.

Proverb. 22.

^b Epist. 18. ad
Nestorium in
actis Concilii
Ephesini par.
1. cap. 18.

^c Vltimis ver-
bis tom. 5. in
act. 6.

ANNO
CHRISTI
1438.

minos patrum. Et hic textus declarat quod ille est qui addit vel diminuit, qui non habet animum cognoscendi veritatem. Cum ergo hæc prohibitio præcesserit Concilium Nicænum, dicemusne, quod Concilium Nicænum transgressum sit terminos patrum suorum? Alias si intelligeremus de transgressione verborum, Concilium Nicænum fuisset transgressum terminos patrum, quia aliqua detraxit de symbolo apostolorum. Et idem de Concilio Constantinopolitano, quod Concilium addidit multa symbolo Nicæno: & quia dixit veritatem, non reputatur addidisse. Et ideo, quod sæpius dictum est, quod ecclesia post tertium Concilium non possit addere, & quod ante licuerit, non est verum. Deinde dico, quod nos habemus librum Græcum, vbi est symbolum Constantinopolitanum, vbi non est verbum, De cælis: dicit tamen verbum, Descendit. nec hoc, videlicet, Secundum scripturas. Nos habemus hic duo volumina Concilii Calchedonenfis, & sunt valde antiqua. Est vnum vltra quingentorum annorum, vt apparet: & hic ter ponitur symbolum Constantinopolitanum, & nunquam ponuntur ibidem, De cælis; & Secundum scripturas. Item habeo aliud de litera Longobarda antiquissimum, & sunt Canones omnium Conciliorum, & est symbolum Constantinopolitanum, & sine verbis illis, De cælis; & Secundum scripturas. Et sic ex his tribus libris apparet quod symbolum Constantinopolitanum non habebat illa verba, De cælis; & Secundum scripturas. Ille liber quem ostendistis de quarto Concilio, non sunt forte decem anni, quod fuit scriptus, vt apparet: nostri sunt antiquissimi quingentorum annorum. Item est liber similiter in Græco antiquus portatus de Constantinopoli. Item & nos ponimus in symbolo nostro certa verba vltra symbolum Constantinopolitanum, & non ex eo arguimur. Ponimus Deum de Deo. Illud non est in Constantinopolitano: & tamen nunquam aliqui reprehenderunt nos propter illa verba, sicut de illo, Filioque.

EPHES. Illud fuit in Nicæno, Deum de Deo; & in aliis conuenimus: ergo de istis non quæramus.

CARD. Non erat in Constantinopolitano: & dico quod cum conueniamus, quod vltra Nicænum & Constantinopolitanum cantetur verbum, De cælis, &c. fe-

^a Id est, non
debetur esse.

quitur, quod ^a non est differentia inter nos & vos de syllabis, sed de veritate.

EPHES. Ad illa quæ primo dicta sunt, cum longa fuerint, non est tempus respondendi, licet dominatio vestra quæsierit a nobis, & volueritis informari, hoc est supra nostram dignitatem: tamen nos haberemus ad ipsa respondere, & conuenienter sensui veritatis. Similiter ad vltima verba quæ facta sunt de his libris, quæ dominatio vestra produxit, non habemus nunc respondere, quia tempus non patitur: referentur ad tempus opportunum, quo tempore conuenienter inquirentur. Cum autem inter vestros sermones dominatio vestra fecerit mentionem in superioribus congregationibus, videlicet, quod liceat vniuersali ecclesiæ immutare symbola, & primo illi qui præest vniuersali ecclesiæ, cum habeatur manifeste quod dominatio vestra respicit ad ecclesiam Romanam, & præposito Romæ habueritis respectum, hoc præmittere sine discussione non patimur: volumus circa hanc rationem sermonem facere in sequenti congregatione, si placet. Nam habemus multa & præclara dicere circa hoc rationibus efficacioribus: sed suspicamur ne forte verba quæ dicenda sunt circa hoc, inducant scandala. Ideo dixi velle dicere, si placet: sit electio circa vestram dominationem, & si vobis videtur, fiet. nam ad hoc parati sumus.

CARD. Sunt inter alios articulos differentiarum vestrarum a nobis de potestate Romani pontificis: & cum sumus in discussione huius articuli de Spiritu sancto, non videtur conueniens admiscere de potestate summi pontificis. Et ideo in scriptura ^a dixi, de auctoritate Romanæ ecclesiæ non dico nunc, sed alio tempore referuabo: & quando erimus in discussione illius, libere poteritis dicere vt licebit: & debetis credere, quod non offendetis sanctissimum dominum papam, quia ipse non est hic, nisi vt veritas declaretur. Et per Dei gratiam hæc veritas apostolica sedis & ecclesiæ Romanæ est ita manifesta per sacra vniuersalia Concilia, quod si hæc quæstio in qua sumus, habet modicam difficultatem, illa habet multo minorem. Sed certe, vt dixi, quia est articulus distinctus, non esset bonum immiscere cum articulo de Spiritu sancto. Vnde ite-

ANNO
CHRISTI
1498.

ANNO
CHRISTI
1438.

rum atque iterum oro & obsecro, vt velitis incipere materiam processus Spiritus sancti, quia erit vtilior quam hæc in qua sumus. Et vere si essemus concordēs in isto articulo, credo quod nulla difficultas restaret in aliis: & spero, quod in aliis articulis erimus bene concordēs.

AND. His dictis, voluit sermonem ad papam, qui summa cum admiratione omnium hora iam 23. frigore imminente maximo, audiuerat cuncta patientissime.

CARD. Beatissime pater, videtur quod sanctitas vestra vna cum domino imperatore ordinaretis, vt procederetur ad negotium principale. Tamen vobis dico, patres reuerendi Græci, nos parati sumus quæsitis vestris omnibus respondere.

AND. His expositis, facto silentio, summus pontifex assurrexit, eiusque erectione cunctis assurgendi licentiam dedit.

NOTÆ AD VNDECIMAM COLLATIONEM.

¹ *Librum.*] Ex hoc vel simili libro est translatio Latina Concilii Calchedonenſis actione 2. in editione Colonienſi anni 1551. ex qua desumpſit Baronius tomo 4. anno 381. num. 29. in qua actione refertur a patribus Concilii symbolum Constantinopolitanum sine illis verbis, De cælis; & Secundum scripturas. quæ tamen in aliis editionibus leguntur, & canunt Græci, vt dicit idem cardinalis infra collatione 14. in fine primi numeri.

² *Non est.*] In symbolo Nicæno sic legitur: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: & sic canit ecclesia Latina. At vero in symbolo Constantinopolitano omittitur, Deum de Deo: & tantum dicitur, Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: & sic canit ecclesia Græca. Hæc verba cardinalis sic refert Græcus scriptor sessione 12. versus finem. *Has voces, Deum de Deo, non habetis, & nos habemus.*

³ *De cælis.*] Id est, cum vos Græci non faciatis vim super verbis, Deum de Deo, De cælis, & Secundum scripturas: sic non deberetis vim facere super verbum, Filioque, disputando, vt nos cogitis, de pura additione verbali. nimirum cardinalis & Latini properabant ad disputationem veritatis propositionis, Filioque.

⁴ *Scriptura.*] Græcus scriptor sessione 12. sic: *Ex articulis de quibus inter Latinos & Græcos est controuersia, vnus est de Romane ecclesie auctoritate. Nunc quia versamur in alia difficultate & articulo de Spiritu sancto, non videtur conueniens vt articulus hic cum articulo de catholica ecclesia confundatur.*

COLLATIO DVODECIMA. DIE IV. DECEMBRIS.

Secundo, tertio & quarto diebus.

^a Nimirum orationem ducis Burgundie oratoris, & duas disputationes tribus diebus habitas, unica collatione perstrinxit Andreas. Quas brevissime tantum innuit Græcus scriptor in 21. & 24. sessionibus.

Abbas generalis Cisterciensium orat nomine ducis Burgundie. Professiones fidei Charisii & aliorum fuisse admittas in Concilio, quia non continebant contraria symbolo.

AND. DIE quarta Decembris in conventionem cunctis astantibus, locus Græcorum deputatorum vacans erat. Intuebatur quisque, cur hoc evenisset: & quia inter colluctationem præcedentem & hanc, solennes ducis Burgundie legati aduenerant, ac summo pontifici Græcisve præsentibus, Concilio œcumenico solennem orationem fecerant, & imperatori Græcorum nil dixerant in publico: nunc Cabilonensis episcopus ex oratoribus qui ex duce venerant, primus assurgens, hæc inquit imperatori.

CABILON. Illustrissimus princeps dux Burgundie toto desiderio inflammatus ad unionem Græcorum, has literas tuæ serenitati mittit cum salute. Et quia continent credentiam, nos sumus parati eas vobis explicare in palatio serenitatis vestræ.

AND. Imperator illis receptis, misit suum interpretem ad respondendum secretae ambasiatoribus: qui demum reuersus ad imperatorem, iterum rediit ad ambasiatores.

LV D. Dic, oro, quid illi exposuerunt?

^b Dixi in prima nota ad t. collatione, hoc opus Andree adhuc desiderari.

AND. Quæ per Concilium gesta sunt alibi, ^b cuncta adscripsimus: hoc in conuentu disposuimus nil aliud extra proferre, nisi quæ fidei discussionem concernunt. Sed quia exhortatio hæc principaliter extitit ad hanc fidei unionem, referam quæ grauiter exposita fuerunt per religiosum virum ætate & doctrina venerabilem, generalem abbatem Cisterciensem, qui quartus inter oratores fuerat. Primus namque in ordine fuerat episcopus Morinensis, qui in curia degens honore adiunctus fuerat: sicque nihil dixit. Secundus episcopus Cabilonensis, qui primus in referendo fuit. Sed quia omnia in expositis per venerabilem patrem hunc contenta sunt, huius relatione dictorum

rum

rum illa videbuntur exposita. Tertius fuit episcopus Niuernensis, qui vt primus silentium seruauit. Quartus exiit abbas praefatus.

LVD. Dicas praefati patris exposita.

AND. His verbis Concilio peroratus est.

Sequitur oratio.

Si fuscillam iunco texerem, aut, vt beati Hieronymi verbis vtar, si palmarum complicans folia, in sudore vultus mei ventris sollicitamenta tractarem, me nemo reprehenderet, neque detractorum Deo odibilium morsibus exponeretur corrodendus. Nunc autem cum ego imperitus scientia & sermone, altiora me contra Sapientis documentum querere videar, & opus arduissimum, quod meo siquidem maturius eloquium decuisset, in insipientia mea nitar aggredi, declarare videlicet desiderandos a quolibet catholico fines, puta perfectam orientalis ecclesiae cum Latina vnionem, patrum quoque tam reuerendissimorum dominorum cardinalium, quam ceterorum dominorum & ecclesiasticorum Basileae congregatorum, cum sanctitate vestra, beatissime pater, concordiam & pacem: quos fines indefessis laboribus, continuisque suspiriis profequitur & intendit deuotissimus sanctae matris ecclesiae filius dominus Philippus, Dei gratia dux Burgundiae, qui nos hic astantes suae celsitudinis ducalis oratores & nuntios ad eandem sanctitatem vestram praesensque sacrum Concilium destinauit: si quo minus, beatissime pater, sacraque Synodus, vobis ingenita benignitas meum ceu nimis mox detegendum supportauerit imperfectum, quanam adesse mihi poterit subuentionis occasio, vt aduersum me in derisum non loquantur qui sedent in porta? Itaque ex propriis loqui non contendam, sed ea solum differere mihi animus est, quae ipse sapientissimus princeps posuit in ore meo. Magnam proinde concepi fiduciam, quod etsi non meis meritis, contemplatione tamen & reuerentia tanti tamque catholici principis, vestrae miserationes meam patienter sufferant ignorantiam; quodque pater misericordiarum, qui linguas etiam infantium facit disertas, sermones meos rectos & bene sonantes faciet in auribus vestris. Et hac spe fretus, in hac quoque protestatione specialiter confidens, quod omnia per me dicenda omni-

modæ correctioni & determinationi vestræ sanctitatis, beatissime pater, præsentisque sacri Concilii submitto, relictam mihi per reuerendissimum in Christo patrem dominum episcopum Cabilonensem expositionis per nos oratores coram hoc præcellenti auditorio fiendæ secundam particulam, prout ab alto mihi concedetur, conabor festinanter absoluere. Præsuppositis igitur veritatibus notissimis, siquidem longe magis factò quam verbo clarescentibus, quibus oratio tam secunda quam facunda ipsius reuerendissimi in Christo patris domini episcopi Cabilonensis illustrissimum principem dominum ducem Burgundiæ, vestræ sanctitatis, beatissime pater, filium obedientissimum, super extollendis virtutibus & amplissimis dignitatum titulis fore multipliciter insignitum, declarauit eleganter & abunde pro aliquali mediorem declaratione, quibus ipse potentissimus princeps sua sanctissima desideria de procurando & ponendo in ecclesia Dei vniõnem & pacem confidit & desiderat efficaciter posse perfici, pro quorumque practica & feruenti prosecutione hos tot tantosque reuerendos nuntios, nobiles & insignes viros per tanta tamque periculosa itinerum spatia ad eandem sanctitatem vestram præsensque sacrum Concilium destinat, verba præmittere non confundor. Pridem in epistola Misæ recitata, quæ beatus Apostolus dudum Philippenses exhortans ad perficiendum opus quod cœperant, in i. capite epistolæ ad Philippenses ipsos direxisse legitur, cum diceret: *Oro vt caritas vestra magis ac magis abundet.* Quorum verborum intelligentia ex causâ dicendi faciliter accipitur, si considerationis acies paululum circa deductionem figatur Apostoli, qui postquam Philippenses de felici operis per ipsos inchoati consummatione securos reddisset, dicens: *Confido quia qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet vsque in diem Iesu Christi.* Rursus plane demonstrans se velle huiusmodi operis cooperatorem & coadiutorem esse, continuo subiunxit hoc: *Oro vt caritas vestra magis ac magis abundet.* Quoniam enim ad inchoandum perficiendumque quodcumque opus bonum virtus caritatis, quam theologi virtutum matrem & formam appellant, sit necessaria, idem Apostolus in prima epistola ad Corinthios pulcre profundeque pertractans, linguis loqui

Philip. i.

ANNO
CHRISTE
1438.

ANNO
CHRISTI
1438.

angelorum, omnia noscere myſteria, fidem ad transferendos montes habere, cibare pauperes, in prophetiis ſeu aliis quibuſcumque perfectionibus abundare, vbi caritatem abeſſe contigerit, nihil prorfus valere, tandem veraciter concludit & determinat. Et vbi caritas non eſt, inquit magnus Gregorius, quid eſt, quod poſſit prodeſſe? Vbi vero caritas eſt, quid eſt, quod poſſit obeſſe? Caritatis ſiquidem proprium eſt, vt idem Gregorius teſtatur, nutrire concordiam, ſeruare composita, coniungere diſſonantia, dirigere praua, & virtutes ceteras perfectas ſuo munimine ſolidare. Cum igitur homines extra caritatem qua Deus & proximus diliguntur, conſtituti, contentionibus & litibus, qua ſeruos Dei, ſecundum Apoſtolum, non decent, inſiſtentes, ſchiſmatibus & diſcordiis, quibus, iuxta Salluſtium, magna res dilabuntur, inuoluti, in pace in idipſum nunquam dormientes aut quieſcentes, ſed ſemper aduerſa ſentientes & dicentes, prorfus nihil ſint, niſi forte quoddam æs ſonans, & cymbalum tinniens: quid mirum ſi doctor gentium Paulus fidelitatem & veræ dilectionis affectum, quibus Philippenſes amplectebatur, manifeſtare volens, ipſos nedum ad habendum caritatem, qua diſcordias terminat & rancores tollit, ſed etiam ipſos ſeruenter ſolicitat & hortatur, vt eorum caritas magis ac magis ſemper abundet? Sane inter varios & multiplices effectus, quibus fidelitas & perfecta dilectio vnus ad alterum comprobatur, nullum qui de his tractant ſuis in ſcriptis eo inueniuntur euidentiore reliquiſſe, quam quo contentionum & diuiſionum declinatio conſulitur, reconciliationis & concordia modus inducitur, & pax, ſi fieri poſſit, cum omnibus hominibus quaerenda ſuadetur & habenda: hinc piſſimus Saluator mundi, cuius omnis actio noſtra eſt inſtructio, nihil tantum ſicut concordiam & pacem ſuis inuenitur diſcipulis commendaffe. *In hoc, inquit, cognoscent omnes, quod mei* Ioan. 13. *eſtis diſcipuli, ſi dilectionem & concordiam habueritis adinuicem.* Imo ipſe dulciſſimus Ieſus, qui eſt pax faciens vtraque vnum, cum eſſet ex hoc mundo tranſiturus ad Patrem, pro quo ſpecialius, quam pro vnitatem & concordia ſui corporis myſtici, quod eſt eccleſia, legitur exoraffe? *Pater, inquit, rogo vt ſint vnum, ſicut nos vnum ſumus.* Ioan. 17.

Concil. Tom. 33.

Ff ij

Cant. 6.

In epistolis autem Pauli, in Ioannis & Petri, ceterorumque apostolorum canonicis, quorum vos, patres optimi, esse gloriamini successores, quid aliud præcipitur, quid aliud docetur aut annuntiatur, nisi pax & concordia fidelium, quodque multitudinis credentium sit cor vnum & anima vna? Quid autem sibi vult, quod sponsus ecclesiæ toties in canticis sponsam suam vocat vnam, dicens: *Vna columba mea, vna electa mea, vna perfecta mea?* quatenus fideles intelligant, vnitatem tam frequenti vöcum ingeminatione commendatam ad ecclesiam Dei sic pertinere, vt iam illi non sint de ecclesia, extra quam non est falsus, qui damnabiliter diuidunt ecclesiam, seu ipsam diuisam reducere ad vnitatem negligunt & contemnunt. Hinc sponsus ipse patienter demonstrando quantum sibi displiceat, quantumque sit periculosa in corpore suo, quod est ecclesia, quæcumque suscitata diuisio, cum ad turbas in figuris loqueretur, nonaginta nouem oues in deserto relinquendas pro eundo ad illam quæ perierat, ipsamque propriis humeris reportando ad ouile, salubriter docuit & fecit: imo reprehensus a Iudæis, quia cum publicanis & peccatoribus manducaret, se non esse missum nisi ad oues quæ perierant domus Israel, & quod non est opus valentibus medico, sed male habentibus, constanter legitur respondisse. Per hæc, ni fallor, futuris ecclesiæ pastoribus luculenter insinuans, quanta ipsis incumbat necessitas, iuxta modum loquendi Apostoli, opportune & importune, per gloriam & ignominiam, & per infamiam & famam bonam iugiter prouidere & attendere, vt in grege Domini, in quo posuit eos Spiritus sanctus regere ecclesiam Dei, nulla omnino schismatis macula, nulla cicatrix insurgat vel maneat, neque vox illa nimium lugubris & detestanda resonet: *Ego sum Cephæ, ego sum Apollo.* Parua siquidem scintilla si diutius feruescere sinatur, filuam magnam frequenter incendit. Quemadmodum, dicente Gregorio, peccatum quod per pœnitentiam mox non diluitur, suo pondere ad aliud trahit. Quid enim horrendissimo schismati in Constantia nuper terminato tantam dedit durationem, ex qua omnis in orbe deformitas surrexit, nisi defectus ex negligentia extinguendi commune incendium, quod cito flammam emisit, quod in sui initio abs-

1. Cor. 1.

ANNO
CHRISTI
1438.

que iactura vel dedecore partium postea condemnata-
rum, tam faciliter quam feliciter fuisset extinctum? Ut
igitur voraces flammæ ignis schismatici his infaustis die-
bus vndique sicut scintillæ in arundineto discurrentes, tan-
dem non inueniantur oues & ouile Christi miserabiliter
deuorasse, quid vtilius, quid decentius, quid denique in-
signius vero Dei vicario, ipsarum ouium summo pastori
suaderi potest aut consuli, quam vt pro obstando tam pro-
pinquo tamque periculoso incendio, cuius principiis re-
medium sero adhibitum nihil forte proficeret; pro conser-
uando integritatem tunicæ inconsutilis, quam neque cru-
deles milites Christum occidentes diuidere præsumpse-
runt; pro danda sibi & ecclesiæ Dei sponsæ suæ quiete &
pace, Græcis & barbaris, sapientibus & insipientibus lon-
ge lateque per orbem dispersis, quibus, vt loquitur Apo-
stolus, debitor est, tantam exhibeat humanitatem, tantam
clementiam demonstret, sicque ipsorum infirmitatibus
paterno condescendat affectu, quod generosi animi, qui
facilius ducuntur quam trahantur, affabilitate, beneuo-
lencia & mansuetudine potius quam rigore vel timore
victi, reiectis quibuslibet schismatum seminariis & fomen-
tis, ad fratres & coætaneos suos gloriantur festinanter oc-
currere, laboraturi, sicut omnino fieri necesse est, quod
ex omnibus Christi ouibus fiat vnum ouile & vnus pastor.
Ignoscere quippe, sicut ex sapientibus quidam testatur,
summum & nobile vincendi genus est: & Africanum Sci-
pionem, Iulium Cæsarem, ceterosque conquisitores orbis
plures, tandemque fideliores ex populis sibi rebellantibus
subditos & amicos comparasse ignoscendo, miserando,
largiendo, quam gladiis vtendo vel vinculis, veteres paga-
norum historiæ commemorant. Cum enim dicente mo-
rali Seneca, turpius nihil sit homini, quam cum eo bellum
gerere, cum quo semper amice vixerit. Cum rursus ani-
malia siluestria & bruta pacem & concordiam, sicut ce-
tera entia, naturaliter sic appetant, vt si ea diuidi abinui-
cem contigerit, vagis insistere discursibus, mugire, vlu-
lare, variosque fremitus & boatus emittere non cessent,
donec rursus vnumquodque cum sibi simili coniunctum
extiterit: quo pacto Christianis beatissimæ Trinitatis
immagine decoratis non conuenit, vt in eis rigor cuiuslibet

Ff iij

diuisionis sic lentescat, quod iuxta præceptum Apostoli, sol non occidat super iracundiam ipsorum, & relicto munere quod offerunt ante altare, si forte vnus aduersus alium aliquid habuerit, confestim & prius non vadat reconciliari fratri suo? Quis enim illos existimaret pro fratrum animabus seipsos cum Apostolo velle impendere, qui propter quascumque iniurias, seu temporales vtilitates, vel honores, reconciliationem & concordiam cum fratribus diligenter quærere & procurare denegarent, vel ipsas oblatas renuerent? An non, euangelio testante, & experientia nimis docente, omne regnum in se diuisum desolabitur, & omnes, sicut loquitur Apostolus, qui se inuicem mordent aut comedunt, tandem abinuicem confumentur? Quid enim Assyriis, quid Medis & Persis, quid Græcis & Romanis, quid denique nostris temporibus regnis & populis bella ciuilia & schismata reliquerunt, nisi lamentabilem patriarum desolationem, gloriosæ famæ attenuationem, corruptionem morum, & ad impune cuncta pertractanda facinora libertatem & licentiam? Quid ergo superest, si Græci (quod absit) non vnirentur cum Latinis, si Latini diutius inter se diuisi permanerent? Quid, inquam, superest, nisi quod terribilis Deus se demonstrans pœnitere quia fecit hominem, quemadmodum terrena regna de gente transfert in gentes propter iniustitias & iniquitates & diuersos dolos: ita quoque gloriam regalis sacerdotii, tam Græci quam Latini, propter eorum nimis continuatas discordias, miserabili seruituti ac regimini (sicut iam in parte factum cernitur) subiiciat & tradat illorum, qui gladium in vindictam malorum portant; tandemque oporteat, sicut beatus Bernardus deplorat amare, dominam gentium ancillari, & ancillam dominari? Si enim causantibus discordiis inter Christianos, iis temporibus pestiferis (proh dolor) vigentibus, quibus similes ab incarnatione Verbi Dei nemo vidit vnquam, discessionem ab ecclesia Romana fieri contigerit, quemadmodum hæretici Hussitæ, & eorum sequaces id desiderare, diutinque procurare non desinunt: cum beatus Apostolus in 2. ad Thessalonicenses palam innuere videatur, tunc finem mundi & diem nouissimum instare, aduentumque illius filii perditionis, qui dicitur Antichristus, esse

ANNO CHRISTI 1438.
propinquum, quando huiusmodi fiet discessio. Quis sapiens merito non formidet se visurum in valde proximo superuenturas vniuerso orbi, præsertim ecclesiæ, tribulationes & angustias, quales mundus, ex quo gentes forte cœperunt, non habuit, si quo minus ipsi ecclesiastici Latini & Græci, saltem ex vexatione capientes intellectum, mox sibi inuicem dexteram dederint, seque, reiectis vltioribus diffugiis, ad osculum receperint, non fictæ sed veræ pacis: an non, vt cetera prætermittam horum periculorum testimonia, lamentabilis plurium ecclesiarum, præsertim cathedralium desolatio vtique proueniens ex pugnis & concertationibus duorum altarium in templo Domini erectorum, quorum vnum soluit quod aliud ligat, vnum destruit quod aliud ædificat. Cum autem videritis hæc fieri, inquit Saluator, qui sunt in Iudæa fugiant in montem, & qui supra tectum, non descendant, vt quid capiant in domo. Væ prægnantibus & nutrientibus in diebus illis. Has plane longe magis quam repentinum fulgur formidandas tribulationes & angustias piissimus atque deuotissimus princeps dominus dux Burgundiæ, vestræ sanctitatis, beatissime pater, filius obedientissimus, suis in præcordiis solerti meditatione reuoluens, ipsisque more suo catholico viribus mentis & corporis satagens occurrere, præ oculis quoque sapienter & salubriter habens, quod ex vnione sanctæ matris ecclesiæ, pace & concordia fidelium, earumdem tribulationum cessatio, vestræque sublimis personæ, beatissime pater, salus & quies, ac in æternum apud Deum & homines duratura commendatio, singulariter dependent, vt fidelitatem filialem, feruentissimum ac deuotissimum sinceræ dilectionis affectum, quibus vestram sanctitatem amplectitur & colit, opere & veritate palam demonstret, per nos hic præsentis suæ celsitudinis ducalis oratores & nuntios, in caritatis perfectæ visceribus, in totius humilitatis & reuerentiæ spiritu, eidem suæ sanctitati supplicat, quatenus vestræ pietatis oculos benigne dirigentes ad horrendissima scandala per vniuersas Christianitatis regiones extemplo disseminanda, si (quod absit) in agro dominico vestræ curæ specialiter commisso, lethifera schismatum superfeminarentur zizania, si Latini magis ac magis diuiderentur, seu diutius sic diuisi

permanerent, quod propter eorum contentiones ac discordias orientalis ecclesia se vel ad horam differret vnire cum Latina, festinanter & efficaciter prouidere dignemini, quod ecclesiam Dei sponfam vestram nulla schismatis labes contamineat. Quodque illa duo opera sanctissima, quæ vestra sanctitas ex caritate perpetuis efferenda laudibus strenue inchoauit, vnio videlicet Græcorum cum Latinis, patrum quoque tam reuerendissimorum dominorum cardinalium, quam ceterorum dominorum & ecclesiasticorum Basileæ congregatorum, cum vestra sanctitate reconciliatio & concordia festinam & toti mundo summe necessariam accipiant consummationem. Horum siquidem operum sanctissimorum, quorum felix consummatio & iugis permanentia haud dubium sunt media conuenientissima & maxime necessaria ad procurandum & ponendum perfectam in ecclesia catholica vnionem & pacem, ipse potentissimus princeps cooperator & coadiutor fieri quousque desiderat, vt pro ipsorum felici adeptione personam suam inclytam, patrias, subditos, cunctaque amplissima simul & opulentissima suæ magnificentiae subiecta dominia, vestrae sanctitati sacroque Concilio fideli cordialissimoque presentat affectu: nobisque suis ambasiatoribus specialiter iniunxit, vt in ipsorum feruenti prosecutione, simul & ceteris quibuscumque materiis prosperitatem & honorem sanctæ matris ecclesiae, vestraeque sanctitatis ac presentis sacri Concilii concernentibus, nos exhibeamus sicut Dei ministros, singula tantis rebus, quæ per sanctitatem vestram & ipsum sacrum Concilium nobis mandata fuerint, prout id facere iugiter habuimus & retinemus in votis, corde & animo diligenter adimplere. O ducem vere catholicum! O legitimum sanctæ matris ecclesiae filium! Siquidem nomine principis pacis iustissime honorandum, cuius instantia quotidiana cum Apostolo est sollicitudo omnium ecclesiarum, rogare quæ ad pacem sunt Ierusalem, euangelizare concordiam gentibus, his qui prope & longe sunt, reconciliationem impetrare, & per omne quod in ipso est, omnia tollere scandala de regno Dei. O magnanimi cordatique principis iustissima & omni exauditione digna petitio, quæ priorum inscia commodorum, solum in-

ANNO
CHRISTO
1438.

stat

ANNO
CHRISTI
1438.

stat pro sublatione schismatum, pro desideranda Latino-
rum & Græcorum vnione, pro exaltatione fidei catholicæ,
pro Christianitatis communi bono, pro conseruatione
& incremento reipublicæ seruorum Dei: quæ profecto
a vestra sanctitate, beatissime pater, præsentive sacro
Concilio nil magis efflagitat vel quarit, quam iuxta mo-
dum loquendi Apostoli, qui cœpit in vobis opus bonum,
illud perficiat: sicque caritas Dei per Spiritum sanctum
diffusa in cordibus vestris, circa prædictorum operum con-
tinuationem semper magis ac magis abundet: quoniam
propter ipsorum imperfectionem vel neglectum, viam
transeuntes in fugillationem honoris & nominis aposto-
lici, occasionem non habeant mouendi capita sua, & di-
cendi: *Ecce homo, qui cœpit ædificare, & non potuit con-* LUC. 14.
summare. Et quis est, qui vobis noceat, inquit Petri ca-
nonica, si boni æmulatores fueritis? Cum enim labor im-
probis omnia vincat, & iuxta Senecam, nihil est quod
vigilans & pertinax cura non expugnet. Cum rursus fe-
cundum parabolam euangelicam, homo iacens in cubili,
propter improbitatem pulsantis ad ostium, de lecto sur-
gere, & amico quotquot habet panes necessarios trade-
re compellatur: quis ambigit, beatissime pater, si vestra
benignitas nimis ecclesiæ compatiens languoribus prædi-
cta opera sanctissima tam laudabiliter incepta, opportu-
ne & importune, sicut loquitur Apostolus, continuare
dignetur, quin mox illam debeant desideratam accipere
consummationem, pro qua tantæ auctoritatis, * excellen-
tiæ princeps tam instanter, in tantaque humilitate & reue-
rentia supplicat, pro cuius sollicitatione & felici adeptione
tot sublimes & religiosos viros tantas fecit regiones pera-
grare? Si vero gratiam hanc singularissimam, nulli certe ex
vestris prædecessoribus summis pontificibus collatam, ve-
stra sanctitas, beatissime pater, in oculis Dei pietatis inue-
nerit, vt vestris in diebus, vestrisque precibus sanctis & di-
uinis directionibus Latini pariter & Græci sub vmbra ec-
clesiæ Romanæ in magna domo Dei simul in vnum con-
gregentur & conueniant, cui, quæso, comparabitur glo-
ria nullis delenda sæculis, ex hoc triumpho gloriosissimo
per vos reportanda? Quo rursus præmio, præterquam illis
debito qui per fidem vicerunt regna, meritum apud mor-

* f. & ex-
cellentia

tales insolitum, ex his tamen operibus perseveranter continuatis indubie acquirendum, digne poterit compensare? Quis postremo, etiamsi linguis loquatur angelorum, sufficienter exprimeret fructus gloriosissimos ex hac iunctura orientalis & occidentalis ecclesiarum unione in vna fide, in vno spiritu, in vno baptisate, in vno Domino, vestris maxime laboribus & expensis adepta, totimundo tandem peruenturos? Hi sunt gloriosissimi labores vestri, beatissime pater, si cœptum opus desiderandæ unione Latinorum & Græcorum perfecerint, cælis dabunt gloriam, inferno solitudinem, pacem mundo, fidem gentibus, finem vitiis, & moribus refundent disciplinam: tuncque, & (ni fallor) vix alias optatæ perfectionis culmen accipient illa tua opera sanctissima, propter quæ præsens sacrum Concilium esse dignoscitur convocatum, extirpatio hæresum, pacificatio Christianorum, ac toties petita ac promissa Christianitatis reformatio, sine qua vtique vanum erit vobis ante lucem surrexisse: vix tandem multum profecisse inuenientur, qui absque ea manum ad fortia posuerunt, dicente propheta Ieremia: *Percussisti eos, & non doluerunt: attriuisisti eos, & renuerunt accipere disciplinam: indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti. Idcirco percussit eos leo de silua, lupus ad vesperum deuorauit eos.* Si autem Græci cum Latinis sint vnanimes, id ipsum sentientes & dicentes, quis de festiua perfectaque prædictorum operum consummatione deinceps ambigere præsumeret? Siquidem hac felici & summe desideranda unione facta, cum iuxta promissum euangelicum, Christus semper adsit omnibus in nomine suo congregatis, & ipsis cum Spiritu sancto gemitibus inenarrabilibus orantibus cuncta subiiciantur & obediant, confestim expulsis ab ecclesia Dei quibuslibet erroribus, pace inter Christianitatis principes & populos reposita, legibusque renouatis, vel nouiter editis, secundum quas Christianos viuere concedet, temporibus sanctissimi domini nostri Eugenii papæ IV. videbit & gaudebit omnis caro, sæcula redire aurea, olim temporibus Octauiani, cum Christus nascetur, florentia, quibus durantibus vnusquisque sub vite sua secure sedens, pulcritudine pacis gaudebat, con-

Ierem. 5.

ANNO
CHRISTI
1438.

uertebanturque gladii in vomeres, & lanceæ in falces. Sed & demum quis a longe prospiciens & alta cognoscens, aperte non videt, si Latini & Græci, qui per tanta, heu, tempora lamentabiliter diuisi fuerunt, quia forte non fuit, qui, sicut facit de præsentis sanctissimus dominus noster, pedes eorum in viam pacis dirigeret, hac vice cor vnum & anima vna esse meruerint? Si istæ duæ gentes ad bella doctissimæ ad passagium transmarinum accingantur, ad quod, Domino largiente, per sanctissimum dominum nostrum solícite inuitabuntur, & reddentur efficaciter animati, quemadmodum plerique summi pontifices inueniuntur dudum omnis orbis nobiles & ignobiles feruenter excitasse ad collapsos reædificandum muros Ierusalem, terramque sanctam eruendum de manibus inimicorum Christi. Si, inquam, iste populus Dei ex Græcis & Latinis constitutus istud secundum iter arripiat, & sicut olim victoriosi Israelitæ procedebant ad bella, vno mentis & corporis agmine aduersus Turcarum & Tartarorum, ceterorumque infidelium proficiscatur phalanges: quis hæsitare præsumeret, inclytas Græcorum regiones viris illustribus sapientia, eloquentia, grauitate morum, mirisque virtutibus & gratiis fulgentibus adornatas, de manibus omnium inimicorum suorum in valde proximo non esse feliciter liberandas, pristinamque ad gloriam olim nulli de mundo secundam reducendas? O si felix illa dies gloriæ Christianorum aduenerit, quanta putabitur illa potentia, quam potentissimus princeps & dux Burgundiæ pro tanti adeptione brauii construet, quamque tunc se habere terra marique cum iucunditate maxima mundo declarabit. Quis autem eo vsque pusillanimis, vel abiectæ poterit esse conditionis, vt ad hoc gloriosissimum certamen conquisitionis terræ sanctæ inuitatus, mox relictis omnibus Christum non sequatur, seque glorianter non exponat ad recuperationem sanctæ ciuitatis Ierusalem, ceterarumque insignium vrbium & patriarum precioso Christi sanguine & præsentia consecratarum, totiesque & nouissime (quod ad verecundiam modernorum Christianorum loquor) per catholicos principes & populos Christianitatis subiectorum imperio, quos moderni Christiani ob caritatis & concordie carentiam mu-

tuis cædibus & stragibus sese damnabiliter laceffentes, per Machometi ceterorumque cultores idolorum possideri conculcarique conspiciunt, & non est qui adiuuet. O ineffabilis & incomparabilis mater caritas! o inæstimabile donum Dei concordia! quibus super cunctas virtutes hanc diuina miseratio prerogatiuam largiri dignatur, vt earum medio & auxilio ecclesia Dei vnionem & pacem, terra sancta de manibus inimicorum Christi liberationem, Græci & Latini de suis inimicis victoriam & triumphum, infernus & dæmones interitum & confutationem, angeli sancti lætam suarum sedium restaurationem, & beata denique Trinitas perennes gloriam & laudes possint reportare. Viuat igitur & in piissimo corde vestro beatissime pater, quemadmodum vna cum illustrissimo & potentissimo principe nostro domino duce Burgundiæ nos hic humiles sui oratores & nuntii deuotissime supplicamus, magis ac magis semper abundet hæc felix & superextollenda mater caritas, quæ filios suos tantæ consolationis lactat vberibus, & omnia possidens, nunquam quæ sua sunt, semper autem quæ sunt Christi Iesu præponit & quærit: viuat & super vos gloriosissimos principes populorum, sacerdotes & ministros Domini in hac sacra Synodo cum Deo Abraham congregatos. Et sicut nos oratores tanti principis rursus vestris reuerendissimis paternitatibus humillime supplicamus, caritas vestra sic semper magis ac magis abundet, quod vestris continuis laboribus & studiis, vestrisque salutaribus consiliis (inter sanctum dominum nostrum, patresque tam reuerendissimos dominos cardinales, quam ceteros dominos & ecclesiasticos Basileæ congregatos, pax, concordia & perfecta reconciliatio, quemadmodum id fieri pro conseruatione Christianitatis catholicus princeps noster arbitratur summe necessarium) festinanter & efficaciter valde dilatum accipiant complementum. De cetero super vos & ipsos semper viuat, dominetur & regnet pulcra vt luna, electa vt sol, filia caritatis concordia, quam Spiritus sanctus Patris & Filii caritas, nexus & amor, omnibus pro pace & concordia Christianorum, tam Latinorum quam Græcorum, laborantibus & orantibus præstare dignetur in sæcula sæculorum. Amen.

ANNO
CHRISTI
1438.

AND. Hic fuit religiosissimi viri sermo, non minus grauitate quam affectu & caritate prolatus. Fuerunt igitur hæc in conuentu præcedentis diei dicta, in huius diei conuentione imperatori dicta fuerunt verba præposita. ^a Illico interpres nostris sex deputatis suo loco confedentibus inquit.

^a Initium huius collationis.

INTERPR. Si placet vobis, vt nostri deputati veniant, vt aliquid dicant, domino imperatori placet.

CARD. Placet.

AND. Sex ex Græcis præpositi ad locum nunc primo venerunt, & Ephesinus archiepiscopus hæc verba in medium dixit.

EPHES. Nunc, Deo duce, sermonem nostrum prosequemur, & Deo iuuante, incipiemus ad respondendum his quæ dicta fuere per dominum cardinalem. Ita inquiramus intentionem & veram sententiam prohibitionis, de qua nunc agitur inter nos. Quam inquisitionem debemus facere ex his quæ posita sunt in diffinitione & lege, & eius verbis, & ex his etiam quæ scripta sunt in epistolis datis in diuersis locis secundum prohibitionem. Verum rogamus vos, patres reuerendi, placeat breuiter reddere responsa, quoties opus fuerit interrogare; & respondeatis aut per assensum, vel per negatiuam. tali namque modo disputatio nostra prosequetur, & facilius poterimus inuenire veritatem quam quærimus. Si autem cum nos interrogamus, vos autem respondeatis per prolixos sermones, & implicatas & varias responsiones, erit opportunum per nos fieri prolixiores tractatus: & hoc modo cum difficultate veniemus ad conclusionem. Sit responsio vestra, est, aut non, secundum legem dominicam. Et certe si dominatio vestra aliquid latius velit opportune dicere, & rem clarius ostendere, post responsiones quas daturi sumus ad responsionem vestrorum argumentorum, quidquid habebitis dicere ad confutationem nostrorum, poteritis confidenter dicere; & libenter audiemus. Quæ omnia breuiter & per decisiones debent inter nos tractari, vt posita conclusione, ad vltiora possimus procedere. Profecto eundem ordinem & nos obseruaturi sumus, cum fuerimus de re aliqua interrogati. Satis in exordiorum sermone. Iam denique ingrediamur ipsum pro-

* Id est, nihil
dedit, seu con-
tulit, vt paulo
infra.

positum. Charisius ille^a nihil donatus est ad confirmatio-
nem vestræ rationis. Nam concessum in pluribus & a vo-
bis est, illam professionem illius, vel fidei suæ expositio-
nem, particularem & priuatam fuisse, nec debere æstima-
ri pro communi. Hoc autem nec per illa tempora, nec
post prohibitionem fuit inhibitum. Quamobrem merito
ille Charisius non fuit reprehensus, cum nil egerit repre-
hensione dignum, cum commune non tradiderit symbo-
lum, sed priuatam fidem. Denique velle patres illos vo-
luisse intelligere aliam fidem, id est contrariam fidem, est
contrarium eorum intentioni & legi. Quod hoc sit repu-
gnans vi & sententiæ legis, manifestatur ex hoc, cum aliud
diuersum sit, quam contrarium. Omne namque contra-
rium, diuersum, non econtra. Nam albo colori nigrum
contrarium, fuscum non, sed omnino diuersum. Etiam al-
bo musicum non est omnino contrarium, sed diuersum.
Nolle autem in vniuersali negatiua particularem intelli-
gere, non conuenit. Nam quod simpliciter negatur, vni-
uersaliter debet intelligi: & si quis diceret lapidem non
esse animal, non solum negaret non esse animal, sed quod-
cumque animal non esse lapidem. Itaque illi patres qui
prohibuerunt aliam fidem, non solum prohibuerunt contra-
riam, sed omnem aliam quæ in dictionibus aut aliqua
litera esset variata. An videtur vobis omne diuersum esse
contrarium? interrogamus a vestra paternitate, an diffe-
rat diuersum a contrario.

CARDIN. Reuerenda paternitas vestra exhortata est
me ad breuitatem. Finis istius sacri Concilii non est bre-
uitas, sed reperitio seu declaratio veritatis. Vnde quidquid
est ad inueniendum veritatem, non debemus refutare,
quia est finis noster. Ego rogo paternitatem vestram, non
imponat mihi legem, prout non impono vobis: quia neces-
sarium est vt hæc materia bene discutatur. Sed ego volo
dare aliud remedium, quod ego non grauabo vos, si essem
longus; nec me, si essetis longi. Non faciamus tam longa
interualla dierum, sed quod hodie non fit, fiat cras: & in
paucis diebus finiemus, & in duobus diebus faciemus plus
quam vno mense, prout nunc; & veniemus ad finem: ta-
men volo esse breuis. Sed volo primo aliqua dicere ad fi-
nalem declarationem, & postea verbo post verbum re-

ANNO
CHRISTO
1438.

ANNO
CHRISTI
1438.

spondebo. Deus posuit in ore tuo illud verbum, vt dixisti, verbum Christi, vt dicamus, est est, non non: & hoc proderit ad declarationem materiae nostrae. Quæro, an cum aliqui petierunt a sanctis patribus, vt quid declaretur, & non responderunt, est est, sed longius; an transgressi sunt præceptum Christi? Certe si volumus intelligere verbum ad corticem, omnes qui fecerunt longos tractatus, essent transgressi mandatum Christi: sed verba Christi sunt intelligenda non secundum corticem, sed secundum intentionem, vt respondeatur veritas, & non addatur quod non est, prout dixit: quod amplius est, a malo est. Et istud habeo a beato Agathone, qui dicit in epistola^a synodali, quod fides non capit augmentum, nec diminutionem: sed sicut dicit^b scriptura, debet esse, est est, & quod amplius est, a malo est. Et beatus Agatho intelligit, quod nil fidei est addendum, quod malum sapiat, sed exponenda est veritas: non autem intelligitur, quod non fiat responsio nisi per verbum, est est, non non: quia ipse fuisset transgressus, qui multa dixit.

EPHES. Volo respondere.

CARD. Omittas me finire, ego volo allegare duas epistolas synodales, quæ declarant quomodo sumenda sunt illa verba, & facient ad quæsitum vestrum. Et prima epistola est Concilii Ephesini ad Theodosium imperatorem, & vt breuiter expediam.

IMPER. Dominus Ephesinus non perfecit.

CARD. Audias patienter. Epistola dicit, quod Synodus congregata erat ad confirmandam fidem, & ad deponendum ab omnibus dignitatibus eos qui sapiunt corrupta. Vnde hæc epistola declarat, quod verba illa, Aliam fidem, intelligantur de sapientibus corruptam fidem: quia illi sunt qui deponuntur, qui corruptam fidem sapiunt. Secundo ex altera epistola probo sensum illius legis. Est alia epistola quæ incipit, Circa pietatem; & dirigitur imperatori: quæ dicit, quod episcopi qui venerunt ad Synodum ex parte Cælestini papæ, aperiunt sensum pietatis & rectæ fidei, & quod consonanter diffinierunt caritatem & fidem vna cum patribus Ephesinis: & qui aliud saperent, deponerentur ab omni dignitate. Vnde prohibitio illa quæ dicit, quod prædicans aliam fidem deponatur,

^a Epistola ad Cæstantinum imperatorem, quæ fuit instructio legatorum, habetur in sexta Synodo actio-
ne 4.
^b Math. 5.

intelligitur de his qui extra caritatem & fidem prædicant; licet per prius data sit declaratio & verus sensus illius prohibitionis, si tamen nunc ostendam vobis per declarationem Concilii generalis, declarationem illorum verborum prohibitionis, nonne merito debetis tacere? Synodus Calchedonenfis loquens ^a ad Marcianum imperatorem, excusat beatum Leonē, qui exposuit fidem; & dicit, quod aliqui putauerunt, quod nulli liceret exponere fidem, nisi patribus qui in Nicæa fuere. Synodus dicit, quod per insurgentes errores permittitur aliis: & Synodus incipit exponere symbolum, Credo, &c. Et dicit, quod propter insurgentes errores, in Concilio Constantinopolitano fuit additum, Credo in Spiritum sanctum. Item & Basilius & Damafus coacti sunt facere alias declarationes. Postea dicit, quod propter errorem Nestorii Synodus Ephesina fuit coacta exponere (rogo vos, & te imperatorem, aduertas) Synodus continuat, & dicit: Forte aliqui putant, quod vsque ad Synodum Ephesinam debeamus consistere, & non vltra procedere, quia in Synodo Ephesina est prohibitum facere aliam fidem.

^a In actis Concilii Calchedonenfis part. 1. cap. 1. & actioe 1. in distinctione.

EPHES. Quid dicitis?

CARD. Hoc modo incipit allocutio Synodi ad Marcianum, & hoc profecto ^b.

^b Et hoc profecto vestrum decebat imperium, loco supra citato. Concilii scilicet Calchedonenfis in cit. epist. seu allocut. ad Marcianum.

IMPER. Legatur textus.

CARD. Hæc sunt verba textus ^c, sic & apud Ephesum, quod de genitrice Domini dubitabatur, scripto firmatum est. & postea dicit, quod isti declararunt veritatem: & ^d subdit, qui hucusque consistere fidem dicit, quique esse hoc præceptum, hæreticis promulgare debet. Nam præceptum remouet homines ab impugnatione veritatis, non autem prohibet pastores ab eiusdem defensione.

EPHES. Non facit mentionem de prohibitione.

CARD. Synodus Calchedonenfis dicit, quod Synodus Ephesina scripto firmavit de genitrice Dei. Ergo secundum vos post Ephesinam Synodum non liceret plus scripto de fide addere, quia in ea Synodo fuit facta prohibitio: & tamen Concilium Calchedonenfense dicit, quod illa prohibitio de non addendo fidei, dicitur hæreticis, non sapientibus veram fidem; & habet locum contra impugnantes veritatem. & subdit: Si quis deprauat intelligentias patrum, hic

ANNO CHRISTI 1458. hic habetur obnoxius pœnæ transgressionis præcepti. Itaque Synodus Ephesina obligat illos qui deprauant intelligentias patrum, non eos qui dicunt veritatem. Iam ergo habemus declaratum intellectum illius prohibitionis tertiæ Synodi Ephesinæ: & non sum ego qui do intellectum illum, sed Synodus Calchedonenfis. Quid amplius laboramus, cum habeamus veritatem?

IMPER. Reuerendissime domine, pars vestra plus dixit quam voluit, & nunquam permisistis, quod dicerent nostri: quia antequam patres perficerent responsonem ad dicta, adiungitis aut eadem, aut noua. Vnde tali modo nunquam res hæc poterit bene concludi. Necessè est vt audiatis responsones perfectas, quas facient nostri.

CARD. Domine imperator, non estis propter aliud, nisi vt audiatis veritatem. Ego non dico quid extraneum vestri faciunt argumentum, ego præmitto quæ sunt necessaria ad solutionem illius argumenti, cum in mundo non possit reperiri maior declaratio quam vnius Synodi, quæ declarat aliam: & qui habent dubitationem, hac declaratione audita, non debent amplius habere dubitationem, quia Concilium declarat, prohibitionem comprehendere illos qui deprauant sententias patrum.

IMPER. Non impedimus vt veritas inquiratur; imo propter hoc veni: verum inuentio veritatis debet fieri cum modo suo, & non sine modo. Nam si conceditur hoc, quod semper vna pars dicat, & alia non respondeat, non poterit iudicari quid sit veritas. Si disputationes irent cum ordine, & res bene iret: & cum nostri dicant pauca verba, & in responsonibus multa dicitis, & aliquando impertinentia: ergo non poterit res concludi.

CARD. Sicut non attulit impedimentum vt nos expectaremus vos per 24. dies, ita non tædeat vos expectare per horam, vt videatur veritas, cum omnia dicta concludentia sint. Venio ad responsonem: duo dixistis. Primo quod Charisius nihil dedit nobis, quia dixit expositionem fidei priuatam suam, quæ non erat prohibita. Ego dico quod Charisius multum nobis donauit, & quod per symbolum suum patet, quod prohibitio non habet sensum, prout intelligitis.

Concil. Tom. 33.

Hh

EPHES. Non credo symbolum dici, nisi publicum & commune, & quod non vocatur fides Charisii symbolum.

ANNO
CHRISTI
1438.

CARD. Ostendam vos adduxisse, quod symbolum est etiam priuatorum.

EPHES. Non recordor.

CARD. Scripturæ sunt, & dico quod ostendam, quod est verum symbolum. Ego declaro etiam priuatum esse symbolum per quamdam epistolam Concilii Calchedonenfis, quæ dicit, quod symbolum interpretatur a patribus, & est collatio, seu pactum quod homo facit cum Deo. Est epistola Concilii Calchedonenfis trium capitulorum. Incipit epistola trium capitulorum.

EPHES. Quis fecit?

CARD. Est in Concilio Calchedonenfi. Item probabo aliter. Vos innuitis quod professio fidei quam facit vna persona, non dicitur symbolum. Ego probabo etiam priuatum esse symbolum per epistolam Hadriani ad septimum Concilium, in qua duobus locis Hadrianus dicit symbolum Tarasii. Ergo symbolum est fidei professio, licet non faciat eam vniuersalis ecclesia, sed facit quælibet persona. Item probo per ea quæ præcedunt diffinitiones in tertia Synodo: quia illi qui reduxerunt illos episcopos, tradiderunt illis fidem more symboli. Ergo symbolum dicitur, licet non commune. Sed quæro, quid est symbolum?

EPHES. Et si hoc sit, quod dicatur symbolum priuatum, non nocet nobis.

CARD. Vocauit symbolum, quia vos semper dixistis symbolum Charisii: non debetis me arguere, si vtor verbis vestris: non debetis vobis contradicere.

IMPER. Hoc non nocet.

CARD. Non debebant me hi interrompere, & non debebant me inducere ad probandum ista. Dico quod Charisius multum donauit, quia cum præbuit symbolum suum, & Synodus non reprobauit: ergo sequitur, quod non est prohibitum facere aliud symbolum, dummodo sit fidele. Ad id quod dicitis, quod priuatim licet, non vniuersaliter: dixi pridie, quod si ille textus habet intellectum quem ipsi datis, expresse dicitis contra textum. Dicit enim *:

* Concilii
Ephesini parte 1. actione 6.

Nulli liceat proferre aliam fidem: ergo omnem prohibet,

ANNO
CHRISTI
1438.

quia est vniuersalis negatiua. Deinde dat pœnam etiam singulari personæ, quia dicit, laicus, in singulari: ergo habet locum in particulari, & sic textus contradicit intellectui vestro. Secundo, dicitis in secundo argumento, quod hæc lex debet vniuersaliter intelligi, quia debet comprehendere non tantum contrarium, sed diuersum, vt comprehendat quidquid est aliud. Ego hoc voluo contra teipsum, quia si intelligitur prout vultis, ergo & priuatim & vniuersaliter erit prohibitum. Tertio dico, quod illud quod dicitis, repugnat rationi & naturali & ciuili, quia videtur irrationabile, quod prohibeatur vniuersæ ecclesiæ; & priuatæ personæ, non. Et satis est responsum ad primum argumentum. Venio ad secundum. Dicitis, quod lex non debet intelligi contra suam intentionem: & dicitis, quod hæc lex simpliciter & vniuersaliter loquens, simpliciter & vniuersaliter est intelligenda: & cum contrarium & diuersum comprehendantur in hoc verbo, aliud, & quod cōtrarium est aliud, quam diuersum, quia album est contrarium nigro, sed musicum diuersum: vnde non tam debet prohibere aliam, id est contrariam, sed & diuersam. Ego respondo ad argumentum, & dico quod Hieronymus respondit Luciferianis in quadam disputatione. Beatus Hieronymus allegauerat multas auctoritates contra Luciferianos, postea allegauit determinationem Concilii vniuersalis, & dicit: Poteram cum his dictis vniuersalis ecclesiæ (intelligens vniuersalis Concilii determinationem) desiccare omnes riuulos disputationis. & intelligebat de vniuersalis ecclesiæ determinatione. Ego habeo determinationem Concilii vniuersalis, quod declarat illam prohibitionem. Sufficit ergo nobis, & quidquid dixeritis circa hanc materiam, elido, quod ecclesiæ^a sic declarat; & hæc responsio sufficeret ad omnia: sed ne videamur nos habere penuriam responsionum, plus addo. Ego dicam responsum legale, in quo peculiariter professus sum leges intelligere, & quod magis spectat ad legistas quam ad aliam scientiam (nostra disputatio positiua tantum serpit) quod licet scriptura vniuersaliter loquatur, tamen restringitur per antecedentia & sequentia. Et ne possim argui de prolixitate, non repetam quæ dixi pridie, ex multis antecedentibus & subsequen-
tibus colligi, quod verbum, aliud, intelligitur de con-

^a Intelligit de
declaratione
Concilii Cal-
chedonensis,
de qua plura
supra.

traria, non de diuersa. Item cum resultat contradictio, etiam est fienda restrictio. Cum ergo probaui, quod intelligitur de contraria: ergo non procedit quod ipsi dicitis, & non datis responsum quidquam ad mea argumenta: & probo quod non vniuersaliter sumatur verbum, aliud; illud quod dicitis posset procedere, cum esset aliquis terminus qui esset æquiuocus, & haberet sub se multa significata: vt si reperirentur plures fides, forte posset procedere quod dicitis: sed non est nisi vna fides, quia dicit Apostolus: *Vnus Deus, & vna fides*. Cum ergo dicitur alia fides, necesse est intelligere contrariam: sicut si dicitur, non adores alium Deum; illud verbum, alium, intelligitur falsum. Ita hic cum dicitur, Aliam fidem, intelligitur, falsam fidem & hæreticam. Et per ista est responsum ad argumentum. Si vultis dicere, dicatis breuiter, & breuiter respondebo.

Ephes. 4.

COLOSS. Ex verbo Græco declaratur, quod verbum hoc, aliud, intelligitur de contrario. Nam cum dicitur apud Græcos Thoroson^a, intelligitur diuersum. Ergo cum dicitur aliud, id est contrarium, secundum Græcos.

EPHES. Placet vt quid dicam?

CARD. Placet, & hodie, & cras, & post cras, dicatis vsque ad noctem.

EPHES. Respondebo Colossensi. Cum vestra paternitas dixit velle probare contrarium, per dictionem Græcam, nomina decenter & accommodate dicuntur de illis rebus, quibus^a dicuntur: paternitas vestra memorauit illud Thoroson^b, id est contrariam fidem: dico quod magis suffragatur intellectui nostro.

^a Id est, accommodantur.^b Id est, in par.

COLOSS. Ostendatis.

^c in par.

EPHES. Nam illud^c Thoroson, id est alteram, intelligitis de contraria fide. Nam vna est vera, & multæ sunt fallaces & mendaces: & omnis opinio quæ esset præter veram opinionem, necesse est vt sit falsa. Ergo omnis^d Thoroson, necesse est vt^e habeat contrariam. hoc opitulatur rationi nostræ. Nam cum vna sit vera fides tradita in Nicæno Concilio, & vna debeat esse & secundum sensum & verba, omnis alia fides vel circa sensum vel verba prohibita est: ergo facit pro nobis quod dixistis. Nam aliam opinionem necesse est esse contrariam quoad sensum, aliam oportet esse contrariam quoad verba.

^d in opa. idem altera.^e id est, significet.

ANNO
CHRISTI
1438.

COLOSS. Duo dixistis, ex quibus dixistis me opitulari opinioni vestrae: si hoc verum sit, ostendatis. Secundum dixistis ^a Thoroson, id est diuersam, intelligi contrariam quoad sensum, vel quoad verba. Volo ostendere hanc responsionem non posse procedere nec secundum philosophos, nec secundum theologos.

^a in par

EPHES. Patiamini quod clarius dicam.

COLOSS. Placet.

EPHES. Ego ita dixi, quod verbum, Aliam opinionem, necesse est semper intelligi falsam, cum vna sit vera opinio: sed verbum, Aliam, veram expositionem ad ^t symbolum, ita necesse est intelligi contrariam & diuersam, quando mutatur secundum dictiones, possunt fieri multae expositiones, prout multae sunt opiniones, verae opiniones, multae expositiones, & non necessario sunt contrariae, sed variato modo: expositiones tamen sunt adinuicem diuersae.

COLOSS. Satis est; ab initio percepi verum sensum. Iterum dico cum reuerentia, quod dictum vestrum non satisfacit dicto nostro: maxime conueniunt dictis domini mei cardinalis ^b. ostenditur sic. Cum dicitur ^c heterosoton, id est diuersum, intelligitur contrarium. Graece dicitur ^d heteros fides, id est contraria: sed in diffinitione tertii Concilii dicitur hetera fides ^e: ergo intelligitur de contraria. & confirmatur hoc modo. Opinio & fides secundum theologos & philosophos, sunt habitus in mente nostra, quamquam diuersi quoad obiecta, secundum Aristotelem in lib. Posteriorum. Vnde, sicut ^f heteros iniunctum opinioni facit diuersam, ita iniunctum fidei facit contrariam, & maxime, vt dicit reuerenda paternitas tua, quod vna est recta opinio, id est cum ponitur ^f heteros, id est diuersa, hac ratione vna est fides: ergo ^g heteros fides, id est contraria. ergo in tertia Synodi ^h prohibitione dicitur contraria.

^b Quae scilicet ego dixi.
^c Heteros.

^d heteros

^e id est, cum prohibetur ibi alia fides, intelligitur contraria.

CARD. Ego respondi argumentis vestris: & quia non respondistis meis, habeo vos pro confesso, quia ita imposuistis pridie mihi legem. Ita rogo vos scribentes, vt scribatis.

EPHES. Reuerendissime domine, si dominus Colossensis tacuisset, ego vobis respondiissem: quamquam & hoc non fuerit satis iustum, & ego recipere responsiones ad

* Desit. de-
buisse, vel
aliquid aliud.

quæ sita mea ^a: ad quæ non veniunt ad propositum quæ sita mei, non teneor respondere. ANNO CHRISTI 1418.

CARD. Mecum habetis legem illam.

EPHES. Ego dicam.

CARD. Habeo vos excusatum, quia non mirum si non respondetis, quia ego nescirem, si vellem.

EPHES. Responsum quod debebat fieri, fustulit temporis angustia. Nam cum vnum argumentum fecissem, multas responsiones percepi: & protestatus sum primo, & nihil operata est protestatio mea.

CARD. Omittamus proœmia: respondeatis.

EPHES. Multa dixistis, multæ exiguntur responsiones.

CARD. Placet.

AND. Certa in Græco imperator suis protulit.

CARD. Pro Deo non perdamus tempus.

AND. His auditis surrexit Ephesinus, & ante imperatorem accessit: demum reuersus est ad locum, & imperator hæc protulit.

IMPER. Ephesinus incipiet ad dicendum quod cœperat dicere, quia non videtur necesse respondere paternitati vestræ, quia fuerunt ita longæ^b, quod exiuerunt de memoria sua; & sic non posset respondere, prosequetur quæ cœperat: & si tempus patietur, postea respondebit dictis vestris: & si hora non patietur, alio die respondebit.

^b scilicet pro-
posiciones.

EPHES. Respondebam ad pauca quæ dicta sunt per paternitatem vestram. Dixistis Charisium multum donasse vobis, & expositionem symbolum appellastis. Quæro igitur, expositio Charisii fuit tradita illis qui conuertebantur, vt symbolum vniuersale, an vt recta confessio fidei fuit admissa? Nam si aliqui vsi sint vt publica, hoc nil facit ad nos. nam nos illud symbolum dicimus prohiberi vniuersaliter, quod in ecclesia dicitur, & in baptisate dicitur, & in Missa: particulariter & priuatim fidei expositionem facere, minime prohiberi dicimus. Quid hoc ad nostrum propositum, si expositio Charisii fuit admissa? nunquam tradidit eam vt vniuersale symbolum, nisi vt ostenderet suam opinionem consonam Nicæno.

CARD. Charisius non tradidit iis qui debebant conuerti, nec vt communem. & sic respondeo ad duo: & cum quæritur, quid ad nos? Dico quod multum ad nos. nam

ANNO
CHRISTI
1438.

quæritur, an liceat dicere symbolum aliis verbis: & cum non fuerit prohibitum Charifio, ergo facit ad propositum. Et cum dicitur, quod textus loquatur de symbolo quod cantatur in ecclesiis: textus non dicit in ecclesiis, vel in priuato; non facit hanc differentiam: & dico, quod paternitas vestra facit contra legem, quia dicitis aliud quam contineatur in prohibitione: ergo dicitis aliud quam contineatur in lege. Ad id quod dicitur de communi, dico quod non est verum, quod prohibeatur commune symbolum, & tota ecclesia approbavit, & subscripsit se, & illud est commune: ergo non prohibitum. Et ipsa Synodus^a in fine quarti actus fecit symbolum, & communiter approbatur; nec est Nicænum, nec Constantinopolitanum, nec symbolum Tarasii: & nullus asseruit, quod male fecerit. Si dubitabis, an sit in fine quarti actus, ego ostendam: per ipsa apparet, quod non prohibetur commune.

^a scilicet septima immediata ante subscriptiones patrum.

EPHES. Non inuenitur hoc quod paternitas vestra dixit. Vnde licet illa professio Tarasii fuit approbata, non vt commune symbolum; & si inuenitur in fine quarti actus aliud symbolum præter illa quæ fuerunt in Conciliis præcedentibus, tacebimus: verum est quod illa professio Tarasii ita fuit approbata, vt Charifii professio, non vt commune symbolum. nemo enim in ipsis symbolis de quibus facitis mentionem, quis est baptizatus, nec in ecclesia sunt cantata, sed tacita.

CARD. Dicitis, si probo quæ dixi, vultis tacere. Probo primo. Habemus ex epistola Hadriani, quod professio fidei Tarasii est symbolum.

EPHES. Nos non admittimus, nisi^e videamus: nos non cognoscimus vocem ipsam.

CARD. Ego ostendam. Tarasius fuit assumptus ad patriarchatum ex statu laicali. Dicit Hadrianus (& in hoc apparet auctoritas summi pontificis) quod nisi vidissemus symbolum fidei in epistola tua, Tarasi, & nisi vestram orthodoxam fidem in vestris epistolis sacri symboli secundum ritum Conciliorum, & de imaginibus venerabilibus vidissemus recte sentire, & non vidissemus scripta tua: quantum cor nostrum tristatum est de illicita vestra ordinatione, tanto ex confessione fidei vestræ anima nostra

latata est. (inferius) inuenimus in tua epistola confessionem sacri symboli.

* id est, Sed
tantum ibi di-
citur, quod
continet sym-
bolum, scilicet
commune.

EPHES. Non dicitur ibi symbolum Tarasii: certe ^a ibi dicitur, quod continet symbolum.

CARD. Ego dico, quod in epistola inseruit symbolum suæ fidei: nos habemus, quod professio Tarasii est symbolum. Secundo dico, quod Synodus suscepit hanc professionem: ergo illa professio per omnes recepta, efficitur communis: ergo est symbolum commune.

EPHES. Fallacia est. Diximus, professionem Tarasii fuisse approbatam vt priuatam: & hoc est clarius sole. Nam & epistola Cyrilli in tertia Synodo fuit admissa, & Agathonis in sexta, quæ continent professiones, sed non vt symbola communia.

CARD. Nemo dicit, quod Cyrillus fecit symbolum, & nemo nominat epistolam Cyrilli symbolum, prout alia nominantur: vnde est ratio differentia: sed magis professio Cyrilli, antequam approbaretur per Synodum, erat priuatæ personæ: amplexata per Synodum, facta est communis, & omnes astringuntur ad tenendum illam, ex quo ecclesia admisit: & qui contrarium sentiret, esset hæreticus. Nam priuata confessio fit communis communi approbatione: ita priuatum symbolum communiter approbatum fit commune. Et probatur per epistolam Agathonis, in qua mandat suam professionem dari illis qui conuertebantur ad fidem. Ergo apparet, quod ecclesiæ non inhietur facere symbolum. Sed si forte mouet vos, quod secundum hoc in ecclesia erunt plura symbola; dico quod hoc non est absurdum, quia habet symbolum apostolorum, Nicænum & Constantinopolitanum: & quia non differunt nisi in verbis, reputantur vnum. Quod autem in baptizando sit opportunum dicere symbolum commune, dico quod non est de substãtia, sed sufficit quod baptizetur in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti; nec symbolum est necessarium.

EPHES. Agatho in sua epistola tenet, quod debeat tradi conuertentibus ad fidem fides sua?

CARD. Ita.

EPHES. Nos habemus dictum patrum, quod dans aliud symbolum, quam datum per vniuersalem ecclesiam, sit anathema.

CARD.

ANNO
CHRISTI
1438.

ANNO
CHRISTI
1458.

CARD. Hæc sunt verba epistolæ Synod^a: Sed his qui conuerti voluerint ad veritatem, &c. & dicit, quod sit immutabilis, & quod omnibus prædicetur, & quod volens aliam fidem, habeatur infestus fidei, & reus manifeste damnatus: & qui fuerit ista confessus, reputetur in communionem nostram, & concors apostolicæ fidei: & erunt confacerdotes & comministri fidei: & his qui conuerti voluerint ad veritatem fidei, hæc professio nostræ fidei cum simplicitate cordis proferatur. Vult vt sit communis, & qui eam non tenent, sint damnati. Et hoc fuit per Concilium^b confirmatum, & tamen non profitemur illam eisdem verbis, nec incurrimus pœnas: ex quo sumus in fide concordantes, quia diuersitas verborum non constituit aliam fidem: imo, vt quid dicatur aliud, debet intelligi ex^c intellectu. Probatur ex duobus actibus septimæ Synodi, quia Theodorus cum toto suo patriarchatu fecit vnā professionem, Tarasius aliam. Synodus^d interrogatur, an sint catholicæ. Fuit hoc nobile verbum dictum, quod hæc duæ professiones sunt vnum & idem, & nulla in eis diuersitas, sed perfecta identitas, & tamen verbis differunt: diuersitas verborum necessario non includit diuersitatem^e, quia vna res pluribus vocabulis potest nominari. Ad id quod dicitis, quod dans aliam fidem quam symbolum, sit anathema: sequeretur, quod baptizatus sine symbolo sit anathema: quod non verum est, nec diceretis. Vnde verbum aliud intelligitur de falso, vt dicitur de Nestorianis, quibus fuit datum symbolum perfidiæ: & intelligitur de symbolo corrupto & extra sensum pietatis & fidei, prout probauit per epistolas Synodi. Item debet intelligi de symbolo hæretico, vel deprauante diffinitiones patrum, prout probatur in sexta Synodo^f.

EPHES. Quod per paternitatem vestram dictum est de Agathone, non deducitur, sed ipse dicit: & si ipse non diceret, deberemus nos dicere. Nam quæ fuerunt per sanctos patres accepta, debemus admittere. Quicumque non admitteret tales professiones, ille rationabiliter esset condemnatus suppliciis æternis, vt Agatho dicit: sed propter hoc non debemus illas vt symbola recipere, nec symbola appellare. Nam secundum hoc in ecclesia erunt diuersa symbola: nec ipsemet Agatho de se dixit hoc, quod sua

Concil. Tom. 33.

Ii

^a Agatho epistola ad Constantinum imperatorem, quæ fuit instructio legatorum ad sextam Synodum, in actibus eiusdem Synodi act. 4.

^b Eisdem act. 4. sextæ Synodi.

^c id est, quod sit aliud non solum verbis, sed & intellectu veritatis.

^d act. 3. septimæ Synodi.

^e scilicet, sensus.

^f Act. 4. cit.

professio debeat tradi illis qui baptizantur: sed dixit, suam professionem debere dari omnibus vt veram & particularem, & priuatam. Nemo vnquam sub illo simbolo fuit baptizatus, nunquam lectum in ecclesia tempore sacre Missæ: sed vos habetis ostendere hoc, quod illa professio Agathonis fuerit lecta in ecclesia. Quærimus, an symbolum Agathonis fuerit vnquam traditum baptizatis, aut lectum in ecclesia. Perspicuum est, quod omnibus qui baptizantur, legitur symbolum; nec hoc est negandum: nescio si vos aliter faciatis: nunquam symbolum Agathonis fuit lectum pro simbolo communi.

CARD. Dixistis, quod ex epistola Agathonis non probaueram quæ volebam, & quod Agatho non appellat symbolum, & quod illud non fuit traditum baptizatis, nec vnquam lectum in ecclesiis: & quod requiritur in baptismo vt legatur symbolum; & quod secundum hoc essent multa symbola. Ad primum ego deduxi ex ipsa epistola, quod debet dari conuersis ad fidem.

EPHES. Hoc non iacet in epistola.

CARD. Hæc sunt verba. His qui conuerti ad veritatem voluerint, proferimus nostræ fidei ordinem cum simplicitate cordis & veritate verborum. Et subdit, quod hæc professio sit immutabilis, & prædicetur apud omnes: & cum loquitur volentibus conuerti ad veritatem, intelligitur de veritate fidei, quia de ipsa loquebatur.

EPHES. Ego ostendi, quod hoc non probasti. Agatho dicit in epistola, quod volentibus conuerti ad veritatem debeat sua professio ostendi: & hoc, quia illo tempore in partibus orientalium erant diuersæ sectæ, quia multi non credebant in Christo fuisse duas naturas: & ideo patefecit hoc.

CARD. Simpliciter Agatho dicit, omnibus profitentibus: ergo habet locum in conuersis, seu ex Iudaismo, seu ex gentilitate, seu ex alio^a: quia dicit, quod sit immutabilis, & quod teneatur apud omnes, & quod non tenentes incurrunt damnationem. Ad id quod dicitis, quod non fuit lectum in ecclesia Dei, dico quod fuit lectum in Synodo occidentali & orientali: & si non fuisset lectum, satis est mihi, quod non faciat contra prohibitionem. Nam non dicitur in prohibitione, in ecclesia, vel alibi. Vnde quæro,

^a scilicet errore.

ANNO CHRISTI 1438. an si quis in platea aliud symbolum dicat, an peccet, si falsum esset?

EPHES. Ille qui cantaret in platea, non faceret contra prohibitionem.

CARD. Ibi dico falsum *?

* id est, potestne dici falsum in platea?

EPHES. Semper prohibitum est, etiam antequam hæc prohibitio fuerit prolata.

CARD. Numquid incurreret istam pœnam ille qui crederet in se, & non cantaret?

EPHES. Incurreret, quia duplex est diffinitio pœnæ, & duæ sunt pœnæ. Primo, expresse prohibet in symbolo aliquid mutare. sic determinat sancta Synodus^b: Nemini liceat aliam fidem scribere, sapere, vel docere. sed hæc omnia respiciunt ad mutationem syllabarum & dictionum. Deinde seorsum illa diffinitio condemnat eum qui saperet contrariam fidem. nam sequitur, quod si inueniretur, qui saperet dogmata Nestorii, sit condemnatus. Ergo duplex diffinitio est, & duplicem ponit condemnationem: seorsum prohibet mutari symbolum, seorsum qui sentirent contraria. Si tempus pateretur, legeretur diffinitio.

^b Concilii Ephesini par. 2. act. 6.

CARD. Scio illam. Tua paternitas fatetur, quod vbi- cumque symbolum falsum proferatur, siue publice, siue priuatim, incidit in constitutionem hanc. Ex hoc habeo, quod hæc lex intelligitur vniuersaliter, siue locutio fiat in ecclesia, vel alibi.

EPHES. Non simpliciter ponitur, sed dupliciter.

CARD. Satis est mihi, quod vbi- cumque dicatur, incurritur pœna.

EPHES. Prohibitiones reperiuntur separatim: legatur diffinitio, quia & nos debemus separatim intelligere.

CARD. Placet, legatur diffinitio.

AND. Fuit lecta diffinitio his verbis: His igitur recitatis.

^c Concilii Ephesini par. 2. act. 6.

CARD. Notetis, quod non dicit, lecto symbolo: vnde prohibitio respicit omnia lecta, & diffinitiones, & symbolum. Vnde respicit & diffinitiones, & omnia alia: quia si prohiberetur fieri aliud symbolum, prohiberetur fieri alia diffinitio: quod est falsum.

EPHES. Idem est symbolum & diffinitio.

CARD. Imo differentes sunt. Hoc habetur manifeste, quod Concilia fecerunt diffinitiones, non symbola.

Concil. Tom. 33.

Ii ij

EPHES. Nonne patres secuti sunt primum symbolum, & eos qui auferent aliud symbolum, anathematizarunt, vt expresse dicit Vigilius papa Romanus ad Eutychem patriarcham Constantinopolitanum? & legatur. ANNO
CHRISTI
1438.

CARD. Cum hæc prohibitio concernat & symbolum & diffinitiones, cur factæ sunt aliæ diffinitiones diuersæ in verbis? Et si quærat, quare sint factæ diuersæ diffinitiones, & non diuersa symbola: dico quod non fuit necessitas cumulandi ita in symbolis, sicut in diffinitionibus, & visum est primum symbolum sufficere. & non sequitur: Non fecerunt; ergo non potuerunt facere. Deinde probaui, quod alia symbola fuerunt facta, sicut Tarasii^a: & dico, quod in quarta Calchedonensi & quinta non fuit factum symbolum, eo quod patres viderunt, quod mores illorum temporum potuerunt præcidi per diffinitiones. Sed ecclesia Romana videns, quod error ille processionis Spiritus sancti non poterat sedari, nisi per frequentem cantationem, ideo fecit apponi illud verbum in simbolo. Et certe verbum *θεοτόκος*, id est, Dei genitrix, potuisset addi per quartum Concilium: alias sequeretur, quod vnum Concilium posset alia Concilia ligare, & nos possemus ligare sequentia: quod est contra omnem rationem naturalem & politicam, quod in rebus^o posituius possit vnum Concilium alii legem imponere. Ad id quod dicitis de diffinitionibus, ego lego. Primo prohibet, ne proferatur alia fides quam in Nicæa: & sic habet locum etiam in futuris Conciliis, quod non possit mutari fides. Secundo ponit, vt conuertentibus ex Iudaismo & gentilitate detur.

^a Symbolum
Tarsii patriar-
che Constantinopolitani,
de quo in 7.
Synodo act. 1.

EPHES. Legatur.

AND. Hæc verba lecta fuere. His lectis^b terminauit sancta Synodus, aliam fidem licere nemini proferre, seu conscribere vel componere, præter diffinitam in Nicæa per patres ibi conuentos. Hos qui auferent aut componere fidem aliam vel volentibus conuerti aut ex gentilitate, aut ex Iudaismo, aut ex alio; hos, si sint episcopi ecclesiæ, priuatos esse episcopatu, clericos clericatu: laici anathematizarentur. Demum legit hoc modo. Sic deprehenderentur alii, siue episcopi, clerici vel laici, aut sapientes vel docentes aliter, quam in prolata expositione per Charisium de humanitate vnigeniti filii Dei, quod sub-

^b Concilii E-
phesini par. 2.
act. 6.

ANNO
CHRISTI
1438.

iaceant sententiæ huius sanctæ Synodi, & episcopus ab episcopatu, clericus a clericatu priuetur: laicum excommunicari volumus.

CARD. Ergo secundum verum intellectum prohibetur falsa fides, & priuatim & publice, & priuatis: sed vera non prohibetur nec in publico, nec in priuato, nec in vniuersali, nec in particulari. Adde quod hoc quod dicitur, volentibus conuerti non detur alia fides, necesse debet intelligi de contraria per tres rationes. Primo, quia vt dicit Hilarius, intellectus verborum non ex verbis, sed ex causa sumitur: propter quam causam Synodus apposuit hanc prohibitionem, quia quidam Iacobus discipulus Nestorii tradidit diuersam fidem, & propter hanc causam fuit adiecta prohibitio. Secunda ratio, quia sequeretur magnum inconueniens, prout vultis intelligendo, quia eadem pœna puniretur hæreticus & catholicus, si catholicus vnum verbum adderet. Hoc videtur absurdum, quod similis pœna sit catholicis, vt hæreticis. Tertio, nonne Concilium^a Calchedonense dicit, illos incurrere pœnam, qui deprauant sententias patrum, non qui exponunt?

EPHES. Patres cum reperirent, ab imperatoribus fidem exponi, non admittebant: imo patres clamabant: Nemo faciat vllam expositionem, nec recipiatur, nisi vt patres Nicææ fecerunt. tantum reuerenter se habuerunt ad fidem illam, vt nec priuatam expositionem admitterent: & cum aliquis voluisset fidem mutare, dicebant: Sufficit fides patrum, plus exponere non possumus. Tandem imperatores instantes id fecerunt, verumtamen & cum reuerentia exponentes: & reperitur ibi symbolum patrum vt fundamentum, vt ostenderent illud sequi in verbis & in sensu. Demum deductio & eorum dogmata. Et cum accusarentur, quod Leonis epistolam admiserant, responderunt imperatori, non admisisse fidei explicationem, sed epistolam vt declarantem^b. Hoc non prohibetur, vt extra textum declaratur veritas, vt hæretici erubescant: qui si quieti starent, non essent opportuna declarationes, sed sufficeret symbolum: propter hæreticorum autem audaciam expedit vt declarationes suscipiantur, quæ per sanctos patres factæ sunt. Sic tertium Concilium admisit Cyrilli epi-

^a In allocutione ad Marcianum imperatorem in actis eiusdem Concilii parte 1. cap. 1. & actione 7. in diffinitione, de qua supra supra hac eadem collatione.

^b Locus supra citatus. Ex quibus deducit hæc Ephesus de Marciano imperatore & eius locum tenentibus & indicibus in Concilio Calchedonensi.

stolam, non vt commune symbolum, sed vt declarationem. Hæc dicit Synodus^a clamans imperatori.

^a In allocutione citata.

CARD. Respondeo, & voluistis totum legere, & non euacuastis dictum meum de declaratione Calchedonenfis Concilii, per quod declaratur, quomodo hoc verbum intelligitur: quia quæstio stat, quod prohibitio referatur ad deprauantes fidem, & non ad declarantes. Cum fundatis vos in clamore eorum qui erant pro imperatore, fundetis vos in alio clamore: quia cum locum tenentes imperatoris quærent vt fieret declaratio, dixit Synodus: Addatur symbolo θεοτόκος: his verbis dicentes: Ista fides patrum est; diffinitio Deo placuit; hæc fides orthodoxorum est: fides fraudem non patitur. Sancta Maria^b theotocos scribatur in symbolo. Tota Synodus hæc dixit. Ergo non erat prohibitum fieri, quia id non fuisset petitum.

^b Id est, Dei genitrix, pro intelligentia vide acta Concilii Calchedonenfis supra sæpius cit. act. 4. & 5.

EPHES. Fuerunt Ægyptii.

CARD. Omnes, præter Romanos præsidentes papæ, & aliquos: vnde maxima pars¹⁰ voluit.

EPHES. Quare non fuit additum?

CARD. Quia de eo non fuerat dubitatio. Fuerat & ante decisum, Mariam esse θεοτόκον: sed tunc dubitabatur, an Christus esset in duabus naturis: hoc volebant declarare.

^c Et si dicatur, quare non persistuerunt in quæstione, ne fieret alia diffinitio de duabus naturis in Christo: respondetur, quod tandem iurum est in sententia præsentium, iuxta epistolam sancti Leonis, vide actionem 5. Concilii Calchedonenfis.

Et si dicatur, quare non fuit quæsitum, Romæ episcopi clamabant, quod non fieret alia expositio: & tamen fuit facta, quia melius consulti assenserunt voluntati præsentium. Factæ sunt igitur semper declarationes, & licet ecclesiæ semper facere: nec bene dictum est, quod quasi coacti fecerunt, cum ex his parum illi Concilio Calchedonenfi deferat, dicens, patres permisisse compelli. Et certe illud non fuisset tentum pro Concilio, sicut non fuit tentum secundum^d, vbi vis & compulsio Dioscori adfuit. Item textus dicit: Iustæ persuasioni vestræ assentimus. Ad id quod dicitur, quod Cyrillus & Agatho non exposuerunt, ego habeo expresse, quod Cyrillus exposuit fidem. hæc sunt verba: Quæ compendiose fides Nicæna continet, Cyrillus latius exposuit. Et Leo exposuit. dicitur sic^e: Beatissimi papæ Leonis dicta, quæ fidem exponunt contra errores Eutyichis. Et dicit quod propter errorem licet exponere, & non tam Leoni, sed & Flauia-

^e Hæc habentur actione 4. Concilii Calchedonenfis in subscriptionibus & act. 5. in diffinitione.

ANNO
CHRISTI
1438.

no, cum dicitur hoc modo: Martyr Flavianus bene fidem exposuit.

AND. His dictis, finis verbis est datus, ac perlibenter assurreximus hora iam tarda.

NOTÆ AD DVODECIMAM COLLATIONEM.

¹ *Audias.*] Vides lector, quam aptæ & quam ad rem sint responsiones cardinalis. Græcus tamen scriptor penitus eas omisit, dicens sessione 14. *Cardinalem nullum dicendi finem fecisse, & sic dimissam esse Synodum.*

² *Subdit.*] Scriptor non per extensum retulit. Nam hæc sunt verba textus loco citato: *Qui hucusque consistere debere censet eos qui fidem defendere cupiunt, maxime hoc præceptum hæreticis promulgare debet, &c.* vt ipsi scilicet nil addant falsi: non autem sanctis patribus & Conciliis, ne contra falsitates hæreticorum nil explicent, seu addant.

³ *Thorson.*] Colossensis vim facit in verbis Græcis Concilii Ephesini parte secunda, actione sexta, vbi prohibet *ἐπιφανίστην* (quæ non percipiens Latinus scriptor, Latinis characteribus descripsit Thorson) id est, alteram fidem, & sic contrariam.

⁴ *Symbolum.*] Confuse vel ab interprete relata vel transcripta disputantis Ephesii verba hunc habent sensum. Dixi aliam fidem necesse esse intelligi falsam, quia vna tantum fides est vera: sed aliud symbolum non est necesse intelligi falsum, sed etiam verum, mutatum in dictionibus quantumvis veris. Prohibendo igitur Concilium Ephesinum aliud symbolum, non solum prohibet aliud falsum, sed etiam aliud verum, & diuersum in dictionibus tantum vel expositionibus in eo insertis.

⁵ *Fides.*] Arguit Ephesium: quia in Concilio Ephesino non prohibetur aliud symbolum, sed alia fides, vt iam ante sæpius dixerat cardinalis.

⁶ *Videamus.*] Epistolam scilicet Hadriani papæ I. in septima Synodo actione secunda: cuius epistolæ partem Ephesius non agnoscit, quia de promotione Tarasii laici contra Canones, nil de ea apud Græcos fuerat de Latino translatum, vt ait Anastasius bibliothecarius in fine proœmii octauæ Synodi, & in nota marginali ad eandem epistolam actione 2. septimæ Synodi. Vide eundem Anastasium in septima Synodo apud Baronium annalium tomo 9. anno 785. num. 28.

⁷ *Dupliciter.*] Id est, separatim prius prohibet mutationem verborum, secundo sensus. Sed hæc distinctio non suffragatur Ephesio, vt eum perstringit cardinalis.

⁸ *Prohibetur.*] Prohiberetur etiam alia diffinitio: quod est manifeste falsum. Sicut igitur verum est, non fuisse prohibitam aliam diffinitionem: ita verum est, non fuisse prohibitum aliud symbolum.

⁹ *Positiuis.*] Supposito enim quod dogma sit verum & catholi-

cum, ad ius positivum pertinet quod apponatur, vel non apponatur in symbolo.

¹⁰ *Voluit.*] Probat Iulianus cardinalis, quod quamvis non fuerit additum symbolo verbum Dei genitrix (quia, ut subdit, non erat tunc necesse) tamen maxima pars patrum iudicabat, quod posset addi. Ergo colligitur, quod existimabant additionem posse fieri. Vide actionem s. Concilii Calchedonenfis.

ANNO
CHRISTI
1438.

COLLATIO DECIMATERTIA.

DIE VIII. DECEMBRIS.

Disputatur, utrum tantummodo novæ professiones fidei continententes contraria symbolo & fidei, reiiciendæ sint: an vero etiam non continententes contraria.

AND. DIE VIII. præsentis mensis cœpit imperator in medium hæc verba proferre.

IMPER. Reuerendissime pater, quia pridie postquam recessimus, misi ad dicendum sanctissimo domino papæ, quod modus servatus non placet deputatis, & impediuntur, & non dicunt quod volunt. Nam dicunt pauca, & vos multa replicatis; & nostri non possunt dicere quæ volunt: & propterea nuntiaimus beatissimo domino papæ, ut talis modus tollatur de medio, ut fiant breves responsiones: & quod sua sanctitas dixit, quod hoc sibi placebat, & quod ita ordinaretur de cetero: nihilo minus deputatis pro parte nostra visum est, ut ipsi dicerent hodie quidquid volunt. Non videatur vobis extraneum, nec nos facere contrarium.

CARD. Quia sum servitor imperatoris, fiducialiter loquar tuæ serenitati. Tua serenitas dicit, quod impediuntur vestri. Patientes fuimus, & nunquam impediimus, quod non dicerent: & si quod plus dictum est quam sibi videbatur expediens, dictum est ad declarandam veritatem: quia de necessitate est, quod respondens plus dicat quam qui arguit, quia plurimæ occurrunt responsiones. Et cum petieritis, ut per quæsitæ brevia & responsiones procederetur, & concessum sit, & adinvicem conclusum, nunc videmini variare, & illud destruere. Dicant, si placeat, & forte respondebitur ita breviter propositis. Si autem dicunt continue, continue respondebimus antequam

ab

ANNO
CHRISTI
1438.

ab hinc recedamus, quia nolumus quod recedatis sine re-
sponſione.

IMPER. Semper modum illum approbauimus, quem
intimaui domino nostro: tamen propter hoc nostrorum
intentio est, vt hodie dicant prolixius.

CARD. Dicatis prout conclusimus, & respondebitur
verbum per verbum.

IMPER. Nostri dicant continue.

CARD. Nos respondebimus: dicatis per mensuram
temporis, dicatis media hora, & nos media hora.

IMPER. Dicemus quantum volumus, vt dicendi requi-
rit negotium.

CARD. Melius esset, vt fieret verbum per verbum.

AND. Incepit Ephesinus hoc modo.

EPHES. In præcedenti congregatione, honoratissimi
patres, proposuimus ostendere responsionem vestram fa-
ctam prohibitioni, esse contrariam intentioni patrum.
Primo itaque incipientes ab ipso vocabulo, aliud, vel, di-
uersum, in quo præsentis quæstionis vis residet, satis ap-
probate & euidenter ostendimus, ad plus dici contra-
rium quam diuersum, nec esse aliquam necessitatem, vt
possitis a voce diuertere; & cum auditis aliam, solum intel-
ligere contrariam tantum, vt dicitis. Deinde a rationibus
& verbis adductis per reuerendissimum dominum cardina-
lem tamquam oportuit credere. Nunc, si placet, re-
deamus ad prætermissa, & continuando nos dicemus quæ
tunc non potuimus, & prætermisimus, ne videamur ab ip-
so modo & vi disputationis nihil habuisse respondere. Di-
cimus quod & ipsa dictio symboli, cum dictionibus & vo-
cibus quæ ibi iacent, cogit nos intelligere fidem non solum
secundum intellectum & sententiam, sed & quoad literas.
Nam omne symbolum collatio quædam vel compositio
est, per quæ nos tradimus concepta ad alium: videlicet no-
mina sunt indicia seu symbola conceptorum, quæ sunt
mentis: & oportet omnibus eadem nomina * exequi, quæ
etiam intellectibus communicant. Ita apud omnes Græ-
cos rationale animal homo dicitur: simili modo apud om-
nes Latinos idem animal homo dicitur. nam aliter nun-
quam possent cõmunicare in conceptibus & intellectibus,
nisi singulis dictionibus & indiciis vterentur. Sic denique

* Id est, iis
deum vii.

Concil. Tom. 33.

K k

apud omnes Christianos idem symbolum debet haberi non solum intellectu, sed in vocibus, vt in conceptibus videantur idem communicare. Item symbolum, seu sonus belli sunt voces tubæ, & in vno & eodem bello audiuntur: ergo apud omnes Christianos qui contra hæreticos susceperunt bellum, vnum & idem symbolum fidei debet haberi & cantari, & debent idem symbolum habere vt signum & indicium belli suscepti contra infideles, vt symbolum idem dicatur voce & sensu. Syllogismus ita se habet: Expositio fidei symbolum est, omne symbolum vnum & idem debet esse apud illos qui vtuntur: ergo expositio quæ symbolum dicitur, vna & eadem apud omnes Christianos esse debet. Videturne vobis aliquam nostrarum propositionum non esse sanam? Videtur conclusio esse necessaria, nisi aliquis velit repugnare veritati. Item symbolum fidei (vt per viam diffinitionis capiamus) nil aliud est, nisi expositio fidei, quæ per voces & declarationes intelligitur. Nonne placet hæc diffinitio? Ego credo quod hæc omnibus placere debet. Iterum dico, fidei symbolum est expositio fidei, quæ in verbis & vocibus consistit. Aliud symbolum quod prohibent patres, & eos qui audent aliud facere, astringunt anathemate, nihil aliud est, nisi alia expositio fidei, quæ constat aliis vocibus & vocabulis. Hanc expositionem patres prohibent, & non solum contrariam, vt dicitis. Item proferre & conscribere^a & componere additionem ipsam symbolo, liquido refertur ad verba & literas: ergo & secundum vocabulum, constitutum est vt symbolum maneat. Hæc dicta sint de dictionibus. Quod autem patrum intentioni expositio vestra repugnet, manifestatur, si volumus speculari intentionem patrum prohibentium, non ex aliis actibus quæ ad alios articulos fecerant, nec ex his quæ primo dicta fuerant, nec ex epistolis. Nam in quolibet eorum propriam quamdam intentionem habebant, licet omnis intentio vniuersæ Synodi eo tenderet, vt beatus Cyrillus dicit & vos, videlicet vt destrueretur opinio Nestorii & eorum qui ea sapiebant. Quærendus est igitur intellectus prohibitionis ex his quæ acta fuere circa ipsam prohibitionem & diffinitionem. Insuper ab epistolis illis quæ postea fuere scriptæ, cum per epistolas patres voluerint declarare

^a Sunt verba prohibitionis Concilii Ephesini, de quibus supra.

ANNO
CHRISTI
1438.

intentum prohibitionis, constat ex iis quæ acta sunt tunc temporis, allatum fuisse per Charisium symbolum transformatum per Nestorianos. Cum itaque patres vidissent, quod nisi prohiberent per vniuersalem & generalem prohibitionem, & tollerent licentiam transformandi alia symbola, liceret omnibus hæreticis semper, cum haberent licentiam transformandi symbolum, inferere multas transformationes: ideo terminarunt, vt de cetero non liceret, nec posset tradi alia fides conuersis ab hæresi, id est, aliud symbolum. Ita dicit Cyrillus, qui fuit huius diffinitionis legislator, & qui in sua epistola exposuit. Aliud ergo symbolum intelligere contrarium tantum, ridiculum est. Nam tali modo multa & diuersa symbola fuissent exhibita, cum patres & Concilia per diuersa tempora declararent ex exortis erroribus circa fidem. Sed nec Concilium ipsum tertium vocem ipsam, Deigenitrix, quam diffinierat, voluit symbolo inferere: sed nullo modo fuerunt molesti, quin maneret immutabile, sed in priuata diffinitione exprimebant id quod diffinierant. Hæc ab ipsis verbis diffinitionis excipienda sunt. Prius enim patres instarunt ad causam illam deprauationis vel transformationis symboli veræ fidei: deinde illos qui sapiebant illas pollutas opiniones, condemnarunt: dictiones denique familiares accommodatæ sunt rei. Nam expositioni symboli fidei illud accommodatur, nemini licere aliam fidem proferre, scribere, &c. Hæc namque manifeste ad expositionem symboli respiciunt, quæ per dictiones fit in dogmatibus. Similiter prohibent, vt nullo modo quis alia dogmata sapiat. Legatur ipsa diffinitio: sed satis fuit lecta in præcedenti congregatione. Videtisne ex illis quæ fuerunt lecta, quomodo patres illi primo voluerunt prohibere transformationem per dicta, postea etiam sensum priuatarum opinionum, & separatim prohibetur transformatio quoad vocabula, & separatim, ne quis aliud sapiat?

CARD. In qua prohibitione prohibetur?

EPHES. In diffinitione tertii Concilii.

CARD. Placet.

EPHES. Et cum ita distinctim iaceant, non debemus inferere * hæc, attestante epistola. Nam in epistola illa quæ

Concil. Tom. 33.

Kk ij

* Id est, confundere.

scribitur ad Ioannem Antiochenum: Nullo modo patimur (dicit Cyrillus) moueri terminatam a patribus fidem, hoc est symbolum. Auditisne illud dictum, nullo modo fidem debere moueri, nec per dictiones, dicit, nec per sensum? Nam vnus modus est motionis, & est mutatio dictionum. nam mouetur illud quod mutatur, non solum per sensum, sed etiam per aliquas additiones vel diminutiones: nec^a permittimus nobisipsis, nec aliis subsequen- tibus. Auditisne quomodo excipit se a potestate immutandi, & aliis etiam, qui possent? Nam ex parte totius Concilii ipse dicit, dum respicit ad illam definitionem. Possentne aliquis hic dicere, contrariam tantum fidem prohiberi? numquid & illi hæretici erant? nam dicit, nec nobisipsis. Sequitur dicens: Non permittimus nobis, nec aliis immutare, nec syllabam transgredi. Videtisne quomodo vsque ad dictiones & syllabas exegit diligentiam? Hac auctoritate videtis quomodo nostris rationibus assensum dat^a: manifestum est. Potestne vna syllaba aliquam hæresim inducere, cum dicit, nec syllaba^b? Et nostram opinionem attestatur per omnia, & secundum dictiones symbolum manet immutabile & inconquassatum. Nam impertinens erat sibi dicere, non permittimus nobis contrariam fidem: & esset hoc manifeste repugnans intentioni ipsorum. Item post v- nionem orientalium conquesti fuerunt aliqui de Concilio illo, de sancto Cyrillo, qui suscepit orientales, qui admi- serant aliud symbolum quam Nicænum. At ille respon- dit excusans se in^c epistola ad Acacium, sic dicens.

CARD. Quomodo incipit?

EPHES. Res quidem dignæ cognitione, alias causa qui- dem digna: & dicit, percipio vero quod & illud dicunt.

CARD. Legatis superius ibi: Nolite feminare super spi- nas: legatis.

AND. Lectum est, & deinde illa verba, percipio vero quod & illud dicunt in symboli expositione, forte quia il- lud antiquum dehonorauius: *Stultus stulta loquetur, & cor eius inania intelliget*. Illud tantum dicimus, ^e nos fidei expositionem, &c. Aut aliam suscipimus, &c. Sufficit no- bis ex Deo inspirata scriptura, patrumque sobrietas, &c. Ad vnum quidem recte se habens expositum fidei symbo- lum. Quoniam vero, &c.

^a Cyrillus, sci- licet.

^b Admittit in- fra cardinalis, quod syllaba potest cor- rumpere sen- sum, nec est dubium de hoc.

^c Isai. 32.

^e Pro intelli- gentia vide Verba epistolæ relata hic in 3. nota.

ANNO
CHRISTI
1438.

EPHES. Sequitur in ipsa epistola, & declarat quare patres admiserunt expositionem fidei orientalium; sed vt priuam, non vt publicam: & ideo ista omittimus.

CARD. Et ego supplebo.

EPHES. Demum subdit Cyrillus: Nam sancta & oecumenica Synodus in Epheso prouidit, necessario non debere ecclesiis Dei aliam fidei expositionem inferre, praeter eam quam patres in Spiritu sancto loquentes terminaerant. Cetera quae sequuntur in epistola, credimus paternitati uestrae nota. Ex his apparet, quod uehementissime reprehenderunt uelle mutare symbolum praeter declarata. Nam putauerunt quod tamquam symbolum professio fidei orientalium fuisset accepta, & beatus Cyrillus illos excusabat dicens, quod ut professio suae opinionis. Iterum in vna alia epistola ad Ioannem Antiochenum beatus Cyrillus scribit, & ipsius uoces in propria epistola conferens talia dicit.

CARD. Quomodo incipit?

EPHES. Exultent.

CARD. Alias allegastis eamdem.

EPHES. Ista sunt uerba Ioannis, quae fuerunt posita in epistola Cyrilli, & haec ad literam sunt: De Dei genitrice quomodo sentiamus, & de modo humanitatis unigeniti Filii Dei, non necessario in additionis parte, sed in plenae informationis specie, sicut uniuersum a diuinis scripturis & a traditione sanctorum patrum suscepimus, breuiter trademus, nihil addentes fidei expositae per sanctos patres Nicenos. Nam, ut praediximus, ad omnem sufficit pietatis agnitionem, & uniuersae perfidiae abdicacionem. Audistis reuerendissime pater, quae de genitrice Dei dicta sunt, & de modo incarnationis Dei, dicemus non in parte additionis. Nam scribit prohibitam in simbolo additionem; propterea dicit: Nullam additionem in simbolo facimus.

CARD. Non dicit symbolum.

EPHES. Sufficit, quod dicat fidei, & subdit: Nil addentes fidei expositae per Nicenos. Haec ita fecerunt, quia in simbolo non addiderunt. Videtis quomodo opera uerbis, & uerba operibus conueniunt, & omnia attestantur nostrae intentioni. Ista intentio est diffinitionis, liquido apparet ex dictis per patres, & quae ab eis fuerunt data, quae

diffinitio nihil aliud significat, nisi vt symbolum maneat immutabile, & quod additiones non liceant ex hoc vnicuique volenti transformare symbolum, & in illo inferre opiniones hæreticas. Iusserunt & denique hanc diffinitionem debere valere & durare perpetuo, sub pœnis horribilibus. Quam diffinitionem vt regulam fidei fecerunt, cum cognouissent quod ex hoc nulli detrimentum posset inferri. Sed contra ex licentia posse addere & immutare, posse nonnunquam esse aliquam deprauationem & sensus & dictionum. Si autem contrariam tantum prohibuissent, vt dicitis, superflua fuisset. nam talis res & antea prohibita erat. Illud non facit quod prohibeat, quod ante prohibitum est. Item aliter immanes minime essent in eos qui contrariã exponerent fidem. Nemo vnquam suam fidem vt falsam exponit, licet illa esset veræ fidei contraria: sed credens suam fidem esse veram & sanam, & sacris scripturis consonam. Vnde sibi licere mutare symbolum omnes dicerent: omnes namque veram suam fidem exprimerent, & superuacanea esset diffinitio, & fieret; & profecto esset superuacaneus & immunis, qui talia auderet dicere. Item illum qui contrariam exhiberet fidem, non solum episcopatu suo, si episcopus esset, sed etiam anathemate constringunt: quod quidem maxime per dictum tertium Concilium patet. Nestorium namque anathematizauit, non solum episcopatu priuauit. Et in diffinitione iacet, priuari debere episcopum episcopatu, si comprehenderetur aliam fidem sapere: ad immutationem secundum dictionem fidei solum respicit diffinitio, non ad immutationem secundum sensum.

^a id est, etiam ad solam mutationem secundum dictionem respicit diffinitio, & non tantum secundum sensum, vt vos Latini dicitis.

CARD. Dicatis iterum.

AND. Etiam iterum repetierunt idem.

EPHES. Iterum velle determinare ea quæ omnibus fere videntur, non necessarium esse videtur, imo furiosum. Sed quod contraria fides prohibita sit, omnibus videtur, etiam si parum quid humanitatis sentirent. Ac beatus Cyrillus dicit necessario de hoc Concilio prouidisse, nec iustum est de his intelligi necessarium, quæ omnibus videntur, videlicet de contrariæ fidei additione, sed de additione vniuersa simpliciter. Item cum quid fuit causa vt aliquid fieret, potest etiam dici hoc illud facere, etsi prin-

ANNO
CHRISTI
1438.

principaliter hoc illud non facit: vt, posse vera addere, potest fieri causa vt etiam falsa addantur: cumque qui fidem sapit non credit esse falsa, hoc vero est fidem mouere. Ideo possumus dicere, illum qui addit, esse causam immutationis fidei, etiamsi vera addit: quoniam cum hoc sit licitum, licere posset nonnunquam aliquibus etiam falsa inserere veris, cum illa viderentur ipsis vera. quod ab ipsis rebus possumus percipere. Multa enim ante ipsam prohibitionem habita sunt symbola, vt per ecclesie historias significatur. Potest ergo dici & ille fidem immutare, qui simpliciter addit, & non solum qui falsa addit, vt vos dicitis. Item beatus Ioannes theologus & euangelista videtur voluisse suam Apocalypsim intactam fore vsque ad immutationem dictionum, & maledicit eos qui talia auderent. *Si quis addiderit, dicens, in hoc libro, & si quis detraxerit, detrahatur eum Deus a libro viuentium.* Apocal. vii. Si autem talia quae ita horribiles maledictiones exhiberent, de dictionibus & syllabis intelligenda sunt, cur non eadem intelligemus in symbolo? Certe vbi Cyrillus & Agatho prohibent, ^a alter non permittit dictionem vllam immutare, vel syllabam transgredi: alter ex sensibus totum volens seruari dicit. Item sacrum euangelium, beatum Apostolum & vniuersam scripturam multi sanctorum & patrum exposuerunt & declararunt, & patres primi Concilii consubstantialem praedixerunt Filium Patri, occasionem habentes a sacris scripturis. Item secundum Concilium Spiritum sanctum & viuificantem praedicauit; & nihilo minus nil istorum aliquid voluerunt in euangelio addere. At si liceret addere declarationes principalibus, deberet ibidem addi. Si autem nemo hoc audet Christianus, cur eadem veneratio symbolo non est adhibenda, vbi praesertim id specialiter prohibitiones patrum prohibuerunt? At vt morem geram, inseram rationi vestrae quod a scripturis sacris sumam: nec erit alienum quod dicendum est a tractatu nostro, imo pertinentissimum: rogo, accipiat verbum toleranter. Illi qui impugnabant Spiritum sanctum tempore Gregorii Theologi, quarebant ab orthodoxis, & utebantur tali diuisione: Spiritus sanctus genitus est, an non genitus? Cum autem illi non dicerent genitum, nec non genitum, inferabant: ergo si Spiritus sanctus nec genitus est, nec non ge-

^a id est, alter dicit seruandas dictiones, alter seruandū sensum, vt supra.

nitus, restat creaturam esse Spiritum sanctum. Magnus Gregorius vt huic occurreret, qui cognominatus est Theologus, ita dicebat: Vbi ponetis, quod a Patre procedit, cum exurgat in medio tuæ diuisionis, & quod inducatur a meliori theologo, id est a saluatore nostro Domino Iesu Christo, nisi tu abstraxeris vocem illam a sacris euangeliis, Spiritum veritatis qui a Patre procedit? & fieri videbitur tertium testamentum. Audis quomodo ille qui detrahit talem vocem euangeliis, tertium testamentum constituit. nam immutat illud testamentum. Ergo qui addiderit in hac veritate, Filioque, tertium testamentum faciet. An vos putatis detrahentem solum constituere tertium testamentum, addentem vero non? Multo magis debet dici hoc facere qui addit. nam tertium facere testamentum est vltra præsumptionem. Duo sunt testamenta secundum Apostolum. Si autem aliquis non audet addere euangelio, Filioque, in symbolo addet? Nonne & ipse tertium faciet symbolum? ita. Et profecto qui Christianorum tertium audit symbolum, non admittit duo tantum symbola vt duo testamenta, vnum primi Concilii implicite, & aliud secundi explicitum.

CARD. Est finis per vos impositus dictis?

EPHES. Multa habemus dicere: sed quia tempus non patitur, videntur omittenda. Nam quæ habemus dicere ad responsonem aliorum argumentorum, in aliis nostris conuentibus dicemus. Ideo si placet, finiemus sermonem: & si placeat paternitati vestræ respondere, eligatis duo, & ad illa respondeatis.

CARD. Audiatis me.

EPHES. Quia fessi sumus in dicendo, ita & in audiendo.

CARD. Paternitates vestræ bene habent agere nobiscum: si in scriptis, in scriptis; si ore, ore; si longe, longe; si breuiter, breuiter. Postquam elegistis viam de dicendo prolixè, patiamini vt longe dicam. In primis teneatis menti, quod dedi xxvii. rationes, & nulli respondistis, sed intrastis alias materias, & illis bene respondebimus & clare. Quia hic sumus ad declarationem veritatis, debemus manifeste hinc inde quidquid reperimus faciens ad veritatem, reducere: & pridie dixi vnum solenne, nunc dicam aliud. Ego misi Veronam, & venit decretum Romanorum
pon-

ANNO
CHRISTI
1438.

pontificum valde authenticum & verum: quærens aliud, improviso hoc inueni. Hic sunt epistolæ, quas scribit Athanasius ad papam Marcum & Liberium, &

EPHES. Nunquam audiuius Marcum.

CARD. Fuit immediatus successor beati Siluestri.

EPHES. Habemus Iulium.

CARD. Non est^a ita. Omnes Ægyptii, quia fuerunt exspoliati ab hæreticis, & quia libri fuerunt combusti, & capitula Concilii Nicæni, scripserunt beato Athanasio, principaliter scribentes beato Marco, vt mittat sibi capitula Nicæni, quia dicit Athanasius: Ego fui præfens, quando in Concilio Nicæno fuerunt data illa capitula apocryphis vestris. Marcus papa dicit, quod fecit quæri in archiuo Romanæ ecclesiæ, & inuenit illa integra & illæsa. Sed quia fuerunt subscripta per episcopos Nicæna Synodi, non vult mittere originalia, sed authentica sumpta. Postea Athanasius petit Liberio papæ, vt præstet sibi auxilium. Inter alia Liberius^b respondit, & hortatur ad tolerantiam & patientiam persecutionum: & dicit aliqua, quæ pertinent ad Concilium Nicænum. Postea dicit quod in diffinitionibus Concilii Nicæni fuit hæc diffinitio, quod nulli liceat aliam fidem proferre, quam quæ fuerat in Concilio illo prolata. & hæc sunt verba. Igitur, vt legimus, prædictum sacrum Concilium diffiniuit, aliam fidem nulli licere proferre, aut scribere, vel proponere aut sapere, vel docere aliter, nec quidquam in fide sentire aut proferre, quod possit obuiare regulis patrum. Qui autem præsumpserit componere aliam fidem, aut proferre, vel docere, aut tradere aliud symbolum ad viam veritatis conuerti desiderantibus de quacumque hæresi, vel Iudæis, vel paganis volentibus fieri Christianis: hos, si episcopi fuerint, alienari ab episcopatu, clericos a clero: si monachi aut laici fuerint, anathemate feriri. Ex quibus concludo, quod Liberius viderat illa capitula in archiuo ecclesiæ Romanæ. Liberius fuit tertius a Siluestro: primo Marcus, secundo Iulius, tertio Liberius. Et Liberius fuit ante Concilium Constantinopolitanum, quod Concilium Constantinopolitanum fuit factum tempore Damasi. Post Liberium secutus est Felix, postea Damasus. Per ista apparet, quod prohibitio, ne fieret hæc immutatio, fuit facta

Concil. Tom. 33.

LI

^a Post Siluestrum successit Marcum, ex libro de Romanis pontificibus habet etiam Baron, anno 116. & alii.

^b Epist. 11. Concil. tom. 1. sub Liberio.

in Concilio primo, licet demum fuerit in tertio repetita. Vos sæpenumero dixistis, quod symbolum Constantino-
polititanum potuit fieri, quia ante prohibitionem vestram
dicitis quod ecclesia vniuersalis post prohibitionem tertii
Concilii non possit quid addere etiam verum. Si hoc ve-
rum esset, episcopi Constantinopolitani essent deponen-
di, & laici excommunicandi, quia stante prohibitione
facta tempore primi Concilii, vos fatemini, & clarissimum
est, patres Constantinopolitanos addidisse, vera tamen.
Ergo sequitur, si addere etiam vera pœnas inferret, quod
patres Constantinopolitani fuerint excommunicati. Sed
hoc est nefas dicere: ergo necesse est intelligere aliam fi-
dem, id est contrariam. Imo in prohibitione Concilii Ni-
cæni magis continetur quam in prohibitione tertii Con-
cilii, quia prohibet symbolo addi, cum in tertii Concilii
prohibitione prohibeatur immutari.

EPHES. Hoc, licet non sit in prohibitione tertii, est de-
claratum in quarto.

CARD. Exuite conscientias vestras, & videatis, si huic
potestis respondere: dicatis breuiter responsum ad hoc.

EPHES. Respondebimus postquam quæsiuerimus, il-
lam epistolam^a apud nos esse. Illud pro præsentī dicimus,
quod merito non debet iudicari ex ipsa epistola intentio
patrum qui in Nicæa conuenerunt, sed ex actibus, ex dif-
finitionibus ipsorum patrum requiremus hoc: & ostendas
verba ista aut in Canonibus, aut in actis primi Concilii. A-
lioquin quonam modo nos suscipiemus quæ inueniuntur
scripta alibi, & non in diffinitionibus ipsorum patrum, de
quorum diffinitione agitur? Nam & alio modo nullatenus
videtur verisimile, patres illos de sua diffinitione hoc
diffinisse: hoc^b attestatur per opera. Nam in subsequen-
tibus Conciliis, quæ fuerunt a tempore primi Concilii vs-
que ad tempus vbi multæ expositiones factæ fuerunt, &
vt arbitror, & Concilium Antiochenum^c, expositio facta
fuit: quod Concilium vt orthodoxum accepimus, & Ca-
nones approbamus: etiam illud Concilium dicit admit-
tere diffinitionem illam vt piam & fidelem. Non ergo tot
Concilia transgressa fuissent illam prohibitionem.

CARD. Certe non recte capitis. Dico quod ex his ver-
bis concluditur, quod non fuit hic sensus quem creditis,

^a Epist. scilicet
Liberii ad
Athanasium.

^b Id est, pro-
batur.

^c Id est, in eo
etiam facta
fuit expositio.
est autem in
Concilio An-
tioch. sub Iu-
lio papa cap. 1.

ANNO
CHRISTI
1438.

prohibitionis factæ de elucidatione veri dogmatis. Et ex his quæ dicitis, stante prohibitione prout fuit, concluditur, quod prohibitio non comprehendit veritatis expressionem, & quod huic libro credendum sit. Inspicito: liber iste est antiquus, & videatur: & si credimus vni magno doctori, quanto magis debemus credere vni summo pontifici? maxime illo tempore, quo non erat disceptatio, quia Liberius fuit ante Concilium Constantinopolitanum. Ex hoc potestis colligere, quid importent verba Cælestini, qui fuit ante tertiam Synodum, qui dicit: ^a Quis anathema euitat, qui quid addit? Vnde Cælestinus sentit, quod ante tertium Concilium erat prohibitio; alioquin non diceret illa verba: Quis non est dignus anathemate? Item de hoc videtur sensisse Concilium Calchedonense in allocutione quam facit ad Marcianum imperatorem, vbi dicit, quod aliqui asserebant arguendo Leonem, quod nulli licebat exponere fidem præter patres qui fuerunt in Nicæa. Postquam probavi satis, prohibitionem fuisse ante tertium Concilium, & quod ista verba, Aliam fidem, intelligenda sunt de diuersa, prout credo quod in vestris animis id teneatis, veniam ad responsionem expositorum per vos.

NICÆN. Quoniam dominatio vestra videtur fecisse mentionem, quod Marcus noluit mittere originalia, an in illa epistola continentur capitula?

CARD. In epistola dicit mittere omnes^b: non erat opportunum facere mentionem eorum^c.

NICÆN. Rogo, alius facit mentionem de eo quod dicitis?

CARD. Ita. fuit Liberius.

NICÆN. Quid erat expediens scribere Athanasio per Liberium, si illa capitula erant missa per suum prædecessorē?

CARD. Papa hoc fecit exprimendo pœnam: & potestis videre librum, ac cognoscetis ex præcedentibus & subsequentibus, si erat necessarium: & probavi per auctoritates alias, quod ante erat hæc prohibitio, & nondum quid respondistis. Ad primum argumentum dicitis, quod erat probatum, quod per illa verba, Aliam fidem, intelligitur de additione verborum, non de diuersa fide; & quod contrarium plus continet quam diuersum. Et dico sic. Secundum vos est ponere veram fidem secundum Nicæam, diuersam pro additione & malam, cum vna sit fides vera, videlicet

Concil. Tom. 33.

Ll ij

^a Quis non dignus est anathemate iudicatus, vel adiciens vel detrahens? Verba Cælestini in actis Concilii Ephesini par. 1. cap. 18. in epist. ad Nestorium, de qua etiam supra.

^b Scilicet Canones.
^c Canonum vel capitulorum facere mentionem, quia per extensum ea transmittentur.

quæ exposita in Nicæa, quæ exposuit euangelium, sequitur quod omnis alia sit⁷ falsa. Hoc est clarissimum: si hæc est vera solum, ergo alia: & si diuersæ, sunt falsæ; sicut dicimus: Tantum Deus Christianorum est verus Deus: ergo alii sunt falsi. Ad id quod dicitis, quod additio facit diuersitatem, dico quod non est verum, quia in substantia conueniunt, licet differant verbis: nec desinunt esse eadem, quia vna & eadem res potest nominari diuersis nominibus, & non desinit esse res eadem. Hoc probatur per primum actum Concilii Calchedonensis, vbi dicitur, patres in Nicæa & patres qui in Epheso sibi adinuicem consenserunt & consonuerunt, vt nil saperent aut diffinirent diuersum: & tamen in verbis est maxima differentia. Item lectis duabus diffinitionibus in septimo Concilio Theodori & Tarasii, fuit dictum, quod nil ibi dissonabat a fide: & tamen verbis in multis dissonabant. Ex quibus clarissimum hoc colligitur, quod non dicitur alia fides, nec in aliquo discrepare, quæ sensu conuenit, etsi verbis disconueniat: cuius contrarium per multa verba dixistis. Item allego rationem, quod symbolum Constantinopolitanum, quia in sententia conuenit cum Nicæno, reputatur idem: & hoc dixistis pluries, & probaui, quod diuersitas verborum non inducit diuersitatem substantiæ rei. Vnde ex vi vocabuli aliam fidem necesse est intelligere falsam, quia non est nisi vna, & illa vera, & alia falsa. Deinde dico, quod omnis difficultas est submota, quia in Concilio Calchedonensi^a fuit declaratum hoc verbum, aliam, intelligi de contraria. Ad id quod secundo dixistis de diffinitione symboli, quod est expositio cuiuscumque conceptus, & quod oportet, quod nomina participant cum vocabulis, sicut *ὁ ἄνθρωπος* apud Græcos, apud nos homo; & quod vnum debet esse & idem apud omnes Christianos, vt ista significatio sit communis omnibus Christianis, vt omnes intelligant vnum & idem: dico, quod hæc diffinitio de symbolo non est perfecta, quia sequeretur, quod omnis diffinitio fidei esset symbolum: quod tamen & ipsi negatis.

^a Vt paulo ante dictum est.

EPHES. Istam diffinitionem non dedi illi symbolo quod cantatur in ecclesia, sed particulari.

CARD. Ego probaui, quod symbolum Charisii & Tarasii, quod dicitur symbolum aliud quam commune, &

ANNO
CHRISTI
1438.

tamen habent diuersas voces. Ad id quod dicitis, quod debet esse vnum symbolum apud omnes Christianos, vt idem significet, vt homo: dico quod ita est, & symbolum nostrum habet Constantinopolitanum & Nicænum & euangelium: & sicut ante dixi, diuersitas non attenditur in verbis, sed significatu. Vnde sicut Constantinopolitanum & Nicænum reputantur idem, sic nostrum etiam in nullo differre. Ad id quod dicitis, quod debet esse simile voci tubæ, & idem sonet contra hæreticos, sicut tuba in bello: dico quod licet inter armigeros sit sonus qui designet bellum, si vnus tubicina magis sonaret, illo modo non diuerneret a bello, sed magis incitaret. Certum est si essent centum tubæ, non omnes haberent sonum in pari grauitate, sed tamen vnus reputatur, si in modo cantus conueniunt. Sicut si esset vnum genus armorum ad bellandum, licet vnus magis lucidaret arma sua, non videretur mutare genus armorum. Ita scribitur de beato Cyrillo, quod magis declarauit fidem Nicænam, & non videtur contrarium sensisse: & ita fecimus nos, quia magis declarauimus veritatem; & ideo non videmur quid fecisse contrarium. Vnde ex quo concordamus cum Nicæno & Constantinopolitano in veritate fidei, debet reputari vnum & idem, & omnes Christiani qui sciunt veritatem, audiendo symbolum nostrum, intelligunt Nicænum & Constantinopolitanum, sicut milites intelligunt sonum ad pugnam. Deinde facitis syllogismum. Dico, si vultis intelligere, quod omne symbolum debet esse idem in significatu, concedo: si vultis dicere, in verbis, nego: & probo per symbolum apostolorum, Nicænum & Constantinopolitanum. Ad secundum si vultis dicere, quod omnis expositio fidei est symbolum, nego: & vt intelligatis, differt fides a symbolo: quia aliud est fides, aliud symbolum. Sed si vultis dicere, scilicet symbolum Nicænum est fides, dico quod sic, & quod debet esse vnum, confiteor in re: & tamen si vultis dicere, quod debet esse idem in verbis, nego, & allego epistolam Cyrilli, quæ incipit^a. . . . Ibi dicit Cyrillus, quod intellectus nostros debemus coniungere cum irreprehensibilibus sensibus sanctorum patrum. Postea certa verba de symbolo, videlicet: Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Mariâ virgine. Postea dicit hæc verba: Intelligamus

^a Studium & diligentiam. Directa Anastasio, Alexandro, &c. agitque de symbolo in actis Concilii Ephesini parte 3. cap. 43.

^a Id est, imo
potius dicen-
dum est quod
hoc. &c.

quid, Et incarnatus, significet. Vnde Cyrillus attendebat ad significatum verborum, non ad sonum verborum: dicit verba & dogmata cogitanda, quid significant. Postea dicitis, quod illa prohibitio debet declarari per ea quæ ibi in actu facta fuere, non per ea quæ ante & post facta sunt; & quod non debet probari per epistolas sequentes. Dicitis quod hoc^a non videtur habere rationem apud aliquem intelligentem, imo magis attendi debet causa legislatoris, quam ipsa verba legis. Ita dicit beatus Hilarius, vnde ex antecedentibus actibus & epistolis probavi hunc sensum quem dixi, nihilo minus ex sequentibus epistolis postea probavi, videlicet quod omnis intentio Concilii fuit ad condemnandum dogma Nestorii: & probatur per duas Cyrilli epistolas, quæ dicunt, diffinitionem illam loqui de his quæ sunt extra sensum caritatis & rectæ fidei. Vnde ex his quæ facta sunt tunc & ante & post, probavi, quod ita est intelligendum, & quod aliter non potest intelligi. Postea intratis, quod ex actu Concilii appareat etiam prohibitio verborum, quia moti fuerunt ad reprimendum inconuenientia quæ sequebantur per diuersitatem symboli factam. Ego dico, quod ex hoc actu deducitur totum contrarium: quia si illud symbolum transformatum fuisset verum, sancta Synodus fuisset contenta, quia intentio Synodi non erat facere aliud, nisi vt sequeretur veritatem: & textus dicit rationem, quia continebatur perfidia^b; & symbolum Charisii fuit approbatum, quia continebat veritatem: & sic intentio Synodi erat prohibere falsitatem. Ad id quod dicitis, quod verba illa, Aliam fidem, id est aliud symbolum, hoc repugnat significationi verborum.

^b In illo scilicet symbolo Nestoriano.

EPHES. Cyrillus hoc declarauit.

^c Id est, hoc est verbum, vel hæc sunt verba Cyrilli, Non patimur fidem aut symbolum, &c. in epist. supra cit.

CARD. ^c Hoc verbum, Non patimur fidem aut symbolum: & dico, quod per prohibitionem inhietur omnis expositio falsa, siue sit symbolum, siue aliud dogma.

EPHES. Non videtur ita.

CARD. Non vteris ciuilitate qua vtor tecum: forte & facis, quia te stringo nimis.

EPHES. Stringitis veritatem, & non miror, quia non es peritus in Græco.

CARD. Ego allego Latinum, ego probo ex ipsa signi-

ANNO
CHRISTI
1438.

ficatione. Certum est quod fides, maxime euangelica, continet plura explicite quam symbolum. Vnde symbolum est quædam compendiosa capitulatio ex his quæ sunt ex scripturis sanctorum patrum: unde certum est, quod differt recapitulatio a toto, vt explicitum ab implicito. unde aliud significat symbolum, quam fides. & probo. Videant ^a in Concilio sexto vbi dicitur: His igitur. Et infra: Audentes autem aliam fidem docere, vel tradere aliud symbolum. Item in quarto Concilio ^b, audentes fidem aliam docere, vel tradere aliud symbolum. Vnde hæc Concilia reputant hæc pro differentibus: hoc non negabitis. Postea allegastis epistolam ^c Cyrilli, vbi respondet ad Ioannem patriarcham Antiochenum, & dicit, quod prohibetur mutatio etiam syllabæ: & facitis nos attentos. Ego respondebo, ex quo arguitis per syllabas & dictiones, per easdem arguam ^d responsiones. In illa particula: Nullus possit certa verba mutare, fidem aut symbolum mouere, dictiones vel etiam syllabas præterire: rogo vt stemus in dictionibus & syllabis. Nos non mouemus symbolum Nicænum, nec Constantinopolitanum: & licet ponamus hoc verbum ^d, nil mouetur, sed ponitur ad declarationem. Vnde cum non moueamus substantiam symboli, sed honoremus illud, non potest dici, quod nos mouerimus: & sic non mutauimus dictionem. Videatur symbolum Constantinopolitanum & nostrum: nos non mouemus de Constantinopolitano. De præteritione syllabarum, dico, quod nihil præterimus, quia omnes syllabæ quæ sunt in Constantinopolitano, sunt in nostro. Cum ergo nihil dicat ^e de additione, cur facitis vim de additis syllabis? Et hæc responsio satis sufficeret: sed ex ipso textu epistolæ volo respondere. Etiam si hoc verbum, additio, fuisset inhibitum, nisi consideretis verba epistolæ, & præcedentia & sequentia, nunquam poteritis bene intelligere. Videamus ^f antecedentia. Dicit Cyrillus, quod aliqui arguebant eum, quasi diceret, quod Christus carnem de cælo attulerat. Secundo accusabatur, quod dixerat, quod in Christo fuerat facta commistio, seu fermentatio naturarum. Beatus Cyrillus dicit, absit quod ita teneam. Imo ita dico, quod puto facere illos qui ita dicunt, expresse contra sanctam scripturam & sanctos patres: ego se-

^a Sextum Concilium actione 18. in definitionibus.
^b Concilio Calchedonensi, actione 5. in definitionibus.

^c Supra relatum in actis Concilii Ephesensis part. 3. cap. 34.

^d scilicet, Filioque.

^e Cyrillus, scilicet.

^f Probat ex contextu epistolæ, quod per verba, nec syllabam scilicet fidem, Cyrillus intelligit de falsa fide.

quor maximum Athanasium per omnia, a quo timeo omnino deuiare. Vnde quia ista opiniones impingebantur Cyrillo, & ipse dicit quod sequitur per omnia sanctos patres: sequitur, quod illa verba, Aliam fidem, intelligantur de falsa fide. Hoc etiam patet in epistola, vbi dicit: Omne certamen nostrum est, vt Maria dicatur Dei genitrix. Hoc autem verbum non erat in symbolo Nicæno explicite, & ipse palam dicebat hoc: vnde addere aliquid vltra symbolum Nicænum, dummodo verum contineat, non est reprobatum. Deinde quod Cyrillus hoc asserat, apparet ex redditione rationis, quam subiungit. Memi-

Proverb. 22.

nimus, inquit, dicti Salomonis: *Noli transgredi terminos, quos posuerunt patres tui.* Sed ipse quando exposuit fidem suam in Synodo, vbi facta fuit prohibitio, dixit: Certus sum, quod ego non sum transgressus in aliquo fidem Synodi Nicænae. & Synodus Ephesina respondit: * Certe non es transgressus, quia secutus es fidem Nicænam. Ergo beatus Cyrillus demonstrat, quod dicens rectam rationem fidei, non transgreditur terminos patrum. Ergo non facit contra prohibitionem: & hæc prohibitio, Noli transgredi terminos, &c. ita refertur ad symbolum, sicut ad alias diffinitiones patrum præcedentium; quia expresse dicit: Sequimur per omnia sententias patrum, & maxime Athanasii. Vnde transgressio termini habet locum quoad omnem transgressionem ab institutione a patribus: sed nullo modo est prohibitum declarare doctrinas patrum: ergo nec doctrinas symboli Nicæni. Et sicut dixi alias, hæc prohibitio ita respicit diffinitiones, vt symbolum: & sicut patet, quod licet diffinitiones alias veras facere, ita & veras declarationes symbolo; quod pariter prohibitio respicit. Deinde cum beatus Cyrillus fundet se in auctoritate Salomonis, hæc prohibitio ita respiciebat stantes in Nicæa, sicut stantes in aliis Conciliis. Vnde si hæc prohibitio

* Conc. Ephes.
part. 1. act. 1.
post symbolum.

† Patres scilicet
Concilii
Constantinopolitani.

Apocal. vii.

constringit addentes, constringit & † Constantinopolitanos, qui multa addiderunt. Pridie probaui per septimam Synodum, quod hæc prohibitio fuit facta per sacram scripturam, cum dicit: *Maledictus*, &c. subdens, quod magna pœna constringit addentes. Vnde si ecclesia Romana subiacet prohibitioni, multo magis Synodus Constantinopolitana. Sed nec illa, nec nos subiicimur, sed illi qui contrariam

ANNO
CHRISTI
1438.

riam fidem tenent. Item intellectus verborum Cyrilli apparet ex his quæ dicebat contra Nestorium. Cyrillus dicebat Nestorio : * Non sufficit vt dicas symbolum quod male interpretaris, sed vt confitearis hæc capitula quæ mitimus. Si autem beatus Cyrillus voluisset, quod verba tenerentur, non petiisset a Nestorio, nisi vt verba illa profiteretur; & hoc Nestorius volebat : sed quia beato Cyrillo non sufficiebant syllabæ & dictiones, voluit quod profiteretur capitula sequentia & verum sensum. Quod autem subtractio & additio non intelligatur de syllabis, sed de significato, apparet ex epistola Cælestini, vbi reprehendit eundem Nestorium, & de eo conqueritur, quod remouerit, quod beata Maria sit Dei genitrix.

EPHES. Negatur, quod faciat mentionem symboli.

CARD. Hæc sunt verba ^b : Quis non dignus est anathemate iudicatus, qui addit fidei? Plene etenim ipsa fides & manifeste tradita ab apostolis, non habet diminutionem, nec augmentum. diminutio requiritur ^c. Inter multa quæ a te impie prædicata vniuersalis recusat ecclesia, simbolo ab apostolis tradito plangimus hæc verba, Dei genitricem beatam Mariam, fuisse sublata. Dico, quod Cælestinus dicit, quod hæc verba fuerunt a Nestorio sublata de simbolo apostolorum : & tamen non erant, quando queritur, quod fuerint detracta.

EPHES. Quæ verba?

CARD. Quia dicebat Christum duarum naturarum & duarum personarum, & quod Maria erat mater corporis animati, & non Verbi ^d. Deinde beatus Cælestinus non arguit Nicænum Concilium, quia remouerit, Descendit ad inferos, & certa alia verba : ergo non sumitur additio vel detractio, nisi cum ex eis sequitur veritatis detractio.

EPHES. Hic liber hoc non habet.

CARD. Habetis symbolum apostolorum?

EPHES. Non : & si fuisset, fuisset factum ^e verbum de eo.

CARD. Non ¹⁰ sequitur, quia in Constantinopolitano nunquam fit verbum : & dico, quod si diceret ^f de simbolo Nicæno, in illo non est de genitrice Dei, & tamen Cælestinus conqueritur, quod est ^g : & sic Cælestinus respicit ad sensum. Et quia negatis, quod non est aposto-

Concil. Tom. 33.

Mm

* Epistola ad Nestor. in a. c. Concil. Ephes. part. I. cap. 8.

^b Epist. Cælest. pape in a. c. Conc. Ephes. part. I. cap. 18.

^c Hæc duo verba, diminutio requiritur. sunt verba card. id est, requiritur, quod sit illud quod dicit Cælestinus fuisse diminutum & ablatum a simbolo : & subicit verba Cælestini inter multa, &c.

^d Et sic a sensu symboli apostolorum auferrebat, quod esset Dei genitrix.

^e Scilicet in Conc. Nic. quando fuit editum symbolum Nicænum.

^f Scilicet Cælestinus si non dicit verba, Dei genitrix, fuisse sublata de simbolo apostolorum, sufficit quod dicit de Nicæno.

^g Scilicet, sublatum.

* quæ incipit, Quantum presidi, sic dicit.

º scilicet Ephes.

º Dicit hæc Ioannes Zonaras in Can. 7. Concilii Ephesini, vt notat etiam Bessarion in opusculo ad Lascharum, in fine huius operis exhibitio, cap. 1. referens rationes Latinorum. Hunc Zonaram fuisse secretarium imperatoris, habetur in titulo eius historiarum, quem nõ esse doctorem de numero sanctorum patrum bene hic asserunt Grotius sed certe schismaticum hominem & canonistam suum deberent etiam admittere in quibus catholice loquitur. º Subde, priuatur episcopatu, si clericus, clericatu, &c. vt in diffinitione Concilii Ephes. de qua supra. º Scilicet Ephesius.

lorum symbolum, volo vobis ostendere. Beatus Leo papa scribens ad Pulcheriam Augustam in epistola *: Ipsa breuis confessio fidei apostolorum totidem est signata sententiis, tamquam instructa sit munitione cælesti, vt omnis hæreticorum opinio solo ipsius posset gladio detruncari, cuius symboli plenitudinem si Eutyches puro & simplici corde recipere voluisset, in nullo a Concilii Nicæni dogmate deuiasset. & sic dicit a duodecim apostolis compositum. Ultra hæc dico, quod verba Cyrilli debent intelligi de additionibus quæ peruertunt verum sensum. Dico ad probandum hoc, quod verba hæc oportet intelligere secundum legem Synodi, quia non est credendum Cyrillum aliud intellexisse quam Synodus: sed clarum est, quod Concilium Calchedonense declarauit diffinitionem, quod intelligitur de deprauantibus: ergo & ita verba Concilii b. Et audiatis expositionem istam. Volens declarare diffinitionem factam in Ephesino Concilio, duo facit. Primo declarat diffinitionem Ephesini Concilii, & quare fecerunt. Secundo ponit suum sensum, horum scilicet diffinitorum: postea declarat eandem, & est Ioannis c. Simari apud vos celeberrimi, qui sic dicit: His lectis, Nestorius infidelis non solum ipsa dogmata docebat, sed prauè sapiebat, & blasphemabat hoc symbolum productum per Charisium. Damnarunt eundem Nestorium, & determinarunt teneri quæ Nicææ facta sunt: diuersam vero fidem illos tenere, qui contrarium faciunt; docere scilicet, & instituire dogmata diuersa, si episcopus d, &c.

IMPER. Quæ hæc expositio? Is liber non est approbatus. COLOSS. Est celebris apud vos, quando in isto velle-tis improbare, sufficit quod vester Græcus ita declaret, & est secretarius imperatoris.

IMPER. Non est doctor. FOROLIV. Si esset pro vobis, bene admitteretis: oportet, velitis, nolitis, audire veritatem.

CARD. Demum allegat e epistolam Cyrilli, & conatur deducere, quod inhibetur mutatio fidei, his verbis: Reprehenderunt similiter & nos, tamquam iis quæ dudum scripseramus, contraria sapientes. Et quod hoc non dissonabat a nouitatibus Nestorii. º Cyrillus dicit, quod fatuus fatua loquitur: nunquam dixi contrarium, imo sequor exposi-

ANNO
CHRISTI
1438.

tionem fidei Nicænæ, nil destruentes^a, quæ imposita sunt. Vnde subdit: Nos talia nunquam diximus: & nos non dicemus contra ea quæ Ephesina Synodus fecit. Vnde cum loquitur de alia, intelligit de cōtraria; & subdit: Qui declarat, nec innouat, nec fidei expositionem noscitur innouare. & sæpe hoc verbum, alia, sumitur pro contraria. Hoc patet in his quæ præcedunt diffinitionem, quia intelligebant de impia fide Nestorianorū, cum loquerentur de alia.

INTERPR. Fessus sum.

AND. Erat multiplicitate concertationum mirabile, quod tot mutuas concertationes illic potuisset referre.

CARD. ^b Dicas parum, oro, quod est expresse contra eos, cum dicunt, nil addit, quia multa addit, vt apparet intuenti verba quæ sequuntur, confitemur, &c. Hominem^c perfectum: sunt vltra triginta verba; & cum dicit^d si ista prohibitio fuit facta in primo, vt dicimus, quod non erat expediens fieri de nouo. Respondeo, quod prohibitio multoties repetitur ad maiorem explicationem, quia & quartum fecit, & quintum, & sextum: quia erat expediens repetere. Dinde dicitur quod illud verbum, ^e proferre, intelligitur de verbali, quia si de contraria, eo ipso essent priuati hæretici, non solum priuarentur. Dico quod miror de paternitate tua, ex textu apparet responsio. Nonne episcopi & clerici sapientes dogmata Nestorii, sunt hæretici? Quid est, quod in secunda parte diffinitionis illi qui sapiunt dogmata Nestoriana, deiiciuntur ab episcopatu, & non anathematizantur? Vnde ex hoc textu apparet, quod illa pœna imponitur expresse hæreticis. Et dico, quod non erat opportunum vt anathematizarentur, quia ipso iure hæretici sunt anathematizati, quia in decretis etiam Concilii anathematizatur omnis hæreticus. Hæc cōstitutio hanc pœnam voluit addere. Ad id quod dicitis, quod prima pars non loquitur nisi de mutantibus verba: loquimini contra epistolam Cyrilli quæ incipit^f Amor doctrinæ; & cōtra epistolam^g Vigilii. dico quod dicta Synodus tulit sententiam contra malam opinionem Nestorii. Certum est, quod secunda pars diffinitionis loquitur de dogmate Nestoriano. Si prima pars non intelligeretur de dogmate hæretico, Cyrillus non diceret verum, & Vigilius. Id quod dixit^h de prohibitioneⁱ Ioannis non sequitur, quo minus nouis declara-

Concil. Tom. 33.

Mm ij

^a eorum scilicet.

^b Alloquitur, interpretem & rogat, vt bene referat Græcis suum argumentum.

^c Id est, iam haberent contra se latam sententiam, nō ferendam, vt subdit.

^d Alias, Scindium, in actis Concilii Ephesini part. 3. cap. 43.

^e Supra citatum.

^f Id est, ex eo quod dixit Ephesus de prohibitione Ioan. non sequitur, &c.

^g Apocal. vlt. vbi sanctus Ioannes maledicit addētib.

• Scilicet est addendum, cur autem in sacra scriptura nec syllaba quantumvis vera possit addi, vide optime differentem cardinalem collat. seq.

tionibus possit quid declarari. Et dico, quod verum est, quod nihil noui addatur: ^a sed addita sunt, & addentur vsque ad finem sæculi declarationes sacrae scripturae & euangeliorum Dei. Ad id quod dicitis de tertio testamento, dicimus, quod nos non facimus testamentum tertium, sed sicut Cyrillus declarauit, ita & nos dedimus intellectum symbolo. Et cum dicitis, quod non reperiuntur nisi duo symbola, probauimus quod reperitur symbolum apostolorum, Nicænum & Constantinopolitanum. Item Tarasii secundum Hadrianum, qui addit per Filium: & non fuit reputatum facere contra prohibitionem tertii Concilii, & septima Synodus fecit, prout apparet in fine quartæ actionis. Per ista responsum est omnibus vestris obiectionibus: & nisi esset temporis angustia, multis aliis rationibus approbarem: & non dubito vos claros esse, sed velle indagari, qualiter veritatem ipsam defendimus.

AND. Erat 23. hora diei, & frigus maximum: ac frigore fameve fatigatus quisque libenter surrexit, & dissoluta fuit diei illius conuentio.

NOTÆ AD DECIMAM TERTIAM
COLLATIONEM.

¹ *Actibus.*] Sensus est, quod prohibitio non addendi, applicatur illi actui Concilii, in quo traditum & diffinitum fuit symbolum, non aliis actibus & sessionibus, in quibus factæ fuerant aliæ diffinitiones. Respondet Ephesius argumento Iuliani, & ponderationi quam fecerat supra antecedenti collatione illorum verborum diffinitionis, scilicet: *His igitur recitatis*, &c. Sed & huic responsioni Ephesii replicat Iulianus infra.

² *Permittimus.*] Hæc sunt verba Cyrilli in epistola ad Ioannem Antiochenum in actis Concilii Ephesini part. 3. cap. 34. *Nullo modo patimur, vt ab aliquo fides illa, siue symbolum fidei concutiatur, quod a sanctis quondam patribus Nicænis editum est. Neque enim aut nobis, aut vlli omnino alteri, vel vnâ voculam ibi positam immutare, aut vnâ etiam syllabam præterire permittimus, memores eius qui dixit: Ne transferas terminos antiquos.*

³ *Epistola.*] Cyrilli ad Acacium Melitenum, alias incipit: Res quidem dulcis & commendabilis: in actis Concilii Ephesini parte 3. num. 35. cuius hæc sunt verba iuxta translationem vulgatam. *Intelligo vero & hoc quoque illos nobis obiicere, nempe quod fidei expositionem siue nouum symbolum reciperemus, quasi vetus illud venerandumque aspernati. At stultus stulta loquetur, & cor illius vana meditabitur. Illud tantummodo dicimus, nos neque nouam fidei expositionem ab vlllo exegisse,*

ANNO
CHRISTI
1438.

ANNO
CHRISTI
1438.

neque ab aliis innouatam admisisse: sufficit enim nobis diuina scriptura, sanctorumque patrum prudentia, & symbolum fidei, ad omnia recta dogmata apte riteque concinnatum.

⁴ *Verba.*] Hæc sunt verba Cyrilli epistolæ in actis Concilii Ephesini part. 3. num. 34. *De virgine autem Dei genitrice, deque unigeniti Filii Dei incarnationis modo, necessario, non quasi aliquid adiungamus, sed pro comperto habeamus, ut iam inde ab initio ex diuinis scripturis sanctorumque patrum traditione accepimus, breuiter dicemus; nihil omnino addentes fidei in Nicæa a sanctis patribus expositæ. Illa namque ad omnem pietatis agnitionem, omnisque hereticæ prauitatis euerfionem sufficit.*

⁵ *Immanes.*] Id est, patres Concilii non sæuissent in eos, &c. cum vnusquisque posset dicere se non habuisse intentionem dicendi contra fidem, ergo signum est eos prohibuisse etiam additiones veras, ad euitanda subterfugia.

⁶ *Marcus.*] Habetur hæc epistola tom. 1. Conciliorum sub Marco, & in Concilio Nicæno a Pisano collecto lib. 3. Et quidquid sit de aliis in ea epistola contentis, de quibus Baronius anno 336. num. 58. certe quæ in ea dicuntur de Canone Nicæno prohibente additionem, habentur etiam in epistola Liberii, quæ hic infra citatur. Nec mirum si hodie non legatur inter alios Canones. Nam passos esse naufragium, & hinc inde ex sanctorum patrum fida relatione colligi debere, vide apud Baronium tom. 3. anno 325. num. 157. & tom. 5. anno 419. num. 70. & 82.

⁷ *Falsa.*] Id est, non omnis additio diuersa secundum verba potest dici alia vel diuersa fides, quia cum vna sit vera fides, omnis alia & diuersa est falsa.

⁸ *Responsiones.*] Id est, respondendo. Vis argumenti consistit in hoc: Nos non mouemus vel syllabam Nicæni aut Constantinopolitani symboli, quia non dicimus hanc dictionem, Filioque, in eis fuisse, sed dicimus esse aliud symbolum hoc nostrum, sed implicite in eis contentum, & per explicationem auctum.

⁹ *Non.*] De symbolo apostolorum a sanctis patribus ex apostolica traditione agnito & venerato, vide plura apud Baron. tom. 1. anno 44. num. 15. Et quia Græci illud non recitant, ideo hic non agnoscit Ephesus, & temere affirmat, nec agnitum a sanctis patribus. De hoc iterum infra sequenti collatione.

¹⁰ *Sequitur.*] Id est, non sequitur non reperiri symbolum apostolorum, quia in symbolo Nicæno non fit mentio de eo. nam nec in Constantinopolitano fit mentio de Nicæno.

¹¹ *Cyrillus.*] Epistola ad Acacium in actis Concilii Ephesini part. 3. cap. 35. cuius verba, quæ hic innuit cardinalis, hæc sunt. *A Nestorii vocum nouitatibus non abhorreere contendunt, quin & nos quoque vituperant, quasi iis que scripsimus, contraria senserimus. At stultus stulta loquitur. (& infra) sancta quippe Synodus quæ Ephesi conuenerat, necessario prouidit non oportere aliam fidei expositionem, &c.*

¹² *Perfectum.*] Innuit diffinitionem Concilii Calchedonenfis actio-

ne 5. in qua de perfectione Christi plura adduntur aliis Conciliis præcedentibus, & ipsi Ephesino, in quo erat lata prohibitio.

¹³ *Dicit.*] Id est, cum dicit Ephesius, quod si ista prohibitio addendi, erat iam facta in primo Concilio Nicæno, ut supra diximus nos ex Liberii papæ epistola, non erat opus ut iterum fieret in Ephesino Concilio & in Calchedonenfi, & sequentibus.

¹⁴ *Proferre.*] Aliam scilicet fidem, intelligitur etiam in verbis, nam de contraria in sensu iam ex natura rei erat hoc prohibitum hæreticis.

¹⁵ *Hadrianum.*] Id est, tempore Hadriani papæ, in professione fidei Tarasii patriarchæ approbata in Synodo. Vide quæ diximus supra in 2. nota collationis 4.

COLLATIO DECIMAQUARTA.

DIE XIII. DECEMBRIS.

Vtrum nouæ professiones fidei contrariæ symbolo reiiciendæ sint, an vero etiam non contrariæ. Concluditur, ut disputationes fiant de veritate additionis, Filioque: & ob pestem ortam Ferrariæ, summus pontifex transfert Concilium Florentiam, ad quod omnes Christianos principes hortatur.

Num. I.

AND. **H**OC in conuentu incepit Ephesinus hoc modo.

EPHES. Nos promissimus, reuerendissime pater, respondere particulariter ad ea quæ dicta sunt pro parte vestra, quæ continentur in octo capitulis. Ista octo capitula ab aliis elegimus, quia videbantur nobis magis necessaria & pertinentia, & quod non haberent superfluitates, & quod ad rem pertinerent. Dum autem more dialecticorum nos ad ipsa capitula credebamus respondere, nos nescimus quo pacto decurrimus ad quædam alia, ita ut vix nos potuerimus primum argumentum declarare: & ostendimus manifeste & euidenter Charisium non exhibuisse symbolum ut commune, sed ut expositionem suæ fidei, per quam voluit se ostendere fidelem, & orthodoxam veritatem tenere. De priuato symbolo nullam curam habemus. Sed de vniuersali ecclesia impræsentiarum, si videtur, repetam quod & dimissimus, & discurremus subsequenter cetera capitula, prout nobis erit possibile, vnumquodque examinantes. Itaque secundum dictorum articulorum erat videlicet, quod diffinitio præfata non modo prohibebat, quod aliquis posset apponere aliam fidem,

ANNO
CHRISTI
1438.

imo etiam sapere : & ex hoc satis erat manifestum , quod prohibitio non tantum extendit se ad prolationem verborum, sed etiam ad conceptum animi, cum multa nos sapiamus, quæ expresse non sunt in symbolo. Si traderemus examinatori, potius inueniretur facere pro nobis, quã contra nos : hæc verba, sapere, in diffinitione 3. Concilii^a non connumerantur ceteris dictionibus. Cetera quidem nomina seorsum per se iacent in prohibitione, videlicet proferre, componere, seu dicere. Euidens est, ista nomina respicere ad expositionem quæ secundum dictiones. Postea sequitur : Quod si aliqui deprehenderentur sapientes quæ exposita^b sunt per Charisium, id est scelerata Nestorii dogmata, subiacerent sententiæ sanctæ œcumenicæ Synodi. Hoc ergo manifestum est, vt respiciat ad sensum & intentionem animi. Nam potest aliquis, salua & manente dictione, circa sensum & intentionem errare : quod Eutyches passus est in quarto Concilio. Nam cum sibi videretur tenere symbolum Nicænum, & in eadem fide permanere & perseverare, aliena a vera & sana fide ille & sentiebat & docebat. Vnde patres illi quarti^c Concilii, postquam exposuerunt easdem dictiones, dixerunt : Symbolum maneat immutabile. subsequenter addunt: Docere autem, vel sapere aliter. cum nomina illa, videlicet proferre, conscribere, dumtaxat respiciant dictiones symboli; sapere & docere ad sensum respiciunt. Et hoc, ne aliquis, dum profiteretur dictiones symboli, vt Eutyches, aliter sentiret; videlicet, quod vratur diuersa intentione, sensu & doctrina præter rectam fidem; non est mirandum, si verbum sapere aliis nominibus^e intelligatur. nam statim distinguitur ex interiectione copulæ^d, & vi conclusionis & adiectionis verbi aliter^e. Cum autem duplex sit symbolum, hoc est secundum sensum & dictionem; vna prohibitionum tendit ad intentionem, alia ad dictionem: illud proferre, ad dictionem refertur; sapere & docere, ad intentionem fidei. Inane namque esset dicere sapere symbolum: ideo apud illa nomina sapere, vel docere ponitur aliter; hoc est, alio modo, murata sententia. Tertium argumentum accusat nos & inculpat, quia nos dicimus particularibus personis licere fidem quibus verbis voluerint exponere; vniuersaliter, ^f omnes prohiberi. Ad hoc dici-

^a scilicet Ephesini act. 6.

^b id est, oblata, seu denuntiata. obtulerat enim & denuntiauerat Charisius hæreses Nestorii.

^c id est, diuersimode ab aliis nominibus intelligitur, ita vt proferre referatur ad verba, sapere ad intentionem.
^d Coniunctionis scilicet preparatiuæ, proferre, aut sapere.
^e scilicet aliter docere, vt in prohibitione sextæ Synodi supra citata.

^f Facere scilicet symbolum pro vniuersali ecclesia, quantumuis vera continens.

mus, quod & antea multoties dictum est, quod priuatim & particulariter posset quis fidem exponere; nemo est qui prohibeat: at tamquam commune & vniuersale, posset periculum inferre, & aliud tradere quam illud vnum, & in eodem additiones facere: hoc est quod prohibetur. Et hoc post prohibitionem nemo est qui audeat, nullum Concilium, nulla ecclesia, præter vos, qui istam additionem fecistis, quæ nullius boni causa fuit, sed multorum malorum. Addidistis denique argumentum quartum prius dictum, quod in Concilio Ephesino nulla fuit facta mentio de symbolo Constantinopolitano. Vbi estis quadam diuisione, videlicet quod patres illi aut obliuiscerunt Constantinopolitani symboli, & tantum symboli Nicæni mentionem fecere: aut si fuerunt recordati, vt contrarium illud præterierunt; aut vnum & idem iudicarunt esse ambo, vt & nos diximus. Et quod Constantinopolitanum symbolum contineatur in Nicæno, & nihilo minus dictionibus differat, dicitis esse manifestum: quia si inuenitur symbolum esse idem & consonum omni altero quoad sensum, non refert si habent differentiam dictionum. Hæc omnia nos, & antequam vos proferretis argumentationem, in medio tulimus, & in communi nos habuimus quæstionem, ad quam solutionem attulimus; videlicet, quod expositio ista & explicatio ante prohibitionem facta est, & a Concilio œcumenico, & de magnis rebus maxime opportunis & necessariis quoad fidem, videlicet de processu Trinitatis: & quod eandem rationem & locum seruat symbolum Constantinopolitanum ad primum^a, quem seruat nouum testamentum^b; nemo ea quæ fuerant ante prohibitionem, adducat ad testimonium eorum quæ postea facta sunt: quia tunc licebat, postea non est rationabiliter factum; & est manifestum, quod nullius boni causa fuit. Quintum vestrum argumentum fuit, quod scriptum est in diffinitione^c sexti Concilii, nullum debere inuenire vel sentire alterationem vocum, quæ esset ad euerfionem eorum quæ diffinitiones sunt. Et quod manifeste videtur ex hoc, ea prohiberi, quæ ad euerfionem veræ fidei addita fuerint. Ad hoc itaque dicimus, quod hæc omnia re vera tendunt ad eandem intentionem & sensum, prout nos diximus. Nam postquam patres Concilii distinxerunt fe-

^a scilicet Nicænum.

^b ad verum scilicet, quod explicat.

ANNO
CHRISTI
1448.

re iisdem verbis, quæ diffinita sunt pro custodia symboli, & postquam addiderunt, nil sapere vel docere aliter, prout se habent in diffinitione sexti Concilii; adiecit postea Concilium, nec aliquam nouitatem vocum sentire, quæ respiciant euerfionem. Hæc siquidem respiciunt ad symbolum: & cum prohibeat immutationem symboli, & mutationem & nouitatem vocum, nostris rationibus consonum est. Nam ea prohibentur, quæ ad euerfionem eorum quæ per ipsos diffinita sunt, tendunt; hoc est, ad euerfionem prohibitionis. Nam ibidem definierunt de hoc, vt nec syllaba, nec dictio in symbolo apponatur. Nam distinctorum dicit, non terminatorum; ac de fide terminauit Concilium, non dicit distinxit: hoc illud proprie^a distinctio est, quæ^b ablata fuit de custodia symboli. Qui autem audet symbolum immutare, ille euertit terminata per patres: & qui conaretur ad omnem sensum prohibitionis dictam dictionem trahere, nec nouitatem vocum & dictionum inuentionem ad symbolum imponi, dicemus simpliciter etiam diffinitiones illius Concilii, vel in dogmatibus pietatis. Et sic hoc argumentum nil obstat, imo confirmat rationem nostram. Sextum argumentum est, perscrutata huius sanctæ legis intentione a præcedentibus actibus ad depositionem Nestorii, in quibus lectum est symbolum Nicænum, post hoc epistolæ Cyrilli ad Nestorium, & ipsius Nestorii epistolæ, quarum epistolarum partim explosa^c: videtur etiam intentionem diffinitiuam talem esse ab illis quæ postea Cyrillus dicit^d; videlicet: Nos sequentes professionem patrum, sequimur intentionem sensus, & exponimus rectam fidem, ac septimi Concilii, quod ita dicit: Sic cum diligentia perscrutati & discussi, & intentioni veritatis nihil detrahimus, nihil addimus. Ex quibus omnibus intentio diffinitionis videtur esse, non quod veritas taceatur, sed potius vt dicatur & prædicetur, & doceatur. Hæc sunt vestra. Ad ista vero nos dicimus, quod intentio diffinitionis & legis non debeat quæri ex præcedentibus, nec ex sequentibus, nisi specialiter facerent mentionem de tali diffinitione, vt antea diximus ac dicemus: ac beatus Cyrillus, & beati etiam patres istius septimi Concilii sequuntur intentionem veritatis, (vt dicunt) & interpretantes rectam fidem & pro-

Concil. Tom. 33.

Nn

^a scilicet hoc, quod additum est, nempe, Filioq, pertinet solum, & additum fuit contra verba prohibitionis, distincta, scilicet proferre.
^b Ablata fuit custodia symboli, dum fuit additum, Filioque.

^c id est, plura in eis contenta fuerunt damnata.
^d Epist. ad Acacium in actis Concilii Ephesini par. 3. cap. 33. & epist. ad Anastasium, &c. in iisdem actis cap. 41.

prias diffinitiones, sane nihil detrahunt vel addunt fidei; imo custodiunt secundum dictionem: imo hoc non solum videtur ex his quæ dixerunt, sed ex rebus custodiunt fidem; vt si ^a. sermonum suorum, & sic ipsas diuinas scripturas: ergo hæc dicta sunt pro nobis, ad nostram tendunt intentionem, & omnino nobis suffragantur. Vnde & fere ad finem isto argumento fuit subscriptum ^b a quarto Concilio, in quibus ipsum quartum ^c Concilium excusat, & defendit beati papæ Leonis epistolam, quod ipse nil fecerit contra prohibitionem, cum exposuerit fidem in epistola, & declarauerit latius, cum ad errores qui insurgunt, quotidie debeant variæ medicinæ afferri a sanctis patribus, & quod non sufficit symbolum fidei tantum ad euerfionem illorum errorum: ac ista magis pro nobis sunt, quam contra. Nam Concilium istud cum amplexum fuisset epistolam Leonis, & cum vocauerit ipsam columnam rectæ fidei, nihil ex ea epistola in symbolo addidit, prout nec sextum Concilium ab epistola Agathonis, nec septimum ab epistola beati Hadriani. Tales denique declarationes & expositiones in priuatis diffinitionibus cum apud Concilium deseruierint, & nullatenus molestum fuit ^d symbolo: cur ergo & nos non similiter illis fecimus vel facimus, sed quasi impune possemus addere vel detrudere absque aliqua diligentia, audemus? Octauum argumentum vestrum est, quod in eodem quarto Concilio deposito prius Eutyche Constantinopolitano, deinde congregato & celebrato Ephesino ^e, cui præsidebat tyrannus Dioscorus, Eutyches respondebat, dicens se tenere fidem catholicam, & in eadem velle & viuere & mori, cum primum Concilium Ephesinum prohibuerit proferri aliam fidem præter terminatam in Nicæno Concilio. Cum hæc ^f legerentur in quarto Concilio, exclamauit Eusebius episcopus Dorylæi, qui accusator fuit a principio: Eutyches mentitus est, non est diffinitio, non est Canon qui hoc dicat. Dioscorus contradixit Eusebio. Deinde lectum est, quomodo Dioscorus deposuit Eusebium & Flauianum, vt transgressores legis: & omnes episcopi fecuti sunt illius sententiam. Dum hæc legerentur, acclamauerunt patres: Anathema Dioscoro: Eutyches & Dioscorus deponantur. & isto modo omnia fuerunt irritata, quæ

^a Deest aliquid, sed sensus est clarus, scilicet, imo custodiunt fidem, vt ex facto dignoscitur, cum nil addiderint symbolo, & si sermonum suorum attendatur sensus, aperte colligitur, quod ipsas diuinas scripturas velint intactas & illibatam custodiri.

^b id est, huic nostræ responsioni & argumento suffragantur dicta quarti Concilii.

^c Concilium Chalcedonen- se act. 5. in diffinitione.

^d Nullatenus ex eis additio aut molestia facta fuit symbolo a Concilio.

^e Concilium Ephesinum secundum damnatum.

ANNO
CHRISTI
1438.

fuerunt obiecta contra Flavianum & Eusebium, & deponitur Dioscorus. Quid autem sit, quod ex his colligatis, minime concerno, nisi quod Flavianus nihil fecerit contra Nicænam fidem, & propterea indebite & iniuste condemnatus, & debite restitutus. Et vere iniuste condemnatus fuit: & hæc fauent hucusque intentioni fidei Nicænae, quid^a obstat, cum diceret Christum in duabus naturis, nec intentioni, nec dictionibus addit, qui condemnarunt in dictionibus, errarunt ab æquiuoco. Nam ille nil addebat in symbolo, sed foris ponebat: hoc autem minime prohibetur vel in scripturis, vel in symbolo, vel in omnibus huiusmodi. Dico autem, quod non opitulatur vobis, cum addideritis symbolo. Nam aut hoc scripturæ sacræ apponatur, & hoc prohibetur: verum declarationes scripturarum exponere licitum est, & ideo nemo vnquam iuste condemnatus est de hoc. Quid denique opitulatur vobis, si Eusebius esse tale prohibitum^a, & quod Concilium tacuit? Nam aut ignorabat hanc legem Eusebius, & hoc non est mirum. Multi namque ex episcopis qui impræsentiarum sunt, ignorant actus Conciliorum. Aut cum cognouerit, ad aliam sententiam interpretabatur, & non ad sententiam Dioscori: & ideo dixit, non est Canon qui dicat istud, videlicet quod Eutyches dicebat, illum qui istam fidem doceret, saperet, &c. subiacere condemnationibus^b patrum: & illum qui immutaret fidem secundum dictionem, quod Flavianus non faciebat: imo dum seruaret dictiones symboli, intelligebat & docebat aliam fidem, sed non alienam. Hoc autem non prohibetur docere extra textum alia & consona; videtur per omnia iniuste depositum Flavianum: non enim diffinitiones transgressus est, nec innouauit aliud symbolum, prout vos fecistis. Et hæc pro nobis certa sunt, & hoc, quod vos concedetis, nisi euidētissimis rebus contradicere velitis.

^a Subintellige negauerit, vt colligitur ex act. i. Concilii Calchedonensis sup. cir. ideo subdit, Non est Canon, &c.

^b Verba Euty- chis loco cita- to, sunt hæc: Illum qui præ- ter istam fidē addiderit ali- quid aut mi- nuerit, aut do- cuerit, subiacere damnatio- nibus, &c.

^c id est, & hoc est quod vos concedetis.

CARD. Vultis plus dicere?

EPHES. Volo præterea vnum testem allegare, qui fuit princeps vestræ ecclesiæ Romanæ, qui specialiter est nostrarum rationum confirmator, Vigilium sanctissimum papam senioris Romæ, cui profecto nos obedire debemus, & vos imitari: vos^d dico, qui successistis eius digni-

^d alloquitur papam.

Concil. Tom. 33.

Nn ij

dicit in epistola quam ad Eutyrium Constantinopolitanum patriarcham direxit: Carissimo fratri Eutyrio Vigilius. Repletum est lætitia os nostrum, & lingua nostra exultatione, &c. ¹⁰ Nos semper custodiimus & custodimus fidem, quæ ab initio tradita est a magno Deo & saluatore nostro Iesu Christo sanctis apostolis, & ab ipsis vniuerso mundo prædicata, & a sanctis patribus declarata, & maxime a patribus qui conuenerunt in sanctis quatuor Conciliis, quæ per omnia accipimus, hoc est 318. patres qui in Nicæa conuenerunt, qui sanctum symbolum, hoc est disciplinam fidei exposuerunt, qui & Arii furiam anathematizarunt, ^a & qui eadem saperent. Suscipimus &

^a & eos qui, &c.

^b id est, impugnantium Spiritum sanctum.

^c in epist. Vigilius citata, unde hæc definitio sunt, legitur sexcentos triginta.

^d id est, dicitis, vel dicere potestis.

^e Qui vellet dicere contrarium, non diceret præter istud, sed diceret contrarium huic.

^f Sed aliud significat idem, quod præter istud quod verificatur in mutatione dictionum & syllabarum.

150. patres qui Constantinopoli conuenerunt, qui eandem sanctam disciplinam explanarunt, & illud quod est de diuinitate sancti Spiritus expresserunt, & hæresim Macedonianorum ^b pugnantium Spiritus, & impium Apollinarem condemnarunt, & qui eam saperent. Suscipimus & sanctos ducentos patres qui in ciuitate Ephesina conuenerunt, qui per omnia secuti sunt idem sanctum symbolum & disciplinam, & condemnarunt Nestorium & scelerata eius dogmata, & qui similia saperent vel sentirent.

Vna cum istis suscipimus ^c 560. qui in Calchedone conuenerunt, qui per omnia consenserunt prædictis sanctis Conciliis, & secuti sunt patrum symbolum seu disciplinam, quod a 318. patribus expositum, & a 150. patribus explanatum fuerat: & anathematizarunt eos qui aliud præter dictum symbolum auderent docere & tradere sanctis ecclesiis. Audistis, patres reuerendi, hoc est symbolum, quod a patribus Concilii Ephesini & Calchedonenfis non dicitur expositum aut declaratum, sed susceptum & confirmatum: & hos omnes patres fuisse illud symbolum secutos dicit, & eos anathematizatos qui aliud præter dictum symbolum auderent docere & tradere sanctis Dei ecclesiis, in

quibus non particulare aliquod symbolum potest intelligi, cum particulare sanctis ecclesiis non tradatur: nec contrarium vos ^d dicitis, quoniam modo taliter ipse ^e dixisset, aliud præter dictum, si contrarium intellexisset. Nam non dicitur contrarium præter istud, sed dicitur contrarium tali ^e: sed aliud dicitur præter istud ^f, & immutata sententia dictionum: & hoc liquido apparet omnibus

ANNO
CHRISTI
1458.

qui nolunt contendere. Hoc symbolum postulamus, reuerendi patres, bonum depositum sanctorum patrum qui conuenerunt in regia vrbe Constantinopolitana, reddite hoc nobis tale, quale a nobis suscepistis. Si quis commiserit vobis aliquid in deposito, nonne debetis reddere vt habuistis? Reddite nobis symbolum patrum vt accepistis: non suscipit additamentum aliter quam conclusum est ab illis patribus: & qui audent mutare, exploduntur; &

* eos qui aliud

* quos aliud præter istud vellent facere, * tormentis constringunt. Parumne videtur vobis, quod fuit additum symbolo, & paruipenditis rationem talis rei? Ergo & dempta nil noceret, nec parum, imo proderit maxime. nam vniuerso populo Christiano magnum est, quod tactum est, & magna ratio est de illo. Ergo nec nos erramus, si magnam facimus rationem de isto propter aliquam particulam appositam, & sic per dispensationem detrahatur: & vos complectimini fratres, quorum videtis laniatus, qui vinculum caritatis laniatis. Rogamus vos patres & dominos honorabiles propter viscera Domini nostri Iesu Christi, qui dilexit nos inutiles existentes, & qui animam suam posuit pro nobis; redeamus ad illam opportunam confessionem, quæ debet esse & inter vos & patres illos, quam habebamus prius quam adderetur, & inter nos non erat schisma. Agnoscamus adinuicem, & veneremur patres, honoremus definitiones, timeamus pœnas, custodiamus traditiones, & simul omnes vno ore glorificemus honorabilissimum nomen Patris & Filii & Spiritus sancti nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

* Scilicet pœnis.

CARD. Cum vestræ gratiæ beneplacito.

EPHES. Dicatis plane propter notarios.

CARD. Faciam. Reuerendi ac dilectissimi patres, ego intellexi quæ modo protulistis, & dimissis procemialibus, veniam ad rem ipsam. Paternitas vestra dixit, quod volebat respondere octo articulis per me factis, quia illa videbantur pertinentia magis quam alia. Ego in scriptis dedi tibi viginti, postea diuersis vicibus vltra octo aut decem; quæ re vera non sunt minus pertinentia quam illa, imo magis ac magis stringunt. dimittendo ista, venio ad primum. Et dicitis primo de Charisio, quod ille nil nobis præstitit, quia ille fecit priuatum symbolum, nos agimus de

N n iij

vniuersali. Ad hoc respondeo, quod multum præstitit & præstat, licet inter nos & vos ipsos sit quæstio de symbolo vniuersali, nihilo minus de hoc verbo addito, & an licuerit fieri, insurgit ex intellectu dictionis tertii Concilii. Vos videmini intelligere illa verba, aliam fidem, id est aliis verbis, licet veram: & quod certe intelligitur de alio symbolo, etsi vero, tamen in verbis diuersis. Ego impugnabam, quod satis protulit fidem suam^a per diuersa verba, quam sit symbolum Nicænum, & non fuit reprehensus. Ergo ex hoc comprehendo, sensum prohibitum comprehendere diuersitatem fidei effectu, non verbo; & sicut dixi, textus non distinguit inter symbolum vniuersale, vel particulare, vel commune, vel priuatum: imo sæpe dixi quod particularis persona prohibetur per istum textum. Nam si intellectus diffinitionis fuisset de verbis tantum, Charisius valde fuisset reprehensus. Secundo, paternitas tua dixit, quod ego dixeram, quod hæc prohibitio prohibebat non tantum proferre, sed & sapere. Dicitis quod verbum, sapere, non est in prima parte textus, sed verbum proferre & docere: sed in secunda parte diffinitionum, cum reprehendatur dogma Nestorianorum, ponitur, credentes vel sapientes, & quod hoc verbum sapere fuit positum in Concilio Calchedonensi propter factum Eutychis, quia bene proferebat symbolum, sed male intelligebat; & ideo Concilium Calchedonense posuit illud verbum sapere. Addit ipse^b, quod verbum sapere, est secundum intentionem intus proferre, vel docere & conscribere^c secundum verba & dictiones. Ad hoc possum dupliciter respondere: vno modo, licet hoc verbum non sit in diffinitionibus tertii Concilii, sufficit quod sit in prohibitis aliorum Conciliorum.^d Nam ita ligat diffinitio octaui Concilii, septimi, sexti, quinti, & tertii; si prohibetur intelligentia, tunc sequuntur illa inconuenientia quæ olim dixi; quia quicumque saperet aliquam veritatem quæ non esset in symbolo, incurreret anathema, siue per quintum, siue per sextum, siue per septimum: sed hoc est absurdum nedum dicere, sed cogitare, quod omnis homo incurreret anathema. Secundo respondeo ad istud, quod licet hoc verbum non fuerit expresse positum in verbis primæ partis, oportet ita intelligere, & ita sancti docto-

^a Charisius scilicet.

^b Marcus scilicet Ephes.

^c Id est, verba prohibitionis, sapere vel docere, respiciunt verum sensum intrinsecum: conscribere autem vel proferre, ipsa verba & syllabas symboli.
^d Vt in Calched. act. 7. in diffinitione.

ANNO
CHRISTI
1458.

res intelligunt. Et primo Cyrillus, & postea Vigilus, quem tantæ auctoritatis facitis, prout est. Cyrillus in ^a expositionibus symboli declarat sensum prohibitum tertii Concilii, & dicit, quod illud Concilium tulit sententiam contra Nestorium, & damnauit nouitates vocum eorum qui cum Nestorio erant, & qui fuerunt, & qui saperent talia. Certum est, hanc diffinitionem habere duas partes. Vltima loquitur de sapientibus dogmata Nestorianorum; vbi hæc prohibitio potest prohibere nouitatem vocum, nisi in prima parte: certe hoc intelligit aliam fidem, id est de sapientibus aliam fidem, id est contrariam: alioquin Cyrillus non dixisset nouitatem. Secundo probo per dictum Vigilii, per particulam quam volebatis præterire; dicit: Recipimus ducentos sanctos patres (& infra) & iudicauerunt Nestorium impium, & damnauerunt iniqua dogmata: & continetur in secunda parte diffinitionum, & sequitur: Et qui similia saperent. Ergo expresse Vigilus intelligit primam partem non solum loqui de prolatione, sed de iis qui sapiunt. Et vnde isti doctores declarant, quod est intelligenda prohibitio non solum de loquentibus, sed & de ^u sapientibus. Tertio probo per rationem, quod ita debet intelligi. Ridiculum esset dicere vel cogitare, illos patres voluisse ligare proferentes ore, & non qui cogitarent corde. Lex non imponitur verbis, sed rebus: & intentio Synodorum est, vt doceant homines veritatem, quid debeant de Deo sentire, quia dicit Apostolus: *Corde creditur Rom. 10. ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Vnde intentio ipsorum est qui sunt ministri iustitiæ, docere homines qualiter debent corde sentire. Vnde ipsi non perfecti essent ministri iustitiæ, ^b nisi corde docerent. Et quia voces sunt significatiuæ eorum quæ quis in animo habet, & nemo præsumitur aliud ore proferre, quam mente habeat: ideo visum est sufficere patribus, prohibere verbum, proferre, comprehendens sapere. Numquid homo esset saluus, si recte proferret, & corde male sentiret? Reuerendi patres hoc responsum est ad id quod allegauit de dictionibus, & ad aliud quod ipse dicit, quod sapere intelligitur de corde; & proferre, de ore. Deinde reuertimini ad id quod prima parte dixistis, dicens quod priuata persona potest facere priuatum symbolum, vniuersale autem

^a In act. Conc.
Ephesini part.
3. cap. 34. & 35.^b nisi doce-
rent, corde
credenda.

non potest fieri: istud non videtur habere rationem, nec faciem rationis, quod priuata personæ concedatur plus quam vniuersæ ecclesiæ: imo deberet magis prohiberi singulari quam vniuersali, quia priuata persona potest errare, vniuersalis non potest errare: & hoc repugnat rationi naturali & ciuili, & politicis, quod plus possit vna persona quam communitas. Itaque per illam prohibitionem prohibetur particularis, & non vniuersalis: & verba hoc comprehendunt loquentia in singulari^a. Nam hoc videtur alienum a ratione, quod legislator qui intendit omnes ligare, & non se, sibi & non aliis legem imponat. Ea quæ pertinent ad rationes ciuiles non sunt spernenda. Leges communes, & quæ factæ fuerunt Constantinopoli per Iustinianum, dicunt, quod par in parem non habet imperium: nec habens potestatem condendi legem, potest ligare successorem, quo minus veniente necessitate possit mutare: hoc esset contra rationem & finem legis. Nam hoc fit ad bonum publicum, modo si vtilitas publica exigat, vt quid fiat contra illam legem: nisi possit fieri, esset contra finem illius legis. Et vt non videar vti legibus sæcularibus solum, adduco exempla sanctarum Synodorum. In primo Concilio Nicæno fuit conclusum, quod post ecclesiam Romanam esset Alexandrina^b: & sicut dicit papa Liberius^c, quod fuit prohibitum, ne quid fieret contra illud sub pœna depositionis, si esset episcopus; & anathematis, si laicus; ita Iulius papa dicit: Posuerunt^d leges, quas sacros Canones appellamus, necessarias ad statum ecclesiæ & ad dignitatem episcoporum: non obstante illa prohibitione Nicæni Concilii, fecit^e Calchedonense, quod Constantinopolitana esset^e prima: & sic apparet quod non tam vnum Concilium potest addere, sed & tollere, dummodo non sit contra fidem: & quantumcumque prohibeat, non ligat manus sequentium Synodorum in illis quæ possunt dispositionem hominum variare, non de fide, quæ est inuariabilis. Vnde ecclesia catholica bene prohibet fieri quid contra fidem: sed quod aliquid, quod sit secundum fidem, non possit ecclesia facere, hoc est impossibile. Ea quæ continentur in symbolo, sunt inuariabilia: sed quod his verbis, vel aliis vtamur, dummodo sint vera, hoc nunquam fuit inhibitum, nec potest inhiberi. Et sicut

ANNO
CHRISTI
1438.

^a Nulli, nemini, vt in definitione sæpe citata.

^b Concil. Nicæni. Can. 6.
^c Epist. 11. Vnde latius supra collat. 11.

^d Id est, quamuis in Nicæno illa sit posita lex præcedentis, tamen postea præuoluit Constantinopolitana.

^e scilicet ante Alexandrinam.

Syno-

ANNO
CHRISTI
1438.

Synodus Constantinopolitana potuit facere declarationem, ita in aeternum poterunt per alias fieri. Imo dico plus, quod si aliqua Synodus diceret, quod in symbolo non addatur etiam verbum verum, intelligeretur de priuatis additionibus, non de ecclesia vniuersali. Et si quis diceret, quod Cyrillus prohibuit sibi ipsi, loquens in persona Concilii; Cyrillus intelligebat de seipso & de priuatis, & non de vniuersali ecclesia. Et hoc dico per quamdam repositionem, cum supra declarauimus, quod epistola Cyrilli habet significatum de sensu, non de verbis. Ad id quod dixistis, quod additio fuit causa multorum malorum, dicatis, quod additio non fuit causa schismatis, quia ante istud schisma ecclesia Romana cantabat symbolum cum hoc verbo, Filioque. Hoc habemus per epistolas Hormisdæ papæ*, quas scribit imperatori Constantinopolitano, videlicet Iustino, patri Iustiniani^b imperatoris, qui fuit tempore quinti Concilii. Concilia Toletana^c sunt magnæ auctoritatis, celebrata cum præsidente Leonis: & in multis de illis Conciliis ponitur illud verbum, Filioque. Si vultis quod legantur, audite.

EPHES. Nos nunquam audiuius talia Concilia.

CARD. Audietis nunc.

EPHES. Quia ista non sunt authentica, ideo non curamus ista videre.

CARD. Ideo dico, quod erat illud verbum apud ecclesiam Romanam, Filioque, & non fuit schisma. Item Tarasius addens, per Filium,^d in Concilio septimo, non generauit schisma. Deinde doctrina Augustini & Ambrosii erat nota ante tempus tertii Concilii. Item doctrina multorum doctorum Græcorum erat nota orientalibus, & tamen nullus fuit scandalizatus contra eos. Vnde non dicitur, quod hoc verbum, Filioque, fuerit causa schismatis, nec propter hoc secuta est diuisio.

EPHES. Propter quæ ergo?

CARD. Litis præteritæ non est causa referenda. Volo uti verbis quæ sunt apta ad pacem, non ad litem. Deum ad argumentum omissionis Concilii Constantinopolitani, quod de eo non fuerit facta mentio^e, cum dicitis, quod non fuit ante prohibitum; sicut dixi in scriptis, ponamus^f quod prohibitio prohibeat aliud symbolum

Concil. Tom. 33.

OO

^a Epist. 79. tom. 1. part. 1. Conciliorum edit. Colon. in qua habetur, Filioque. ^b Iustinianus erat Iustini ex sorore nepos, vicit Marcellinus. ^c Vide Baron. tom. 6. anno 447. num. 19. & tom. 10. anno 883. nu. 33.

^d In 7. Conc. act. 7. in dist. nit. ibi enim id legi, ex antiquo codice probauerat Iulianus cardin. supra collat. 4. tempore Hadr. papæ I. & Tarasii patriarchæ Constantinopolitani. ^e In Concilio scilicet Ephes. non fuit facta mentio de symb. Constantinopol. quia tunc non erat prohibitio.

^f Præsupposito etiam quod ante Ephesinū non esset prohibita additio, probat, quod verba prohibitionis referuntur ad sensum contrarium & falsum solummodo.

ANNO
CHRISTI
1418.

fieri; discutiamus de significato istorum verborum ad symbolum. Ego non dico de prohibitione ante vel post, sed de significato. Tu dixisti quod id quod non differt in sensu, sed in verbis, debet reputari vnum & idem cum Nicæno: ita nostrum cum sit idem, non est aliud.

EPHES. Ego dixi sine diuersitate, nec dixi idem, sed aliud: vos accipitis hanc significationem a me, quam non dixi, de illo Constantinopolitano^a solum.

^a scilicet, ego dixi symbola debere esse sine diuersitate etiam in verbis ipsis, quibus si differat, non dixi esse eadem, sed alia: solum de Constanti-
nop. symb. dixi esse idem cum Nicæno, quamuis differens in verbis, quia quando fuit conditum, non erat adhuc facta prohibitio.

CARD. Illa ratione, qua fuisti motus ad dicendum de illo Constantinopolitano, ego moueor de nostro, vt dicatur idem: deinde probo per alias auctoritates. Ego dico, quod in septima Synodo fuit lecta fides Tarasii & Theodori, quæ in verbis multis differebant: & tamen fuit dictum, quod erat vna & eadem identitas. Item in quarto Concilio dicunt, quod decreta in Ephesino & Nicæno ita concordarunt, quod nil diuersum sapuerunt siue diffinierunt. Ergo diuersitas & identitas non attenditur ad verba, sed ad intellectum. Ego dico, quod & ante tertium Concilium fuit facta hæc prohibitio. Probauit per Cælestinum, deinde per Cyrillum, tertio per primam Synodum: & paternitas tua nihil respondit. Deinde audiatis epistolam Liberii papæ.

AND. Fuit lecta in Græco, deinde in Latinum his verbis^b.

^b Epist. 11. habetur tom. 1. Concil. sub Liberio.

Dilecto fratri Athanasio, & vniuersis in vnum congregatis fidem rectam sentientibus, Ægyptiorum episcopis, Liberius papa salutem. Et ab initio percepimus a beato Petro apostolorum principe fiduciam, vt habeamus auctoritatem pro vniuersali ecclesia ad rectam defendendam fidem, quatenus nulli liceat statum ecclesiæ submouere ad læsuram recte credentium, sine periculo honoris. Epistolam vestram nobis directam ante nos recitari fecimus, tribulationes quas pro recta fide patimini, intelleximus: super quibus & nos vna vobiscum condolentes, & laborare pro vobis, vt pater pro filio, parati sumus. Fidem Nicæni Concilii in eadem epistola recte reperimus, gratias referimus, pro qua non solum persecutiones sustinere parati sumus, sed etiam, si necesse fuerit, mori pro nomine Christi, in quantum nostra fragilitas patitur, non respuimus. Ideo prædictum Concilium Nicæ-

ANNO CHRISTI 1458.

num diffiniuit, illam fidem non licere proferre, sapere vel docere aliter, nec quidquam in fide sentire vel proferre, quod iis patrum regulis posset obuiare: qui vero sapere, docere vel proferre, vel aliud symbolum tradere ad fidem veritatis conuerti desiderantibus, vel a Iudæis, vel paganis Christianos volentibus fieri; si episcopi vel clerici, alieni ab episcopatu, clericus a clero; monachos vel laicos anathematizari voluerunt.

CARD. Etiam ego probaui per aliam auctoritatem, quod similis prohibitio facta fuit ante per Canones Nicæni. Vnde non tantum Liberii & Vigiliij testimonium, habemus etiam Damasi papæ, & episcoporum qui fuerunt in Ariminenſi ^a Concilio, vbi catholici & Ariani fuerunt, & Ariani plures nimis ^b, & protulerunt perfidiam illorum, quam in Sirmio protulerant. Catholici resistebant eis, & illi Ariani volebant persuadere, quod propter duo verba non debebat turbari status ecclesiæ: tollatur hoc verbum, ^c non erat, & erit pax. Sed catholici intelligentes fallacias repulerunt eos, & insinuarunt imperatori eorum voluntatem, dicentes esse filios Nicæni Concilij, pariter & heredes. Reperitur recta ipsorum fides ad Constantium scripta, cuius verba sunt hæc.

Epistola catholicorum episcoporum, qui Arianis resistunt in Arimino.

CARD. Et est aduertendum, quod pauciores tenentes rectam fidem dicebant Concilium repræsentare ^d, & sub nomine Concilij scribebant literam. Hæc fides sola in Nicæa expugnat hæresim Arianam, & non solum illam, sed alias: cui veræ fidei addere quidquam, erroneum & fallax est; & auferre, periculosum. ^e Et si quis horum alterum facit, erit facultas agendi quod volunt. Nos habemus Theodoretum, quem audiatis in Græco. Deinde sequitur epistola Damasi ^f, qui inuehitur contra illos qui protulerant in Arimino testimonium, his verbis. Patres trecenti qui in Nicæa conuenerunt, hunc murum firmissimum contra hæreticos statuerunt, & hoc remedio sunt omnia repulsa obstacula, vt Pater & Filius eiusdem bonitatis, magnitudinis & virtutis credi debeant, ^g vnus essentia, substantia, & Spiritus sanctus: aliter sapientes alienos a communione nostra iudicarunt. Ergo

Concil. Tom. 33.

O o ij

^a In primo Ariminenſi Conc. approbato. Vide tom. 1. C. 6c.
^b Iulianus card. sequitur textum epist. Athanasij Africanos, vbi dicitur Arianos fuisse ducentos. Vide Baron. tom. 3. anno 359. nu. 1.
^c Non erat scilicet aliquando Christus neque vt Deus. Sunt verba hæreticorum damnata in simbolo Nicæno: que verba damnationis volebant Ariani auferri a simbolo Nicæno.

^d Nimirum pro ipſis ſtabant legati apost. qui præerant Concilio, vt apud Baron. tom. 3. anno 359. nu. 3.

^e Quorum si alterum fiat, erit hostibus quidquid libet agendi libera facultas, sic in epist. tom. 1. Concil. edit. Colon. post Concil. Ariminenſi.
^f Epist. 4. tom. 1. Concil. sub Damaso.

^g Vnius essentia, siue substantia, simul & Spiritus sanctus. Sic in ea epist. citata.

* Non existi-
marunt sibi
prohibitum
esse.

† In epistola
ad Pulcheriam
Augustinam
epist. 96.

‡ Epist. 81.
titul. 7.

hanc prohibitionem sciatis factam ante tertiam Synodum (vt multis modis est probatum) in Concilio videlicet Nicæno; qua non obstante patres in Constantinopoli^a non prohibuerunt facere vnum symbolum: ergo apparet prohibitionem referri ad contrariam fidem, non ad declarationem veritatis. Ad hoc quod ipsi dixistis, quod symbolum Constantinopolitanum habet se ad Nicænum vt nouum testamentum ad vetus, & Constantinopolitanum explicat quod erat in Nicæno implicite, vt nouum vetus: dico quod nostrum explicat quod erat in Nicæno. Illam vero similitudinem, per quam intelligitis duo tantum esse symbola, non accipimus: & quia pridie dixistis, quod erant duo symbola, & quod non erat symbolum apostolicum; probo contrarium, & hæc sunt verba Leonis, vbi dicit^b: Siquidem catholici symboli breuis & perfecta confessio, quæ duodecim apostolorum totidem est signata sententiis, tam instructa est instructione cælesti, vt omnes hæreticorum opiniones solo ipsius gladio possent detruncari: cuius symboli plenitudinem si Eutyches puro ac simplici corde voluisset concipere, in nullo a decretis sanctissimi Nicæni Concilii deuiaret. Secundo est testimonium Ambrosii, & scribit papæ Siricio^c, & dicit sic: Sed si doctrinis non creditur sacerdotum, credatur oraculis Christi, credatur monitis angelorum dicentium, quod non est impossibile apud Deum omne verbum. Credatur symbolo apostolorum, quod intactum ecclesia Romana seruat. Accedat magnus Augustinus exponens symbolum apostolorum, & ponit de verbo ad verbum illud, & dicit, quod factum est ita breuiter, quod omnes possent memoria retinere; & quod euangelia & prophetiæ & apostolici actus implicite continentur; & dicit: Hæc est fides paucis verbis tenenda: in ipso symbolo nouellis Christianis datur, & exponit quatuor: primo ad fideles, secundo ad hæreticos, tertio ad Iudæos, quarto ad paganos: & aperit multa mysteria Dei pulcra. Vnde inuitat hæreticos, Iudæos & gentiles ad susceptionem huius symboli, & dicit, quod tradatur nouellis fidelibus, & quod sine ipso non est recta fides. Et aduertendum, quod symbolum apostolorum est perfectius, id est magis completum quam Nicænum. In symbolo Nicæno non dicitur, quod Christus

ANNO
CHRISTI
1438.

est conceptus de Spiritu sancto ex Maria virgine, quod est ita magnum & admirandum mysterium. Item nihil dicitur de descensu ad inferos, de sanctorum communionem, carnis resurrectione, & multa alia, quæ sunt in hoc symbolo. Desinat vestra paternitas dicere, quod non sunt nisi duo symbola, ^aprohibita tot auctoritatibus generalibus. Et si quæris quando fuit traditum symbolum apostolorum, dico quod beatus Clemens post obitum Petri scripsit Iacobo ^bepistolam, & in illa epistola multas traditiones Petri apostoli commemorat, inter quas dicit hæc verba: Christo resurgente & ascendente in cælum, misso Spiritu sancto, collata apostolis scientia linguarum, adhuc in vno positi, symbolum quod nunc tenet fidelis ecclesia, quisque quod sentiret & teneret, dicendo ediderunt; quatenus discedentes abinuicem, hanc regulam apud gentes ^cprædicarent. Et secundum hanc traditionem beati Petri in die Pentecostes factum fuit hoc symbolum. Nec est verisimile, quod ecclesia steterit trecentis annis a tempore ascensionis vsque ad Concilium Nicænum sine symbolo. Deinde respondeatis ad id quod dixi de sexta Synodo ^d. Vos dicitis, quod debet intelligi, vt nil fiat in euerfionem, id est ipsius symboli: & dicitis, quod loquitur de iis quæ fuerunt diffinita in sexto Concilio; quasi velitis intelligere, quod non prohibet diffinita in aliis Conciliis. Ego expediam me de istis, quia textus ponit verbum, euerfio, post verbum, adiectionem doctrinis. Numquid per hoc non apparet, quod illa adiectio est prohibita, quæ fit ad euerfionem? certe sic. Ad secundam partem cum dicit ibi, eorum quæ diffinita sunt, refert se ad omnia, & ad primum, & secundum, & tertium, & quintum, & sextum Concilia, quæ omnia fuerunt exposita ^e. Et quod hæc verba, aliam fidem, ita intelligantur, beatus Gelasius papa declarat, & fuit solennissimus doctor, fuit ante Gregorium, & dicit: Si quis secundum sceleratos hæreticos quocumque modo, vel verbo, vel tempore, vel loco, terminos transfutans quos posuerunt firmiter patres ecclesiæ & sanctæ vniuersales Synodi, tentauerit temere contrauenire, & fidei alterius expositiones, aut leges, & diffinitiones, vel libellos, aut epistolas, aut testimonia falsa ecclesiasticis regulis incognita, & si quid aliud, quod impiissimis hæreti-

O o iij

^a id est, desinas dicere, cum prohibeatis tot auctoritatibus.

^b De qua epist. vide Baron. tom. 2. anno 102. num. 6. Turrianum aduers. Magdeburg. lib. 2. Possuin. in Appar. sacro, verb. Clemens Romanus.

^c prædicarent. Hucusque verba Clementis.

^d Actione 18.

^e Supra.

» Act. 7. & in
6. Synodo act.
18. in diffinit.
non quod ibi
sunt hæc verba
sacra scriptu-
re, sed quia ibi
prohibetur in-
terpretatio &
additio ad e-
uerfionem
dogmatum.
» Ephesinus
scilicet.

« Diffinitione
7. Synodi act.
7. cuius hæc
sunt verba: in-
tentionem ve-
ritatis sectantes
nihil addimus,
nihil adimimus,
sed omnia que ca-
tholicæ sunt
ecclesiæ, im-
mutata ser-
uamus, & se-
quentes sancta
seu vniuersalia
Concilia, &c.

cis solitum est agere, pro diabolica instigatione, callide, aut contra sanctas orthodoxorum sententias; si perseuerauerit hoc impie agens, in sæcula sæculorum sit condemnatus, & dicat omnis populus, Fiat fiat. Illa verba, id est, Noli^a transgredi terminos patrum, in septimo Concilio de euerfione intelliguntur, scilicet interpretationes cōtra sententias patrum. Deinde cum responderetis ad dictum meum ex epistola Cyrilli, dicit^b, quod hoc præcessit diffinitiones. Ego dico, quod hæc responsio nihil valet, quia intelligentia verborum sumitur ex causa dicendi. Vnde cum beatus Cyrillus dicat, sequi intentionem sanctorum patrum, non debet intelligi nisi de ipsa intelligentia, non de verbis: alioquin videretur sibi contrarius, aliter in epistolis, & aliter in diffinitionibus sapiens. Item tota Synodus dixit, quod ipse sapit idem cum fide Nicæna. Vnde ipsa Synodus quæ fecit prohibitionem, intelligit esse idem, quod sensu consonat. Postea respondistis ad dictum meum de^c septima, vbi dixi, intentiones veritatis sectantes: & dicitis, quod ille intellectus facit pro vobis, quia infra dicit: Nihil addentes vel minuents. Dico, quod non potestis negare, quod debemus sectari veritatem, non verba. Et illud quod putatis esse pro vobis, quia dicit, nil addentes, videas quod est contra te, quia ibi exponit fidem Nicænam & aliorum Conciliorum, & loquitur de omnibus.

EPHES. Inferiora quomodo intelliguntur?

CARD. Inferiora intelliguntur per superiora. Certum est, quod in aliis Conciliis non fuit diffinitum de imaginibus, & ibi fit; & tamen dicit Synodus, quod nihil addit.

EPHES. Erat traditio ecclesiæ.

CARD. Ista diffinitio non erat facta in aliquo Concilio, præterquam septimo. Addit ergo, & tamen dicit quod nil addit. Vnde oportet intelligere, quod nil addit contra veritatem, sed quod erat in sacra scriptura magis explicat. Demum respondistis ad dictum de beato Leone, & dicitis, quod Leo non fecit aliud symbolum. Ego respondeo, quod per verba prohibitiua, secundum sensum vestrum, ita est prohibitum facere diffinitiones, vt symbolum; & nihilo minus Leo cum Synodo Calchedonenfi fecit aliam diffinitionem. Per hoc datur intelligi, quod prohibitio

ANNO
CHRISTI
1438.

comprehendit contrarium symbolum & contrariam definitionem, quia cum prohibitio vtrumque comprehendat, nonne vtrumque erit prohibitum, vel vtrumque permissum? Ad hoc quod dicitis, quod ecclesia Romana non fecit cum diligentia hanc additionem, dico contrarium, quia mature fecit sequens veritatem & sacras scripturas, doctores Græcos & Latinos. Et quia pridie dixistis, quod in hoc dogmate quod apposuit, fecit tertium testamentum: dico, quod qui tollit hæc verba, tollit nouum testamentum, imo & vetus: quia cum vetus sit figura noui, si impugnatur nouum, impugnatur & vetus, quia vnum continetur in alio. Demum respondistis de Flauiano & episcopo Dorylai, & dixistis, quod illud nihil prædest nobis, quia Flauianus non fecit symbolum, & illi intelligebant, quod non licebat facere diffinitiones: & ideo male intelligebant, & ideo fuit reuocata eorum sententia. Ego dico, quod fuit causa reuocationis, quia condemnata fuerat^b veritas: deinde quia ipsi non bene intelligebant illam diffinitionem, quia intelligebant nec in symbolo, nec extra licere addere. Concilium hunc sensum improbat, intelligens quod licet, dummodo non addatur contra veritatem. Et hoc declarat Diogenes^c episcopus qui ibidem erat, qui respondit his verbis: Dolose proponunt fidem Nicænam: illa enim additamenta recepit propter errores Macedonii. Vnde ille intelligebat, quod symbolum recipit additamentum, si est consonum veritati; & symbolum priuatum & commune, dummodo fiat ad veritatem, non quod est contra veritatem, quia illud^d nec ab ecclesia, nec ab alio potest fieri. Subdidistis deinde, quod sicut euangelio, ita & symbolo non debet addi: & in hoc vos multum fundastis. Attendas bene, rogo, quia spero tollere omnem dubitationem. Verum est, quod in textu euangelii nullus fuit ausus addere aliud verbum, nec in scripturis aliorum sanctorum. Nam si quis diceret: Christus dixit tale verbum: si non dixit, diceret mendacium. Et ita est de epistolis Cyrilli & cuiuslibet doctoris, intelligendo de nuda voce verborum. Sed si Christus appareret & diceret: Tale etiam verbum dixi, & apponatur in euangelio: numquid posset apponi? certe nullus dubitaret, quod sic. Et si Ioannes in Apocalypsi reuiuiscendo apud nos voluisset addere, num-

^a scilicet contrarii Flauiano.

^b a contrariis Flauiano.

^c In Concilio Calchedonensi act. 1. sub tit. Libellus confessionis Eutychie. §. Et cum legeretur. in editione Colonien.

^d scilicet diffinitio.

^a Supple. intelligitur factum.

quid non potuisset? Sic de beato Augustino, qui multa addidit ad librum de ciuitate Dei, cum reuidit. Modo symbolum factum in Nicæa, & per apostolos factum, per ecclesiam, & auctoritate ecclesiæ^a. Nam illa ecclesia quæ fuit tunc, est nunc, & vsque ad finem mundi: & sic semper ipsa potest addere, quia ista additio non fit ab extraneis, sed ab ipsamet. Et quod dixi de ecclesia, idem est dicendum de habente potestatem vniuersalis ecclesiæ, vt summus pontifex. Et quod summus pontifex habeat potestatem vniuersalis ecclesiæ, clare probatur, & per euangelia, & per Concilia, & ex sanctis doctoribus Græcis & Latinis: & audistis in epistola^b beati Liberii, qui dicit a Domino habere hanc auctoritatem pro vniuersali ecclesia discernendi veritatem. Et quia est alius articulus, nolo illum intrare, sed cum erimus in illo, clare ostendemus hoc.

^b Quæ est 11. supra citata.

IMPER. De hac materia multoties dixistis, & non permisistis, quod nostri quid dicerent. Nam nos vno respectu volebamus præterire: sed alio respectu, quia tangit nos, producemus iura nostra, si vos permiseritis nobis. nam in his non habemus inopiam.

^c In Concilio scilicet Calchedonensi, hic sequitur card. replicare quæ supra dixerat, propterea videnda & superius notata.

CARD. Si tua serenitas intellexisset totum, non dixisset hoc. Dixi, quod nunc nolo intrare materiam hanc, sed erit tempus ad hoc: & dixi solum vnum verbum, æquiparando ecclesiam summo pontifici. Et cum vos, domine Ephesine, allegauistis Vigilium, quod ibi sunt duo quæ faciunt contra nos, quod in Constantinopolitano fuit declaratum, & postea fuit susceptum^c: dico quod hoc modicum prodest, quia habemus alibi, quod in hac Synodo fuit declaratum hoc, videlicet in actione tertiæ Synodi, vbi dicitur, quod Cyrillus magnam lucem præbuit symbolo, quod Nestorius male intelligebat, fuit necesse vt Cyrillus & Synodus melius declararent: nec fuit susceptum solum symbolum, sed declaratum, cum non fit admissus Nestorius secundum mera verba symboli Nicæni loquens, nisi illa duodecim capitula approbaret. Et in quinto Concilio dicitur, quod Vigilium anathematizat eos qui aliud quam symbolum sapiunt. Hæc verba, aliud symbolum, si intelligerentur aliud, id est verbum, esset malus sensus, quia semper quod quis diceret verbum, incurreret pœnas. Ergo quicumque diceret aliud verbum, esset ana-

ana-

ANNO
CHRISTI
1438.

anathema. Si vero intelligatur aliud, id est symbolum, dico quod intelligitur aliud, id est malum vel corruptum, vel extra sensum pietatis: & hoc modo bene stat. Ad id quod ultimo petiistis depositum, dico, quod symbolum nostrum est vnum & idem, & quod patres sanctæ Nicænæ Synodi curarunt de veritate, & non de syllabis verbalibus; quia dicitur in tertia Synodo, quod Nicæna Synodus venit ad declarandam fidem; ecclesia nostra dogma illud declarans, fidem declarauit Nicænæ Synodi, & euangelicam, & apostolicam: si pax optatur, membra suo conueniant capiti, & Iulii papæ^a verbis inhærentes, qui his verbis vtitur: Indignum est quemquam vel pontificum, vel alium, illam regulam refutare, quam vidit sedem beati Petri docere & tenere. Multum conuenit, vt totum ecclesiæ corpus in eadem obseruatione concordet cum sede apostolica, vbi Christus totius ecclesiæ posuit principatum. Nonne clare conspicitis, quod totum vestræ contentionis fundamentum residet, quia asseritis, prohibitionem in tertia Synodo factam, cum primo etiam falsi estis ante fuisse declaratum symbolum; & ego luce clarius ostendi ante fuisse prohibitionem factam, & sic necessario prohibitionem se extendere ad falsam fidem: nisi vellemus asserere, Constantinopolitani Concilii patres affectos anathemate: quod nullus nostrum admitteret. Nonne videtis, vos tantum duo asseruisse symbola, & nos tertium apostolorum clarissime demonstrasse, & clare ostendi Constantinopolitano symbolo verbum, De calis, deficere, cum quo verbo vos & nos cantamus symbolum? Liquet luce clarius prohibitionem non se ad verba & syllabas extendere, sed ad diuersitatem sensus & contrarietatem fidei, sine eo, quod etsi verbalis esset prohibita additio, cum hæc positiuæ prohibitionis constitutio foret, sole clarius ostendi, eamdemmet ecclesiam, & eiusdem ecclesiæ potestatem habentem summum pontificem, hac prohibitionem astringi non posse; de quibus etsi aliqua corrigemus,^b nonne ecclesiæ potestatem auctoritatemve commiseremus? Volui hoc processu vobis satisfacere, & luce clarius ostendere, patrum intentionem se non extendere nisi ad verba & syllabas fidem mutantia, non ad declarantia veritatem. Et quia spero, Spiritus sancti gratia cito

Concil. Tom. 33.

Pp

^a Epistola I. in fine tom. 1. Conciliorum edit. Colonien.^b id est, vnde si de verbis symboli aliqua corrigemus, & adimemus, nempe Filioque, nonne commisceremus & confunderemus ecclesiæ potestatem, quasi non potuerit facere quod fecit?

vinculos vos omnes eodem vinculo caritatis, aliis verbis exasperare vos nolo; sed tantum rogo vt habeamus respectum ad veritatem, & remoueamus de animis nostris quae possent tollere cognitionem veritatis, & eam totis sensibus amplectamur.

AND. Hora iam 23. pulsauerat, ingressa 24. cunctis frigore, inedia, attentione agitatis, finis extitit collocutionis diei illius.

Num. II.

Et his impositus est quaestioni propositae verbalis additionis finis: & vt ad processionis dubium conuerterentur patres, ordinatum extitit. Sed quia fuerat pestis suspicio, ne increbrescentibus caloribus aestatis proximae inficeretur sacer coetus, conclusione facta de Concilio Florentiam transferendo, ad Florentinum Concilium processionis materia est dilata: sicque in cathedrali Ferrariensi ecclesia ordine, modove, quo in oecumenici Concilii declaratione conuenerant, summo pontifice, Latinis Graecorumve patribus cum eorum imperatore praesentibus, infirmitate patriarcha absente, legitimo tamen destinato mandato, decretum est, Concilium de Ferrariensi ciuitate ad ciuitatem Florentinam, Graecis annuentibus, esse translatum. Decreti autem translationis verba per dominum Antonium Portugallensem episcopum in generali sessione lecta, fuerunt haec.

TRANSLATIO CONCILII FERRARIA FLORENTIAM.

*Eugenius episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam
rei memoriam.*

DECET oecumenici Concilii locum, ad quem viri electi ex toto Christiano orbe conueniunt, in quo inter alia hominibus necessaria hoc potissimum sit, aeris salubritas, ne ob infecti aeris contagionem pestiferam, quam cuncti naturaliter timent, fugiunt & metuunt, hi qui in Concilio praesentes sunt, abire inde, re infecta, compellantur, absentes vero illuc accedere recusent. Expedit profecto eos qui ad res arduas in Synodis pertractandas confluunt, omni alia cura, omnique timore vacuos esse, vt rebus publicis quietius liberiusve intendant. Opta-

ANNO
CHRISTI
1438.

uissimus idem ipsum vniuersale Concilium, quod in hac inchoauimus ciuitate, apud eandem continuare, & in ea perfectam occidentalium & orientalium ecclesiarum vniionem consummare feliciter, & ibi finem optatum imponere, vbi initium dedimus. Et quamquam cum pestis autumnoproximo hanc urbem affligeret, a plerisque instantia fieret, vt Synodus ipsa ad locum transferretur non infectum: quia tamen, sicut assolet, adueniente hieme, illa prorsus sperabatur cessare, vsque ad hunc diem dilatum extitit. Cum vero illa in dies perseueret, timeaturque verisimiliter proximo vere atque æstate vehementius inualescere, omnes iudicant consuluntque non modo vtile, sed necessarium fore, vt ad alium hoc morbo liberum confestim migrandum sit locum.

Quocirca ex hac & nonnullis aliis rationabilibus causis, consentientibus carissimo filio nostro Ioanne Palæologo Romæorum imperatore, & venerabili fratre nostro Iosepho patriarcha Constantinopolitano, sacro approbante Concilio, ipsam œcumenicam seu vniuersalem Synodum ab hac ciuitate Ferrariensi ad ciuitatem Florentinam, omnibus manifeste liberam, securam, pacificam & quietam, aerisque salubritate lætanti, & ad quam inter Tyrrenum Hadriaticumque mare optime sitam, ab orientibus & occidentalibus commode accedi potest, harum serie, in nomine sanctæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus sancti, exnunc transferimus, & translata esse decernimus, cum his plenis securitatibus & saluisconductibus, quos initio huius sacri Concilii præbuimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ translationis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum apostolorum eius Petri & Pauli se nouerit incursum.

Datum Ferrariæ in sessione publica in ecclesia maiori solenniter celebrata, anno incarnationis dominicæ 1438. quarto Idus Ianuarii, pontificatus nostri anno 8.

AND. Hac igitur in translatione nostram diei huius historiam, noua id suadente materia, terminabimus, ad diem alium redituri, quo Florentiæ catholicis disputationibus declarata commemorabimus. Vale.

Concil. Tom. 33.

Pp ij

LVD. Et tu vale : in crastinum , oro , hoc in loco iuxta promissa conuenias.

AND. Fiet : iterum vale.

LVD. Felix i carissime frater.

Antequam reliqua ex Andrea prosequamur , opportune hic iuxta temporis ordinem epistolas Eugenii , quibus principes hortabatur ad Concilium , inserendas duximus.

Eugenius , &c. Carissimo in Christo filio Henrico regi Daciae illustri salutem.

Num. III.

CVM varia nobis multiplicisque semper haecenus incubuerint sollicitudines ad commissum desuper officium pastoralis curae gregis dominici debite exequendum, magna & omni ex parte laudabilis sollicitudo est visa circa rem vnionis orientalis ecclesiae cum ecclesia occidentali, quae pro Dei miseratione nostris temporibus est oblata: ad quam tractandam, ut dudum iam feliciter cepimus, vnionem, ac ipso Domino & Deo nostro propitio obtinendam, totis animi & corporis viribus properamus. Et licet multos haecenus in ea re perpeffi fuerimus labores, pluribus tamen antea mensibus immixta laboribus ipsis multa ob superuenientem in ciuitate Ferrariensi pestem subiuiimus etiam mortis pericula, quam ingentem ac continuo inualescentem, multis ac pene omnibus in eo loco pro œcumenico Concilio existentibus, locum alium propter hoc desiderantibus, ea ratione inclinare superfedimus, ut si forte per hiemis aduentum, ut verisimile erat, ea cessaret pestis, inchoatam huiusmodi vnionem orientalis ecclesiae in loco, vbi cœpta fuerat, ad optatum finem perduceremus.

Cum vero ea pestis per ipsam hiemem, ut antea, perseveraret, nullique amodo dubium videretur, quin per ver & æstatem continuo inualesceret; ne tantum & diebus nostris incomparabile bonum ex huiusmodi morbo pestis intercipi, aut aliquo modo turbari posset, & liberum esset omnibus pro Dei gloria in hoc œcumenico Concilio in vinea Domini sabaoth collaborandi nobiscum, vtriusque occidentalis & orientalis ecclesiae accedente consensu, inde sacrum œcumenicum Concilium (prout ex copia translationis, quam hic mittimus interclusam, vide-

ANNO
CHRISTI
1438.

re poteris) transtulimus ad ciuitatem Florentinam, locum quidem ad id idoneum, & semper alias, quoties de ipso futuro Concilio tractatum fuit, nominatum, tamquam omnibus nationibus & populis, vt audiebamus, valde gratum.

Ea autem translatione facta, & cedulis de nostro & Romanæ curiæ discessu, ex more, publico in loco affixis, iter ingressi, tandem duce Domino ipsam Florentinam ciuitatem præfenti die applicuimus, vbi magna cum cleri & populi alacritate suscepti fuimus. Quod tuæ celsitudini ad gaudium facimus notum, eandem in Domino exhortantes, vt postquam cœptum pridem pro dicta vnione orientalis ecclesiæ, aliisque maximis in Dei ecclesia bonis operibus, Concilium œcumenicum, auctore Deo, est in loco salubri, tuto, libero, & omnibus populis nationibusque grato, tuos oratores ad id mittere, ac prælatos in tuis dominiis constitutos, vt veniant, hortari velis, ne per tuam excellentiam aliquo modo desit, quin vtriusque ecclesiæ vnio cum ceteris sanctis operibus inchoatis feliciter perficiatur. Datum Florentiæ anno incarnationis dominicæ 1438. &c.

Similiter scriptum est regi Scotiæ; Ludouico comiti Palatino Rheni & duci^a Bauariæ; marchioni Brandeburgensi, duci Saxonæ, Moguntinensi, Coloniensi, Treuirenfi, archiepiscopis.

De ingressu Græcorum in ciuitatem Florentiæ.

AND. Quamuis ad constitutum locum festinus aduenirem, tua me sollicitudo præuenit.

LVD. Quæ pridie audiuius, vt præambula notionis Spiritus, magis sensum concitarunt quam fouerunt. Erant meo sensu fidei non multum opportuna,^b data notione processus Spiritus sancti, vt plurimum concitatus ex pristinae diei sermonibus, vt sequentia audirem, ad locum constitutum auide redii, vt fastidium additionis, non diuinum sed positium ius (vt tuo vtar vocabulo) continens, in gaudium conuertamus, referas, oro, pollicitæ rei progressum.

AND. Florentiæ cum summus pontifex maximus, im-

^a In cell. 41. Conc. Constantiens. sic citato legitur: Dilectum filium & nobilem virum Ludouicum ducem Bauariæ & comitem Palatinum Rheni. Num. IV.

^b Data notione spirationis ex Patre & Filio tamquam ab vno principio, superflua videbatur questio additionis Filioque, ad solum ius positium pertinens.



perator & patriarcha, Latinorum Græcorumve patres aduenissent, disputationum constituerunt progressum.

LVD. Oro, ante disputationum certamina, vt referas, quo ordine recepti sunt Græci. Scio Florentinos ciues in his receptionibus, vt appareant, curiosos.

AND. Patriarcha, duobus ex cardinalibus, domino de Columna & domino Firmano, alias sanctæ Mariæ in Via lata, diaconibus cardinalibus obuiam extra portam euntibus, cum prælatorum multorum comitiua in ciuitate ductus, domum sociatus est. Præuenit in veniendo imperatorem. Florentinos hoc speciale eo die fecisse conspectum est, quod pro tunc officiales, quos dominos vocant, ad sedile quoddam ante eorum palatium descenderunt, expectaruntque quousque patriarcha transiens ad eos aduenerit: quo adueniente surgentibus, interprete Leonardo Aretino domini eorum cancellario, in Græco plurima dixere: quo abeunte, palatium ingressi sunt. Nulla adfuerunt spectacula, cum festus dies non fuerit. nam scitis gentes illas festo in die iucundissimas, diebus vero aliis exercitio indefesso vacare. Sed quia imperator die festo aduenerat, ac Dominico carnispriuii ciuitatem ingressus est, magnum apparatus fecerant, & hominum ac mulierum concursus per stratas singulas. Potissime namque ciuitatis illius exhibitio, est ornatarum dominarum & virorum, vt me melius noscis: pluuia tamen spectaculi pompam abstulit. Venit namque ex insperato, quam primum limina ciuitatis imperator ingressus est, pluuia tam grandis, vt receptui se qualibet pompa dederit: quinimo viarum constitutus ordo, nimborum turbine, seruatus non extitit, sed breuiori celeriorive calle domum perductus est. Et quod mirandum magis extitit, quam primum limina domus ingressus est, cessauit pluuia. Aduenerunt & cardinales omnes ad portam ciuitatis, qui eum cum turbine illo plurimum madefacti domum associarunt. Domini ciuitatis ad portam ciuitatis pedites aduenere, eidemque per eorum cancellarium Leonardum Aretinum multa dixere, quibus gratissimum eius aduentum recipere commemorarunt: pluuia hac impediante, nullum habitum est ex nouitate spectaculum.

Ordinatum est, vt disputationes progressum accipe-

ANNO
CHRISTI
1453.

rent: Græcis tamen volentibus particularem quamdam conuentionem, facta est, antequam in publicum prodirent: de qua & mentionem non facerem, cum publica tantum gesta adscribere disposuerim. Sed quia præambulum extitit publicarum referendarum disputationum, de ea verba faciam. Petiti sunt 40. ex nostris, & ex Græcis totidem, vt ad certum venirent colloquium: continientibusque cunctis in palatio apostolico secreto in conuentu, summo pontifice, imperatore, octuaginta aliis, dominus sanctæ Sabinæ, sancti Angeli cognominatus, hæc in medium protulit.

CARD.^a Viri fratres, hæcenus multa dicta sunt: videtur admodum superuacuum in his insistere, sed veniendum ad processionis Spiritus declarandam doctrinam. Imperator vero respondit, quod arbitrabatur aliquod medium esse inuentum, sed per deuentum ad disputationem processionis Spiritus sancti, non intendit a prima recedere. Cui per reuerendissimum dominum responsum est, quod omni tempore, si de qua re in ea dubitauerint, eisdem plenissime satisfiet: conueneruntque vt 2. Martii fieret conuentio publica.

^a Hanc allocutionem cardinalis facit 1. scilicet Florentiæ habitam Græcus scriptor scilicet 17.

NOTÆ AD DECIMAM QVARTAM
COLLATIONEM.

¹ *[Concilii.]* Concilii Calchedonensis actione 5. alias 6. his verbis: *Diffinis sancta Synodus, alteram fidem nulli licere proferre, aut conscribere vel componere, aut sentire, aut alias docere: eos autem qui audent componere fidem alteram, aut proferre, aut docere, aut tradere alterum symbolum, &c.* Eadem sunt verba sextæ Synodi actione 18. quæ & magis ponderat hic Ephesius, quæ sic se habent: *Diffinimus aliam fidem nulli licere proferre aut conscribere, componere aut sapere, vel etiam aliter docere.*

² *[Prohibitionem.]* Nimirum symbolum Constantinopolitanum factum fuerat ante Concilium Ephesinum, & sic ante prohibitionem. Quæ responsio non soluit argumentum. Etenim vltra ea quæ dixit cardinalis, cum Concilium Ephesinum prohibeat omne aliud symbolum præter Nicænum, si prohibitio tendit etiam ad verba addita, quamuis vera, sequeretur quod prohiberet etiam Constantinopolitanum.

³ *[Sexti Concilii.]* Actione 18. Qui vero præsumpserit fidem alteram componere, vel proferre, vel docere, vel tradere aliud symbolum volentibus conuerti; aut qui nouitatem vocis vel sermonis adinuen-

tionem, ad subuersionem eorum quæ nunc a nobis determinata sunt, introducere, &c.

⁴ *Terminatorum.*] Id est, intelligitur prohibitio, & respicit non solum ipsam terminationem fidei, sed etiam omnes terminos in ea prohibitionem distinctos; nempe immutare, innouare voces, syllabas, &c. vt in præfatis Conciliis & epistola sancti Cyrilli supra sæpe citatis.

⁵ *Fide.*] Id est, diffinitionem fecit eorum quæ sunt fidei, sed non distinxit in lege prohibitionis: quod ille solum transgredi intelligeretur, qui mutaret sensum, non autem verba.

⁶ *Conaretur.*] Deest aliquid, sed sensus est: Qui conaretur non obstante quocumque termino prohibitionis dictam additionem, seu dictionem, Filioque, trahere & accommodare, posset etiam dicere, quod liceret immutare ipsam diffinitionem in dogmatibus fidei ex vi ipsius prohibitionis, quæ æqualiter fertur ad syllabas & substantiam fidei.

⁷ *Septimi.*] Septima Synodus actione 7. in diffinitione, cuius hæc sunt verba hic confuse relata: *Igitur cum diligentia perscrutantes & discutientes, & intentionem veritatis sectantes, nihil detrahimus, nihil addimus.*

⁸ *Legerentur.*] Argumentum Latinorum obscure replicat hic Ephesinus: sed sensus clare colligitur ex 1. actione Concilii Calchedonensis I V. in ordine, in qua narratur, quod Eutyches hæreticus recitata fide & symbolo Nicæno, quia in eo non damnabatur expresse eius hæresis, dicebat se adhærere prohibitioni Concilii Ephesini, & nolle aliquid credere vltra fidem Nicænam, sed in ea velle viuere & mori. Contra Eutychem exclamauit Eusebius Dorylæi, mentitum esse affirmans, quia non extabat hic Canon Ephesini Concilii de non addendo fidei Nicænae, si opus esset, ad hæresum damnationem. Dioscorus defensor Eutychetis contradixit Eusebio, eumque vna cum Flauiano deposuit, tamquam transgressores Concilii Ephesini. Dum hæc legerentur in generali Concilio Calchedonensi, damnati fuere Dioscorus & Eutyches, & laudati Eusebius & Flauianus. Hinc optime Latini in hoc Florentino Concilio inferebant, posse addi symbolo urgente necessitate, nec ideo fieri contra prohibitionem Ephesini Concilii. Hoc est argumentum quod refert Ephesius, & cui nil apte respondit.

⁹ *Obstat.*] Nil obstat dictum Flauiani asserentis Christum habuisse duas naturas secundum rectam fidem. Nam nec intentioni, nec dictionibus symboli Nicæni addidit: & qui eum condemnarunt, tamquam addidisset, errarunt ab æquiuoco. nam ipse non addidit symbolo, sed extra symbolum explicabat fidem catholicam.

¹⁰ *Non semper.*] Non sunt verba Vigilii, sed Eutychiei in sua professione fidei quam misit Vigilio, & quam ipse Vigilius in epistola sua refert & approbat: propterea vt verba Vigilii afferuntur ab Ephesio. Extat autem hæc epistola in actis quintæ Synodi, collatione 1. in fine.

¹¹ *Dixit*

ANNO
CHRISTI
1439.

¹¹ *Dixisset.*] Id est, Quomodo Vigilus in epistola citata dixisset, non aliud symbolum præter istud, si voluisset dicere contrarium? Latius enim patent verba, præter istud, quam contrarium. Etenim mutans syllabas in symbolo, dicitur facere præter istud symbolum, quamuis non faciat contrarium in sensu.

¹² *Dispensationem.*] Sic apud Græcum scriptorem sess. 15. *Prudenti dispensatione additum est, eadem pariter tollatur, ut recipiatis fratres dolore excruciatos, & caritatem tanti facientes.*

¹³ *Sapientibus.*] Legendum non solum de sapientibus, sed & de loquentibus. Nimirum inuehitur in Græcos contententes, verba diffinitionis extendi non solum ad mutationem sensus, sed & verborum.

¹⁴ *Calchedonense.*] Actione 15. Canone 28. qui est apocryphus, ut probat Baronius annalium tom. 6. anno Christi 451. num. 136. sed argumentum Iuliani cardinalis habet robur ad hominem, nimirum contra Græcos, qui Canonem illum recipiunt: & tandem præualuit in ecclesia præcedentia sedis Constantinopolitanæ, ut infra dicetur nota 21. collationis 22.

COLLATIO DECIMAQVINTA.

QUÆ EST PRIMA FLORENTIÆ HABITA
die 2. mensis Martii.

*Auctoritatibus sanctorum patrum Epiphani & Basilii
probat, Spiritum sanctum procedere
a Patre & Filio.*

AND. **P**RIMO ^a in conuentu Florentiæ conuenientibus cunctis ordine & modo, quo Ferrariæ relatum est, in quo nec imperator, nec patriarcha interfuit, incepit prouincialis Lombardiæ hoc modo.

^aHanc Græcus scriptor facit secundam sessionem Florentiæ habitam, quæ apud eum est sess. 18. in ordine.

PROVINC. Cum benedictione sanctissimi domini nostri, iniunctum satisfaciendi & disputandi officium de ea quæ in nobis est fide processione Spiritus sancti suscipiens, ubi iuxta sententiam beati Augustini in primo de Trinitate, cum modestia & timore agendum est, & attentissimis auribus & deuotis audiendum. In primis si aliquid minus perite & parum caute a me dictum vel expositum fuerit, emendari cupio ab eadem sanctitate, quæ Petri & fidem & sedem tenet, & etiam a reuerendissimis patribus & dominis meis assistentibus. Consequenter vero cum inter nos diuina tractari cœperint, nec debeat verborum esse litigium, sed exquisita verborum veritas, spem in illum concipiendam censemus, qui mentem illuminat & indu-

Concil. Tom. 33.

Q9

cit in omnem, sicut Dei Filius promisit, veritatem. Sic enim speramus in Dei benignitate, quoniam qui voluit huiusmodi causam de processione Spiritus sancti in presenti sacra & œcumenica Synodo moueri, per eundem Spiritum concedere habet, vt cum omni mansuetudine & modestia ipsius veritas clareat, & instruantur omnes sine schismate & contentione veritatis, vt tandem vno ore, vno corde id ipsum iuxta sententiam Apostoli omnes dicamus, & sicut vnus est Christus & vna fides, ita simus in vna fide, idem in Christo corpus. Nunc, his præmissis, ad rem ipsam venio; & in primis tria notificanda sunt. Primum, cum serenissimus imperator primum in vna congregatione coram omnibus deputatis dixerit, quod si veniebamus ad istum articulum processionis, non tamen habeat primam materiam additionis pro derelicta, cum adhuc aliqua haberent producenda in illa materia. Nos, quemadmodum reuerendissimus dominus sanctæ Sabinae dixit, & nunc secundo dicimus, quod semper sumus parati ad audiendum in eadem materia quæ voluerint allegare, sperantes in Domino ita eis satisfacere, prout in aliis satisfactum est; & sic de huiusmodi oblatione & nunc & semper protestamur. Verum quia pro faciliori expeditione, tam sanctissimo domino nostro, quam & suæ serenitati placuit, vt illa ommissa, transiremus ad hanc: notificamus secundum, videlicet quod quia serenissimus imperator sapius Ferrariæ in huiusmodi collationibus dixit, quod sibi videbatur pro faciliori expeditione, vt non faceremus prolixos sermones, sed de argumento in argumentum, de testimonio in testimonium, seu de capitulo in capitulum procederemus, quemadmodum & vos, reuerendi patres, quandoque idem dixistis: volens sanctissimus dominus noster morem gerere suæ serenitati & istis patribus, etiam considerans quod materiæ per hunc modum facilius expediuntur, contentatur vt in sequentibus & in presenti disputatione hunc teneamus modum. Tertio videtur inter nos hoc esse firmandum, vt habeamus in presentibus discussionibus testimonia scripturarum & sanctorum patrum, qui ab ecclesia admittuntur, post rationes quæ adiicientur, vt terminos nostræ disputationis, quos non liceat præterire, nec

ANNO
CHRISTI
1459.

arguenti, nec respondenti. Et hoc edocemur a sanctis patribus, maxime a beatissimo Agathone papa in epistola ad Constantinum imperatorem in sexta œcumenica Synodo^a, in qua de suis apocrifariis loquens, sic dixit: ^a *Azione 4.*
 Quibus apocrifariis & testimonia aliquorum sanctorum patrum, quos apostolica sedes suscipit, cum eorum libris tradidimus, vt facultatem suggerendi a Christianissimo imperio tuo consecuti, ex his dumtaxat satisfacere studeant. Idem aiunt sancti patres Concilii Calchedonensis in allocutione habita ad Marcianum^b, quæ incipit: ^b *Part. 3. initio.*
 Et hoc profecto vestrum decebat imperium: vbi de epistola Leonis ad Flavianum sic loquuntur: Non igitur admirandi Romanæ vrbs præfulis epistolam velut innouationis offendiculum crimentur, sed si non est diuinis scripturis coaptata, redarguant; si non præcedentium patrum sententiis combinata. & infra: Atque vt nulla his qui apostolicum virum lacerant, in ciuitate relinquatur occasio, consonantia epistolæ eius sanctorum patrum testimonia ad certiore[m] notitiam vestræ pietatis ex multis pauca mittimus. His præmissis ad rem propriam descendens, cum in qualibet disputat: quid nominis semper præponatur, cum de processione Spiritus sancti sermo inter nos esse debeat. Inquirimus primo a vobis, quid per nomen processionis intelligatur aut in humanis, aut in diuinis. Et causâ inquisitionis est hæc, quia iuxta sententiam beati Dionysii in libro de diuinis nominibus^c, ex creaturis Deum ^c *Cap. 1.*
 ipsum nominamus: & in scriptura sacra hoc nomen, processio, nedum Spiritui sancto, sed & Filio tribuitur. Dicitur Ioannis 8. *Ego ex Deo processi, & veni.* & de Spiritu sancto dicitur, quod ex Patre procedit. Et hoc pro tanto dictum est, quod credimus, quod inter omnes alias materias hanc primam, videlicet, potissimam habere debeatis. Dicatis, si quid vultis.

AND. Collocuti sunt parum adinuicem Græci, demum vnus illorum locutus est.

EPHES. Reuerendi patres & domini, ad prima quidem quæ dicta sunt per reuerendum patrem, cum extra materiam rei propositæ sint, & etiam vtrisque nobis eadem videantur, per hoc non est opportunum respondere ad omnia impræsentiarum particulariter. Verum ad inqui-

Concil. Tom. 33.

Qq ij

fictionem illam nobis propositam per vos, respondemus hoc, quod nomen processionis diuersè & in humanis & in diuinis dicitur. Nam conuenit hoc in diuinis duabus processionibus diuinarum personarum, maxime autem & proprie secundum theologiæ rationem, de processione Spiritus sancti a Patre dicitur, & in sacra scriptura & apud omnes sanctos ecclesiæ etiam hoc nomine distinguitur & discernitur processus essentialis Spiritus sancti a Patre a processu Filii a Patre. Nam quidem alia harum processionum dicitur natiuitas, alia processio. Multa denique istorum nominum & proprie & communiter de aliquibus prædicantur, propterea non est mirandum, si hoc verbum processionis aliquando, sed raro, de processu Filii a Patre dicitur. Deinde vox^a illa, *Exiui a Patre*, aliud quidem significat quam, Ego processi de Patre: nihilo minus modus processionis Spiritus a Patre ineffabilis & incomprehensibilis apud theologos nuncupatur, cum modus natiuitatis apud nos notissimus sit. Propterea de processu hoc Damascenus dicit: Alius modus existentia hic incomprehensibilis, alius quam natiuitas Filii. Hæc sunt, quæ volui respondere.

^aIoan. 16. Exiui a Patre, & ueni. & Ioan. 8. ego ex Patre processi.

PROV. Intelleximus processum in diuinis ex responso, ex qua responsione tria eliciuntur. Primum, quod nomen processionis in diuinis est commune Filio & Spiritui sancto. Secundum, quod magis proprium est Spiritui sancto quam Filii. Et causa est, quia processio per modum verbi est magis nota nobis, quam ex parte voluntatis: ideo nomen processionis tribuitur Spiritui sancto. Tertium est, quod processio dicitur essentialis. Modo quæro de isto tertio, cum in personis diuinis non reperiatur nisi essentia & proprietas, seu relatio: quid est hoc dictu, quod processio est essentialis in persona diuina? Estne accipere essentiam, esse, seu substantiam ab alia? Quia processio videtur esse egressus. Si autem est processus essentialis, tunc Spiritus capit essentiam a Patre: & cum esse sit idem quod essentia, idem igitur sunt penitus altero sumpto. Quæro, si sic intelligitis illam processionem essentialem, dicatis, ut concludamus.

EPHES. Talem intelligo processionem Spiritus a Patre, per quam Spiritus accipit esse a Patre, & omne quod est, proprie dicitur Spiritus sanctus.

ANNO
CHRISTI
1439.

ANNO
CHRISTI
1439.

PROV. Placet, habemus hanc conclusionem, quod accipere Spiritum sanctum procedere a Patre, est esse reale. Tunc dico sic. A quo Spiritus sanctus in diuinis accipit esse, ab illo dicitur procedere: sed dicitur, quod Spiritus sanctus accipit esse a Filio: ergo Spiritus sanctus procedit a Filio in propria significatione processionis, vt dixistis. Quod autem Spiritus accipiat esse a Filio, hoc potest ostendi multis testimoniis. Dicatis.

EPHES. Nos primum iam concedimus, sed vltimum negamus: & ideo petimus vt ostendatis, quod Spiritus sanctus accipit esse a Filio.

PROV. Placet quod dictum est, quia iam concludemus, quod Spiritus sanctus accipiat esse a Filio. Primo ostenditur ex auctoritate sancti Epiphani, qui in quodam opere vocato Anchorato, quam auctoritatem transcripsit generalis Camaldulensis ex libro Græco. Primo dicit^a sic: Pater Filium vocat eum qui ex ipso est, Spiritum vero sanctum, qui solus ab vtroque est: modo si Spiritus est ab vtroque, ergo accipit esse. Item in eo opere hoc dicit: Quemadmodum nemo nouit Patrem nisi Filius, nec Filium nisi Pater; sic^b audeo dicere: nec Spiritum sanctum quis nouit nisi Pater, & Filius a quo recipit, & a quo procedit: nec Filium, nec Patrem, nisi Spiritus sanctus, qui glorificat veraciter, qui docet omnia, qui a Patre & Filio est. Ex hac auctoritate sanctus Epiphanius pro eodem accipit procedere a Patre, procedere a Filio, & esse ab vtroque. Ergo ex hoc testimonio habeo, quod Spiritus capit esse a Filio. Dicatis ad hanc auctoritatem.

^a In Anchorato num. 71. initio.

^b Nam. 71. ex Græco textu, quamuis ibi translatio Latina in editione Paris. e regione posita non ad verbum transferat.

EPHES. Cum pollicitus fueris probare Spiritum accipere esse a Filio, nullatenus facere potuisti, nec produxisti aliquid iacens apud aliquem doctorem ecclesie; nec ab aliquo colligitur. Nam si Spiritus sanctus est a Filio, non propter hoc procedit a Filio. Nam esse multipliciter dicitur, nec est necessarium, quod omne quod est ab aliquo, ab ipso habeat esse, vt concludis. Quod dixisti, auctoritas vltima beati Epiphani nedum non opitulatur, sed facit contra vos. Non enim sanctus Epiphanius dixit Spiritum accipere esse a Filio, sed accipere a Filio. Hoc autem ipse dixit, habita occasione euangelii, in quo Dominus dixit: *A me recipit, & annuntiat vobis.* Vnde manifestum *Ioan. 16.*

Qq iij

videtur, sanctum Epiphanium non habuisse intentionem vt dicitis. Nam si ille habuisset intentionem vestram, dixisset sic, quod nemo noscit Patrem & Filium, nisi Spiritus sanctus, a quibus procedit & accipit. hoc modo monstrasset esse idem, accipere & esse. Cum autem distinguit per pronomen, & inducit, videlicet a quo procedit, & a quo accipit; significat diuersum esse, procedere & accipere; & quod procedere significat subsistentiam sibi a Patre, accipere autem consonantiam & æqualitatem & conglorificationem ad Patrem & Filium, secundum quam ipse Spiritus annuntiat discipulis quæ sunt enuntianda, habita occasione a Filio. Ergo nihil facit hæc auctoritas ad propositum, a neutro horum concluditur Spiritum accipere esse a Patre & Filio. Hoc contestantur mihi beatus Cyrillus & Chrysostomus, quorum beatus Ioannes Chrysostomus^a exponens auctoritatem euangelicam, Spiritum accipere a Filio dicit: *Accipiet a me*; hoc est, a quibus ego dixi, id est a mea scientia; videlicet, consona ei dicet. Beatus autem Cyrillus in Theauris^b eandem annotationem exponens, dicit: Non enim naturæ significabat differentiam sui & Spiritus, dicens Filius, quod a me accipiet, & annuntiabit vobis: sed quod vteretur verbis illius propter substantiæ identitatem, & omnino eiusdem naturæ æqualitatem, & eiusdem honoris. Cum autem patres^c intellexerint, quod de verbis dicitur, Spiritum accipere a Filio, & annuntiare apostolis; non vtique ab hac voce possumus capere, Spiritum accipere esse a Filio.

^a Homil. 78.
in Ioan.

^b Cap. 14.

^c Ita intellexerint illa verba.

PROV. Audiuimus quæ dixisti, volens tollere sensum illius sancti viri Epiphanii. Sed nunc volo instare, quod illa sit intentio Epiphanii, quam dixit: vnam rem esse ab alia, non alio modo potest intelligi, nisi vt capit esse suum, quod est ab illa. Nos dicimus, & beatus Dionysius in capite 2. de diuinis nominibus, quod creaturæ sunt a Deo. Modo quæro a vobis, si per hoc quod creaturæ sunt a Deo, intelligitur quod capiant esse a Deo.

EPHES. Hoc ita sese habere dicitur: sed propter hoc non sequitur, quod omne quod est ab alio, ergo accipit esse ab illo.

PROV. Confitemini, creatura est a Deo, ergo accipit esse a Deo?

ANNO
CHRISTI
1439.

EPHES. Confitemur de creaturis, quia per eum modum dicuntur esse, quo modo capiunt esse.

PROV. Datis rationem in creaturis, nunc in dicto Epiphani, cum dicit, Spiritus est a Filio, verbum istud, est, importat esse, aut importat illud esse quod accipit a Filio, aut aliud: non est dicendum, quod importat esse extraneum a Patre. Ergo necesse videtur concludendum, quod accipiat illud esse, quod habet Pater, quia vnum esse est in diuinis nominibus; & istud esse capitur, cum dicitur, est a Filio. Secundo Epiphanius in hoc dicto pramittit duo dicta euangelii.

EPHES. Discutiamus hanc primam auctoritatem.

PROV. Volo hanc auctoritatem dicere, quia dictum est in eodem contextu.

EPHES. Legatur auctoritas.

PROV. Eam dixi ad literam.

EPHES. Legatur, quia ille liber apud nos habetur suspectus.

PROV. Volo instare, quod vbiicumque reperitur, est Spiritus, sequitur, ergo capit esse a Filio.

EPHES. Legatur.

PROV. Præsupponatis, quod ita sit, & liber veniet^a. & vos concessistis, quod est a Filio, sed non capit esse. Nos mittimus pro libro: medio tempore præsupponamus hanc auctoritatem. Nemo nouit Spiritum, nisi Pater & Filius, a quo procedit & a quo accipit. Sic ergo modo continuando dicit sic: Nec Filium, nec Patrem quis nouit, nisi Spiritus, qui veraciter glorificat, qui docet omnia, qui a Patre & Filio est; etiam quod primo dixerat, accipit, nunc dicit est: & cum in diuinis sit vnum esse, & hoc verbum, est, designet esse: ergo id capit a Filio,^b & necesse oporteret dicere; si hoc non esset, quod esset a Filio, prout creaturæ a Deo, quod hæc sit sententia Epiphani, quod per verbum, est, intelligat accipere essentiam; ita dicit in eodem Anchorato parum supra. Spiritus sanctus semper non natus, non factus, non confrater, non auus, sed de substantia est Patris & Filii: ergo per verbum, est, non potest intelligi, nisi quod accipit esse.

^a Prout allatus fuit, vt infra hac eadem collatione.

^b Id est, & necesse est ita dicere: alias esset sensus, quod esset a Filio, vt creatura.

EPHES. Dicitis, reuerende pater, quod quia Spiritus sanctus dicitur esse a Patre & Filio, ergo habet esse a Pa-

tre & Filio : intelligitisne per hunc modum, vt quando dicitur Spiritum esse a Patre, intelligatur a persona Patris: quando a Filio, a persona Filii: quando ab vtroque, a persona vtriusque?

ANNO
CHRISTI
1439.

PROV. Dico, quod cum dicimus esse a Patre, intelligo, vt a persona Patris : idem cum dicitur a Filio, & a persona Filii, quando dicitur ab vtroque, in quantum sunt vnum principium, quia principium Patris communicatur a Patre in Filium, & est vnum & idem.

EPHES. Dum intelligitis, Spiritum esse a Patre, id est a persona Patris; & cum a Filio, & a persona Filii; cum dicitis Spiritum ab vtroque, quid potest intelligi, nisi a duabus personis? Maneat hoc pro nunc. Cum audiuius Spiritum a Patre, & habeat essentiam ab eodem, hoc inquirendum est in persona Filii, cum confiteamini pari modo Spiritum procedere a Filio & a Patre, numquid audiendo Spiritum esse a Filio, intelligitis quod capiat esse?

PROV. Nos cum intelligimus, quod est a Patre, intelligimus, capit esse a Patre. Et cum dicimus simili modo, quod est a Filio, capit esse a Filio, qui habet vnam substantiam cum Patre: & bonum est, vt non recedamus a primo argumento, videlicet quod accipere esse, sit habere esse, ne recedamus a materia spirationis.

EPHES. Nunc nos non inquiremus de auctoritate, an Spiritus accipiat a Patre vel a Filio, sed de eo quod dicitis, quod procedit de vtroque.

PROV. Videamus, cum dicitur, est ab vtroque, vtrum per hoc debeamus dicere, quod accipiat esse; seu dicatur a Patre vel Filio, vel ab vtroque: quod est clavis intelligentiæ.

EPHES. De hoc inquirendo nos ante petiuimus, & concessistis, quod cum dicitur, Spiritus est a Patre, capit esse a persona Patris. Videamus quid sequitur ab hac concessione. Magnus Basilius in sermonibus quos fecit contra Eunomium^a, cum haberet rationem loquendi de processione, hæc dicit: Generat Deus, non vt homo, sed veraciter generat; & id quod generatur ab eodem, est verbum non humanum; & emittit Spiritum per os, non vt est humanum, cum nec os corporaliter sit apud Deum: ab eodem autem Spiritus, non aliunde. Si autem cum audiuius ab ipso esse Spiritum, necessario intelligimus esse ab eadem

^a Contra Eunomium lib. 1.
§. Nec enim.

ANNO
CHRISTI
1439.

eadem persona, iam clare Basilius declarauit, a persona Patris tantum esse, non a Filio.

PROV. Quod dicitis, non videtur ex illis verbis inferri: imo dicit sic Basilius in 3. libro contra Eunomium^a, quod Spiritus sanctus accipit esse a Filio: & est hic liber antiquissimus. Præterea in eo quod nunc dixisti ex Basilio, quod generat Pater, non ut homo, & quod mittitur Spiritus a Patre, ut a Dei ore; confitemur quod Deus non habeat os, nisi per similitudinem, & metaphoricè est locutus, quia in diuinis scripturis Spiritus oris est idem quod procedens a verbo: & sic intelligendo, cum dicitur Spiritus oris eius, verba hæc ad nostrum faciunt propositum. Sed id etiam quod dicit Basilius in loco allegato per me, bene facit ad propositum.

EPHES. Inquiramus primo de his quæ dicta sunt, postea procedemus ad aliam auctoritatem.

PROV. Ista est confirmatio primæ auctoritatis, & legitur, contra Eunomium^b: Quæ necessitas est, quod Spiritus cum sit tertius in persona, sit tertius in essentia: dignitate quidem secundus est a Filio, ab ipso habens esse, & ab ipso accipiens, & annuntians nobis. Hæc auctoritas est confirmatio primæ.

EPHES. Ad hanc postea respondebimus, nunc inquirendum est de illo quod primo proposuistis. Quærimus a paternitate vestra, si beatus Basilius cum dicit, Generat Deus Filium, & ab ipso generatur verbum, & emittit Spiritum per os; quid vult significare cum dicit, quod Pater generat a se: significat, an ab essentia sua, vel a persona sua? & cum dicit, Emittit Spiritum per os eius, significat ab essentia sua, vel a persona sua? quid signet hoc verbum a se, explana nobis.

PROV. Si responderetis ad argumentum, quod esse & est sint idem, possem vobis respondere. Respondeatis ad quæsitum, quod emanat ex auctoritate Epiphaniï. Id quod dico, an impertinens est? respondete ad id quod vultis; respondeatis, quomodo intelligitis illud Basilii, Caput esse a Filio?

EPHES. Si vos ostendissetis per auctoritatem Epiphaniï, Spiritum habere esse a Filio, nos absoluissemus vestram propositionem, cum proposueritis hoc, & nondum

ostenderitis. Non hoc dicit magnus Epiphanius, quod Spiritus habeat esse a Filio, sed quod est a Patre & Filio. Posito quod ita dicat, ad hoc quaesivimus, ut diceretis nobis, cum auditis Spiritum esse a Patre vel Filio, si intelligitis a personis: & dixistis, quod sic. nam per hoc allegastis auctoritatem Epiphani. Cum autem nos mutavimus materiam ad auctoritatem beati Basilii, quaesivimus etiam, numquid ita intelligitis? Respondeatis ad hoc quid sentitis, ut possint omnia dilucidari: si habetis aliquam auctoritatem in contrarium, dicatis: postea de ea inquiretur. Iterum quarimus, & non deficiemus quaerendo, numquid intelligitis, cum auditis, Spiritum procedere a Patre, id est, a persona, & sic a Filio, & sic ab utroque?

PROV. Clare respondi, quod intelligitur de personis: sed ad meam non respondetis.

EPHES. Secundum confessionem quam habuimus a vobis, cum Basilius dicat, quod habet a Patre, ex ipso, non aliunde; ipse satis explanavit, quod est a Patre, & non aliunde: hoc tamen est, ac si diceret, procedere a Patre tantum.

PROV. Ibidem disputat Basilius contra Eunomium, qui tenebat, quod erat Spiritus creatura; & ideo dixit, a Patre, non aliunde: aliunde designat substantiam, id est, non de alia substantia. Et propterea, ut non conculcemus materiam, dico, quod Spiritus habet esse a Patre & a Filio. An esse quod habet a Patre, est diversum ab esse quod habet a Filio? Necessario apparet, quod Spiritus sit a Patre in unitate essentiae: ergo Spiritus est a Patre in unitate essentiae Patris, & est a Filio in unitate essentiae Filii, ut verificetur verbum, est, positum in auctoritate Epiphani^a, qui dicit in eodem Anchorato: Spiritus semper est, non natus, non factus, non confrater, non nepos; sed est de substantia Patris & Filii. Ergo esse a Patre & a Filio, est accipere illam essentiam, secundum testimonium Basilii qui dicit: Accipit esse a Filio, & non est diversum esse.

^a Vbi supra.

EPHES. Iterum ut concessum supposuistis, Spiritum accipere esse a Filio; quod nec magnus Epiphanius dicit, nec nos concedimus, nec ab eisdem verbis potuistis clare ostendere: imo e contra auctoritate magni Basilii contrarium dicitur. Iterum reuertamur ad Basilium: nam visi estis

ANNO
CHRISTI
1499.

ANNO
CHRISTI
1459.

dicere contrarium vobis & his quæ primo dicta fuerunt; quia cum Basilius impugnaret Eunomium dicentem creaturam Spiritum, ab ipso Patre dixit esse Spiritum, videlicet ab essentia Patris, & non sicut vna de creaturis, videlicet ab alia essentia. Ita vos dixistis.

PROV. Vellem vt responderetis ad quæsitum.

EPHES. Vos videmini dicere contrarium, cum secundum sanctum Basilium dicitis, non aliunde quam a Patre: & primo dixistis, quod a Patre & Filio; & sic contrarium.

PROV. Vos introduxistis illum terminum aliunde^a, ego dixi, quod est a Patre de essentia, quæ est consubstantialis Patri & Filio, Spiritus est ab alio. Nonne expresse declarat Basilius, quod capit esse a Filio? Et ita dicit Epiphanius, de substantia Patris & Filii: ergo habet illud esse a Patre & Filio. si habet, ergo recipit: & hoc fundauerunt doctores ex auctoritate scripturæ.

EPHES. Hoc quidem diligentius posthac examinabimus: sed vt magis declaretur auctoritas Basilii, quærimus, an intelligatur in diuinis idem essentia & persona, secundum doctores ecclesiæ.

PROV. Respondebo faciliter. Dicimus, quod essentia & persona sunt vnum & idem secundum rem, & differunt secundum modum intelligendi nostrum; ita quod persona intelligitur constituta ex essentia & proprietate. Nam quia distinguuntur secundum rationem, ipsa essentia communicatur personis, sed proprietates nullo modo communicantur: & hoc est ex vi ipsius relationis. Hoc vos habetis per vestrum Gregorium Theologum^b in libro de mysteriis epiphaniæ: Proprietas autem vnicuique incommunicabilis, alioquin non esset proprietas, si transformaretur in alterum. Ad hoc vt remaneat distinctio personarum, oportet vt proprietates constitutiue sint incommunicabiles: & ideo dicunt doctores, quod non est nisi relatio originis in diuinis; & propter istam originis relationem faciunt separationem. Nam solum ista duo remanent distincta, Pater est Pater, Filius est Filius: omnia alia communicantur^c. & ita vult intelligere Epiphanius. Ipse volebat intelligere de correlatiuis originis, quæ constituunt personam: & hæc sunt duo, quo aliquis, & quo ab alio. Cum ergo omnia communicantur præter proprietates, sequi-

^a Id est, auctoritatem illam Basilii, quod Spiritus est a Patre, non aliunde, & ego dixi quod ly Aliunde intelligitur, non de alia substantia, quia est consubstantialis Patri, & Filio: ceterum Spiritum esse ab alio, declarat Basilius esse a Filio.

^b Sermonem in sancta lumina epiphaniæ.

^c Modo non facit vim de persona Spiritus sancti, sed de distinctione personarum inter se.

tur quod cum dicitur, quod vna est ab alia, quod recipiat ab alia esse. Modo declaravi id quod dixeram: dicatis modo ad quaesitum meum, quomodo intelligitis dictum Basilii?

EPHES. Quomodo distinguantur abinuicem in diuinis persona ab essentia, non est praesentis temporis considerare. Nam forte in hac parte non differimus, scilicet quod distinguatur persona ab essentia, vt differt proprium a communi, vt dicit magnus Basilius^a scribens fratri Gregorio, quemadmodum essentia hominis communi ratione^b, & persona alicuius. Hoc videtur, quod & vobis vna nobiscum videatur. Nunc venio ad primum quaesitum, quia dicit Basilius, quod generat Pater a se, & emittit Spiritum per os eius, quid vult significare per illud, a se, a persona, vel ab alio?

PROV. Dixi, quod cum dicitur, quod Filius generatur a Patre, idem est ac si dicatur, quod Filius generatur a substantia Patris; ita quod persona est principium quod generat, & essentia communicatur, ita quod essentia non generatur. Dico, quod Pater est principium quod generat, quia Pater importat suppositum, essentia diuina non est illa quae generat, quia non significatur vt suppositum: actiones sunt suppositorum, essentia est principium quo generat. Propter quod dicimus in humanis, ille qui generat, est hic homo, & hoc suppositum, & haec est persona quae suscipit, & quae est. Causa haec est, quia actiones dicuntur esse suppositorum. In isto homine est humanitas: ista humanitas dicitur principium, quo homo generat: & propter hoc iste homo non communicatur isti filio, sed natura communicatur, quia filius generatur in eadem specie. Id quod communicatur in inferioribus, est natura: id quod agit, est suppositum, & est persona. Nunc in diuinis dicimus pariformiter, dicimus quod persona Patris significatur vt suppositum: ergo persona Patris est illa quae generat, & essentia principium quo generat. Natura diuina est principium, quo iste Pater generat Filium: & ideo Pater non communicatur, sed essentia: & quia est eadem numero, propter hoc non potest dici quid commune, vt humanitatis in inferioribus, sed solum habet rationem communis, in quantum est communicabilis. Haec est cau-

^a Epist. 42. de differentia substantiae & hypostasis.

^b id est, communi ratione sumpta differt a persona particulari, quod statim declarat prouinc.

ANNO
CHRISTI
1449.

ANNO
CHRISTI
1439.

fa, quare Filius dicitur generatus a Patre, vt a principio. Est autem ab essentia diuina, vt a principio, stante identitate reali cum qualibet persona: & secundum omnes doctores Græcos & Latinos, sola relatio est illa quæ multiplicat personas in diuinis, quæ dicitur relatio originis, ad quam duo pertinent, a quo alius est, & qui ab alio est. Modo spiritus est ab alio, nihil aliud est, quam capit esse ab alio. Nunc sequitur, quod cum relationes originis, a quo est alius, & qui est ab alio, & nulla alia est distinctio in diuinis, nisi per ista duo: ergo sequitur, quod si quæ persona est ab alio, dicatur accipere esse & essentiam ab illo. Et ista est intelligentia magni Epiphani & Basili, cum dicunt, quod Spiritus habet esse a Filio: modo stat ista ratio, esse ab alio in diuinis, idem est quod procedere. Sed ostensum est, quod Spiritus est a Filio per auctoritates alias: ergo sequitur, quod procedat. Credo, quod hæc sit vera & clara veritas, nec auderem dicere contra.

AND. Hic venit liber, & fuit lecta auctoritas Epiphani, in Græco primo.

EPHES. Hic dicit^a, quod Spiritus procedit a Patre, & accipit a Filio: modo in eodem sermone, cum dicat a Patre & Filio, debet intelligi secundum expositionem suæ fidei, qui est a Patre, & accipit a Filio. Sequitur auctoritas: *Ipse me glorificabit, quoniam ex meo accipiet, & nuntiabit vobis omnia.* Si a Patre procedit, & a me accipiet, sicut nemo cognouit Patrem nisi Filius & econtra, audeo sic dicere, quod nemo nouit Spiritum nisi Pater & Filius, a quo procedit, & a quo accipit; nec Filium, nec Patrem, nisi Spiritus, qui glorificat & testificatur, qui a Patre & Filio. Videtis patres, quod verbum, est, non iacet^b, quod accipiebat pater iste, & per hoc volebat arguere, & esse, arguendo ex illo verbo: hic non adiacet illud verbum, est, sed dicit a Patre & Filio, possumus intelligere secundum theologiam^c & doctores, vt taliter sit Spiritus a Patre & Filio, vt habeat substantiam a Patre, & a Filio dari, & accipi ab his qui in ipsum credunt. Et sic non nobis obstat hæc auctoritas, nec colligitur quod proposuistis.

PROV. Quod hoc verbum, est, non sit, cum dicitur a Patre & Filio, necessario intelligitur verbum principale,

R r iij

^a Epiph. in Anchorato in fine num. 72. & initio num. 73. edit. Paris. de qua auctoritate supra dictum est, & latius infra collatione 19. Ioan. 16.

^b Vim facit Epiph. ex textu Græco, in quo ad verbum sic legitur: Qui a Patre & Filio. Græca tamen phrasi necessario subintelligitur verbum substantiale, vt statim infra docet prouinc.

^c Græcus scriptor sic fell. 18. Possumus ergo intelligere Spiritum quidem ex Patre procedere, id est suam substantiam habere, a Filio autem dari, & a credentibus in ipsum accipi.

& doctores hoc faciunt in correlatiuis originis, cum dicunt a quo alius, & qui ab alio: & praterea in istomet Anchorato paulo ante est hoc verbum ^a, est. Dicimus Filium, qui ex ipso est; Spiritum, qui ex vtroque. In secunda auctoritate dicit Spiritum, qui ex Patre & Filio. Modo probō, quod ex necessitate intelligatur ^a, quia in ista propositione importat intentionem propositionis a quo; modo non est processio in respectu termini a quo, nisi in ordine ad terminum ad quem. Ita hic cum importetur hæc relatio ad terminum a quo, de necessitate oportet intelligere terminum ad quem. Modo terminus ad quem processionis Spiritus, est ipsum suppositum Spiritus, accipiens esse, quia per processum communicatur esse: ergo de necessitate intelligitur, est.

EPHES. Etiam si consideremus, quod in istis auctoritatibus intelligatur, est, licet hoc posset aliter intelligi, vt diximus, nihilo minus audientes a Patre, vel a Patre & Filio, non de necessitate debemus intelligere de substantia Patris, vel persona Patris, sed possumus intelligere non discretionem, per quam Filius a Patre, sed vnitatem potius, secundum quam ita se habet, vt eiusdem naturæ sit Filius Patri ^b; ita Spiritum se habere ad Patrem & Filium. Et hoc nos reperiemus in auctoritatibus sanctorum doctorum ecclesiæ; beati Cyrilli colligentis ab auctoritatibus scripturæ, vbi conclusit Spiritum esse ab ^c essentia Patris & Filii, pro quo certamen illud contra hæreticos suscepit, dicentes alienum esse Spiritum a substantia Patris & Filii. Sed vt reuertamur ad auctoritatem propositam, ne infecta relinquatur, dicimus de auctoritate Basilii, cum nondum manifeste responderitis, quod si de persona dicit ^d, & illud, aliunde, ad aliam hypostasim refertur; manifestum est illum dixisse a persona Patris sola. Si autem auctoritas ipsius sancti respicit essentiam Patris, quæ est communis ambobus, & ab ipso dicit, non aliunde, id est creatum ^e: nam procedere Spiritum a Patre manifestum erat, nec erat necesse ostendi. Ergo Epiphanius dicens a Patre & Filio, non ex necessitate vult ostendere ab eisdem personis, sed a substantia earum, vt sit eisdem consubstantialis. Ergo non in diuinis sequitur ex necessitate illud, quod dicitur ab alio, quod habeat esse ab eo, a quo dicitur

^b Græcus fess. 18. sic: Sed potius coniunctionem secundum quæ Filius est Patri connaturalis, & Spiritus Patri & Filio.
^c Græcus fess. 18. sic: Constat hoc ex sancto Cyrillo, veluti conclusionem deducente, quod Spiritus sanctus sit de essentia Patris & Filii.

^d Basiliius contra Eunomium lib. 5. §. Nec enim, supra relatus, cuius hæc sunt verba: Ab eodem autem Spiritus [scilicet Patre] & non aliunde.
^e Non aliunde creatum, sed consubstantialem.

ANNO
CHRISTI
1459.

esse: scilicet Spiritus potest dici esse a Patre & Filio, id est a substantia vtriusque, quia consubstantialis.

PROV. Ego habeo duo dicta ex hac responsione. Primo, quod capiendo verbum, est, in auctoritatibus, non sequitur quod licet est a Filio capiat esse: quod videtur contra illud quod dicebatis primo, cum ponebamus, est; & quod facitis magnum fundamentum in auctoritate Basilii dicentis, quod est ex persona Patris, & non aliunde: ergo non est ex alia persona. Dicimus quod non credimus, Basilium exponere illud verbum, non aliunde, id est non ex alia persona: quia Basilius contradiceret sibi in eodem libro, si dicat, non aliunde, id est non ex alia persona; & alibi dicat, habet esse a Filio: & ideo oportet quod vos ostendatis, si aliunde habet sensum quem dicitis. Hic est Basilius, quem legamus.

CARD. Hora tarda est, surgamus, & in die Mercurii conveniamus.

AND. Spirituali sermone relictus cœtus sacer, pro die illa solutus est, hora iam tarda.

NOTÆ AD DECIMAM QVINTAM
COLLATIONEM.

* *Respondere.*] Clarius ex Græco scriptore sessione 18. sic: *Reuerentia tua non respondet ad propositum Epiphani locum. Itaque responde, tuncque respondebimus & nos ad ea que vos proposuistis. Præterea magnus Basilius hoc idem testatur, dicens: Spiritus ex Filio habet & accipit. Quomodo intelligatis quod allatum est, dicite, tuncque ulterius procedemus.*

* *Verbum, est.*] Græcus scriptor sessione decimoctava prope finem in dictis Ioannis sic ait: *Non est appositum, est, cum dicitur a Patre & Filio: factum est ex usu multorum doctorum, qui nominibus positus, omittunt verbum, quod necessario intelligendum est: quemadmodum doctores de discretionem & distinctionem loquentes, utuntur his verbis, a quo aliquid, & ad quod aliquid. Adhuc paulo supra: Filium, inquit, voco, qui ex ipso est: Spiritum vero, qui ab vtriusque. Subintelligitur est. In secundo etiam dicto: Spiritus autem, inquit, ex Patre & Filio. in his duabus propositionibus continetur verbum est. Sic Græcus.*

COLLATIO DECIMASEXTA.

DIE V. MARTII.

ANNO
CHRISTI
1439.

*Auctoritatibus sanctorum patrum Epiphani & Basilii
probatur, Spiritum sanctum procedere
a Patre & Filio.*

AND. ORDINE, modoque, prout superius dictum est,
cœpit prouincialis hoc modo.

PROV. Cum benedictione sanctitatis vestræ dimissimus
in præcedenti actu auctoritatem Basilii ^a adductam per
vos, pater reuerendissime, in qua auctoritate dixistis, Spi-
ritum, iuxta intentionem Basilii, esse ex ore Patris, & non
aliunde, id est a nulla alia persona, prout exposuistis. Ego
respondebam, quod ly, aliunde, sic intelligebatur, id est
ex nulla alia substantia quam Dei. Ratio est, quia Basilii
tenet in libro ^b contra Eunomium, quod Spiritus sanctus
habet esse a Filio. Non poterat ergo dicere, quod a nulla
alia persona esset sine contradictione. Et super hoc quæsi-
ui, vt videretur originale ipsius Basilii, vt veritas inno-
tesceret omnibus de intentione Basilii, quia tales doctores
sunt nostræ fidei fundamenta. Nos vidimus totum capitu-
lum Basilii, & cum duobus interpretibus conati sumus, vt
illa verba, nullo addito vel dimisso, transferrentur fide-
liter. Hic habemus Basilium antiquissimum & transla-
tum: & ideo primo Latine, propter reuerentiam Latino-
rum, legam, & inde in Græco, vel e contra.

AND. Fuit lectum in Latino, deinde Græce, volens pro-
ferre, hæc retulit.

PROV. Quia auctoritas ista allegata per vos videbatur
facere vim, necesse fuit, vt ex antecedentibus & sequen-
tibus appareret intentio Basilii. Modo dicemus Latine se-
cundum sententiam huius capituli, ita dicit ^c. In isto capi-
tulo apparet manifeste, quod beatus Basilii intelligit,
non aliunde quam a substantia Patris & Filii; dicit sic mo-
dicum antè contra Eunomium: Tu similiter vt infidelis
diuinæ scripturæ aduersarius ad blasphemiam properas:
& quia processio Spiritus ex Deo, natiuitas vocata non
est, idcirco neque oris Dei Spiritum esse credis, sed opus
manuum Dei: & exempla humana contemnens, euerteris
quæ

^a Lib. 1. contra
Eunomium.
^g Nec enim.

^b Lib. 3. initio.

^c Volens pro-
ferre verba ca-
pituli, præmi-
sit de sensu
verborum, &
statim ea re-
tulit.

ANNO
CHRISTI
1439

quæ ex eis constant diuina dogmata, cum debueris diuina
verba audire cum timore, & omne quod dicitur suscipere,
& non stolidissime contra pietatem argumentari. Gignit
Deus, non vt homo: gignit autem vere, & ex ipso germen
(aduertite quia non est hic, est, cum tamen intelligatur:
quare non debetis arguere defectum huius verbi) enun-
tiant verbum non humanum, enuntiant verbum vere,
& ex ipso emittit Spiritum per os, non humanitus, quia
nec os Dei corporale est: ex ipso Spiritus, non aliunde. Mo-
do videtis, quod arguit contra illos qui volebant dicere,
quod erat opus manus Dei; & suadet, quod non est nisi de
substantia Dei. Sequitur; Operatur Deus manibus non hu-
manis, operatur non ex ipso produciens creaturas, sed ope-
rando subsistere faciens; sicut quæ manibus operatur ho-
mo, non ex seipso producit. Filius est Filius, Spiritus est
Spiritus, non creatura. Nec de Filio quæras, quare Spiritus
non sit vocatus: nec de Spiritu, quare non sit Filius: nec
creaturam Filium aut Spiritum esse blasphemus. Filius
Dei, fructus sanctus ex sancto, sempiternus ex sempiter-
no, Spiritus sancti largitor ad subsistentiam formationem-
que creaturæ. Hucusque apparet, quod ly, Non aliunde, in-
telligitur, id est, non ex alia substantia. Secundo, quod est
Filius sanctus ex sancto, sempiternus ex sempiterno, Spi-
ritus sancti largitor: sequitur, quod si Spiritus sancti largi-
tor, quod Spiritus sanctus accipiat ab eo esse. Dicit enim
Athanasius contra Arianos in 3. libro: Ipse Spiritum dat,
(de Filio loquens) & quæcumque habet Spiritus, a Ver-
bo habet. Modo clarum est, quod Spiritus sanctus habet
esse: ergo si quæcumque habet Spiritus, habet a Verbo,
ergo habet esse a Filio. Et hoc concludit Athanasius solum
ex hoc, quia dat Spiritum. Ergo ex isto capite Basilius vult,
quod Spiritus sanctus accipiat esse a Filio. Modo Basilius
in eodem capitulo dicit, quod est notabile capitulum fa-
ciens ad propositum. Sed ipsi vidistis auctoritatem Basilius,
& ideo audiatis istam, quia est ad idem, in capitulo quod
inscribitur: Quod * nisi quis ex Deo Spiritum dicat, nec
verbum quidem.

EPHES. Auctoritas ista est ex alia parte.

PROV. Placet.

EPHES. Quia colligitis diuersas auctoritates, quasi ef-
S f

Concil. Tom. 33.

* Iste est titu-
lus, s. Verum,
lib. 5. aduers.
Eunomium.

sent in eodem capitulo, sic fecistis de auctoritate Epiphani, quæ visæ sunt vna, & erant quinque. Hoc non permittit intentio disputantis, sed inducit confusionem: ideo sunt inquirenda ista primo.

PROV. Dicatis ad istam quam vos induxistis.

EPHES. Hoc colligitur ex interpretatione auctoritatis per vos pridie productæ, & ex omnibus per vos dictis, quod cum beatus Basilius dicit Spiritum esse ex Patre, non aliunde, non debet intelligi proprie de persona ipsa Patris, ne intelligatur Spiritum non habere esse nisi a persona Patris; sed simpliciter ex Patre, videlicet ex natura Patris, vt sic intelligatur illud, aliunde, non ab extrinseco, neque ab alia natura videlicet tamquam vnum de creaturis, vt Eunomius dicebat. Hanc igitur tuam expositionem & nos suscipimus, & consequenter dicimus, quod quodcumque audimus Spiritum esse a Patre, seu a Filio, non cogimur intelligere propter hoc, quod sit a persona Patris, seu Filii, aut ab vtraque persona: sed possumus simpliciter intelligere audientes a Patre & Filio, quod ex substantia eorum, id est consubstantialis, & non ab alia quadam substantia, tamquam vnum de creaturis: hoc enim & sancti patres in multis locis syllogizando dixerunt. Si autem cum dicitur, Spiritum sanctum a Patre & Filio, statim necesse erat intelligere a personis; non vtique sancti ita syllogizassent, & ista ostendissent.

PROV. Ex verbis tuis duo collegi. Primum, quod si non dicatur in verbis Basili, quod Spiritus procedat a Filio, non cogamur hoc dicere. Secundum, quod intentio Basili fuit ista, quod Spiritus non esset alienæ naturæ, quam naturæ ipsius Patris, & quod non intelligitur ex Patre, sed essentiæ Patris & Filii consubstantialis, ita quod secundum verba vestra, essentia est illa producens Spiritum. Dicitis sic?

EPHES. Intentio magni Basili, cum certaret contra hæreticos, qui dicebant Spiritum alienum a persona Patris & Filii, non erat ostendere vnde procederet; non erat intentio Basili ostendere vnde Spiritus haberet essentiam: hoc namque & ipsi hæretici concedebant, Spiritum habere causam a Deo. Nec etiam erat opus ostendere ex qua persona habet esse: nam & hoc certum erat per euan-

ANNO
CHRISTI
1439.

gelium, cum dicitur, Spiritus qui a Patre procedit. sed intentio Basilii erat, vt ostenderet, quod Spiritus sanctus est ex Deo, non vt alia creatura, sed vt productus ex substantia, vt Filius. Propterea cum dicit, Ex ipso Spiritus, intelligit ex substantia eius, non ab extrinseco.

PROV. Dicitis, quod intentio Basilii est, ostendere, quod Spiritus sit eiusdem naturæ vt Pater & Filius, & non alterius, vt hæretici dicebant: secundum quod non intendebat Basilius tractare de causa Spiritus, an esset Pater vel Filius. Tertium est, quod intentio Basilii est, vt Spiritus esset de substantia Patris, & non de alia substantia extrinsecus. Hæc sunt quæ dixistis. Quoad primum sumus conformes, quod Basilius conatur ostendere, quod Spiritus non sit alterius naturæ a Patre & Filio, vt hæretici dicebant, & hoc concedimus. Quoad secundum quod dicitis, quod non fuit intentio Basilii dicere de causa, an scilicet Spiritus sancti causa sit Pater & Filius; ad hoc dico, quod secundum hoc sequitur contrarium eius quod dixistis. Nam dixistis, non aliunde, id est, non ex alia persona. Modo dicere quod ista persona non est ab alia, est tractare causalitatem. Secundo, quia dicitur in textu, quod Spiritus est ex ore Dei, tunc inquiri, an intelligat ex ore Dei, id est Patris; an ex ore Dei, id est Filii. Quocumque modo respondeatis, oportet dicere, quod loquatur de causa Spiritus sancti, id est de principio. Quoad tertium concedimus, quod Spiritus sit de substantia Patris: & quia est eadem numero substantia Patris & Filii, non est possibile aut imaginabile, quod sit de substantia Patris, quin sit de substantia Filii: & secundum quod accipit Spiritus de substantia a Patre, ita necessarium est vt accipiat de eo quod est Filii, a Filii substantia. Dicatis ad secundam & tertiam, quia in prima convenimus.

EPHES. Cum ego non suscepissem expositionem vestram, non dixi contrarium mihi, sed ego dixi contra te, quia ita manifeste cadis, & implicaris in contradictionem præsentibus istis spectabilibus viris. Nam cum pridie interrogatus fueris, an si cum audiuimus Spiritum esse a Patre, necessario intelligere debeamus esse ex persona Patris: dixisti, quod sic. Ad hoc de Basilii auctoritate, cum autem ipse dicat, ex ipso Patre, non aliunde, ego coegi

* Verba sancti Basilii, ex Patre, & non aliunde, exposuerat Ephesus collat. anteced. ex Patre, & non ex Filio: & modo aliter exponit, nec valet eius excusatio quæ subiungit, vt patet legenti.

Concil. Tom. 33.

S f ij

te iuxta tuam concessionem, concedere, Spiritum esse de persona Patris nude, & non de alia: quæ autem pridie dixi, consequentia erant confessionibus tuis. Postea ingressus es expositionem alteram auctoritatis, quod illud ex ipso Patre, non cogat nos intelligere ex persona Patris, sed quod possumus intelligere, ex Patre, id est ex substantia Patris, & non aliena substantia: adducti ad suscipiendam hanc tuam expositionem, sequentes nos intentionem & sensum tuum, vtrumque diximus, & ex dictis per vos colligimus quæ necesse sequuntur. Sed nos non contrarii fuimus, prout dicis hac tua expositione: sed dicimus, cum audimus Spiritum a Patre esse & a Filio, & ab vtroque esse, non cogimur intelligere a personis, sed intelligimus a substantia eorum, vt consubstantialem: per quem modum possumus dicere ab vtroque esse, & ab vtriusque substantia propter identitatem substantiæ, sed non ab vtrisque personis. Etiam apud sacram scripturam ^a dicitur de Esau ad Iacob, Frater tuus est, & ex natura tua est: manifestum est, quod frater non est de fratris persona, sed simpliciter ex natura fratris, vt eiusdem naturæ & consubstantialis. Et modo paternitati vestræ dicam ad secundum caput, prout dixit paternitas vestra.

^a Videtur potius innuere verba Laban Gen. 29. Os meum est caro mea [& subdit] frater meus.

PROV. Ea quæ dixi in alia congregatione declarando, qualiter Spiritus est ex persona & substantia personæ, totus cœtus reuerendissimorum patrum satis aperte intellexit; & an potuerit inferri ex illa ^b, quod Spiritus non esset ex alia persona, etiam omnibus notuit: & ideo ne consumamus tempus in superfluis, solum ad punctum principale, dico, quod forte Spiritus sanctus dabit concordiam inter nos: vtrum dixerim ex verbis meis, an ex verbis Basilii, dimittamus. Nobis satis placet (quia etiam verissimum est quod dixistis) quod in isto capitulo dixit Basilius, non aliunde, id est, non de alia substantia. Et si hæc est intentio Basilii, in nullo hæc auctoritas faciebat contra dicta mea; & ideo placet vt veniatis ad tertium. Nam dando intellectum ad verbum, aliunde, dixistis, quam de substantia Patris: estne hoc?

^b Basilii scilicet auctoritate adducta.

EPHES. Ita.

PROV. Et propter hoc dico, quod secundum hoc non faciebat contra me illa auctoritas. Dicatis ad tertium, vbi

ANNO
CHRISTI
1459

dicebam, quod non potuit dici de substantia Patris, quin diceretur de substantia Filii, inferendo sic: Sicut accipit de eo quod est Patris a Patre, ita de eo quod est Filii a Filio, cum sit eadem substantia Patris & Filii.

EPHES. Dixistis, quod quia Spiritus sanctus ex substantia Patris dicitur, quod cogimur intelligere eundem Spiritum esse ex substantia Filii, cum eadem substantia numero sit Patris & Filii: hanc dicis causam esse Spiritus.

PROV. Non bene replicas.

EPHES. Quando audimus Spiritum esse ex substantia Patris & Filii, intelligere debemus Patrem & Filium habere ^a causam?

^a Habere scilicet se ut causam Spiritus sancti.

PROV. De necessitate cogimur dicere, quod habeat essentiam a Patre & Filio. Vos si vtimini hoc verbo, causam, pro ^b principio, faciatis ut vultis; nostri theologi non vtuntur. Quia tamen hic Basilius dicit, Ex ore Dei, quæro, an intelligimus ex ore Dei Patris, an ex ore Dei Filii: quia quocumque modo dicatis, idem sequitur. Iam dictum est quod euangelium dicit, quod Spiritus sanctus ex Patre est, accipiens esse: per prædicta modo stat argumentum. Nam sicut accipit de eo quod est Patris a Patre, ergo de eo quod est Filii, a Filio, cum sit eadem substantia Patris & Filii. Exemplum quod adducitis ^c, nihil facit ad propositum: postquam dixeritis, ostendam.

^b Ita & apud Græcum test. 19. & in definitione pro Græcis, sic explicatur terminus, causa, apud Græcos.

^c De Jacob & Eſau.

EPHES. Ea quæ dicta sunt per beatum Basilium, & iacent in euangelio, dimittenda sunt nunc: tu autem ita mihi responde clare & aperte. Cum audimus, Spiritum esse de substantia Patris & Filii, numquid intelligere debemus de necessitate, quod Spiritus habeat causam esse sui a substantia Patris & Filii?

PROV. Actiones in humanis sunt suppositorum: quæro, si hoc est verum.

EPHES. Vos debetis respondere primo, & ego respondebo. Dico quod est suppositorum.

PROV. Declaravi pridem, quod non est possibile in diuinis, quod essentia generet, quia actus sunt suppositorum: ergo sequitur, quod causa esse ipsius Spiritus, est persona, non essentia. Et quia persona Patris generando Filium, communicat totam essentiam suam Filio; ista est causa, quare doctores dicunt, quod Filius est de substan-

tia Patris, & Spiritus de substantia Patris & Filii, ad saluandam vnitatem essentia; & distinctionem personarum, quia personæ sunt vnum, vbi non est oppositio relatiua: & sic habetis intellectum propositionis. Stenus in dicto Basili. Cum dicit, quod ex ore Dei, an est ex ore Dei Patris, an ex ore Dei Filii?

EPHES. Ego non possum concludere quæ dicta sunt per vos, quia videntur inuicem contraria. Nam aliquando dicitis, de substantia Patris & Filii, quæ est vna numero, Spiritum habere esse: nunc autem mutatis dicta, sequimini dicta doctorum, & dicitis, quod substantia per se non generat, sed mediante persona.

PROV. Nunquam dixi mediante persona: dicas interpretis, vt dico.

AND. Quia interpretis non bene exponebat, Colossensis dixit in Græco: postea dixit Colossensis.

COLOSS. Propter æquiocationem vos duo non potestis conuenire. In theologia communi Latinorum & Græcorum, differt dicere diuinam substantiam, & substantiam Patris & Filii: nec intelligatis differentiam realem, sed solam differentiam rationis. Cum itaque audimus doctores dicentes, diuina substantia, intelligimus quid commune Patri & Filio & Spiritui sancto: cum dicunt substantiam primam, intelligimus personam.

* Hanc Colossensis seu Rhodiensis sententiam refert etiam Græcus scriptor scilicet 19. & paulo infra idem replicat, & explicat prout vbi incipit, Attende.

EPHES. Interdum, non semper.

COLOSS. Nos habemus doctores, qui dicunt, quod substantia Patris intelligitur Patris persona.

IMPER. Non videtur posse responderi duobus, maxime adinuicem differentibus.

CARD. Hi duo patres locuti sunt, vt declarentur verba: sed nulla erat differentia.

PROV. Nos dicimus, quod Isaac, vt suppositum, genuit Iacob de persona sua: modo natura Isaac non est illa quæ genuit Iacob, sed natura ipsius Isaac est principium quod produxit illum filium, & est idem quod communicatur. Modo dico, quod Iacob sit de natura Isaac, non potest nisi hoc modo intelligi de Isaac, id est, de supposito agentis, quia actiones sunt suppositorum; & de natura Isaac, tamquam de principio, quod est communicatum, modo si possibile esset, quod natura Isaac & Iacob essent idem:

ANNO
CHRISTI
1439.

cum ramen sint duo numero, exemplum esset bonum. Modo quia generatio in diuinis est infinita perfectionis, ita dicimus, quia Pater quod est hypostasis & substantia, istud suppositum est quod generat, quia generare est actio notionalis, & solum competit supposito. Modo substantia Patris est principium quo Pater generat, & est id quod datur Filio, & quod communicatur Filio per generationem; & est id quod accipitur a Filio, & quod communicatur Filio, sicut in humanis naturalis Isaac est illa quae accipitur a Iacob supposito generato, & communicatur eidem. Sed differentia est propter excellentiam, quia in Patre & Filio & Spiritu sancto vna est numero; & sic in nullo distinguuntur, nisi quia Pater est Pater, Filius est Filius: & dicimus, quod sapientia, bonitas, & inde omnia communicantur cum hac substantia. Modo quia essentia est nomen abstractum significans essentiam, non suppositum, non potest illi competere actus generationis: & quia est vna numero, si generaret, oporteret quod esset distinctio essentiae & naturae in diuinis, quia idem non generat seipsum, sed oportet quod alium generet: ergo concluditur, quod in diuinis essentia nec generat, nec generatur. Cum quaeritur, quomodo est de substantia Patris & Filii, dico quod est de substantia Patris, quae communicatur. Modo pro veritate habenda, quia nulla mihi est sententia, nisi ut veritas habeatur, dicatis ad illud verbum, Ex ore, de quo quaesitum.

EPHES. Collegi ex dictis tuis, quod essentia Patris & Filii, cum sit vna numero, est principium Spiritus sancti: nam hoc^a potius gaudere soles. Cum autem Pater & Filius producant Spiritum sanctum, per communem essentiam illum producant. Quoniam vero cum auditis, ex Patre & Filio Spiritum, necesse intelligitis causam Spiritus esse; numquid non est verum, ut dicamus essentiam & personam causam Spiritus?

PROV. Est principium quo, & quod.

EPHES. Vt cumque sit, essentiam Patris & Filii esse principium Spiritus, ut principium quo: restat igitur, ut substantia Spiritus sit principiata.

PROV. Non sequitur: nam intelligitur ex principio communicante rem vnam, & idem.

^a Termino
scilicet potius
principii quae
causa, secundum
Graecos,
ut dictum est.

AND. Fuit inuicem locutio facta per deputatos hinc inde.

EPHES. Dico, si essentia Patris & Filii communis, quæ est vna & eadem numero, producit Spiritum?

PROV. Non dicitis bene.

EPHES. Dico, si essentia, quæ est communis Patri & Filio, & vna, producit, quid tollit quo minus processio Spiritus sit causata?

PROV. Non sequitur, quia res producta etiam in humanis non producitur nisi ex supposito agentis. Suppositum humanum productum non dicitur, quod sit productum a natura nostra: non valet consequentia, quia humanitas est nomen abstractum secundum theologos, & in suo significato non significat suppositum. Modo dico sic. Hoc nomen, homo, significat id quod subsistit, hoc suppositum producit aliud humanitate: ergo hoc suppositum est productum ab humanitate, non valet consequentia.

EPHES. Sequitur quod homo productus sit ab isto homine humanitate, ut principio quo; & sic in diuinis.

PROV. Et sic non sequitur, quod Spiritus non sit spiritus ab essentia^a Patris, nec spirata, nec genita. Ego dico, quod pro finali habenda veritate, resolutio patrum qui fuerunt in aliis Conciliis, fuit semper ad testimonia sanctorum patrum; ita quod in omni diffinitione fidei cum voluerunt ponere terminum, adducebant testimonia sanctorum patrum, & acquiescebant: & ita ego volebam facere, & ideo induxi auctoritatem, & non rationes. Vos adduxistis auctoritatem Basilii. Satis dictum sit pro intelligentia auctoritatis per vos introductæ, quia omnes intelligunt, quod Spiritus sit ex ore Dei, & quod non est aliunde: ita dicit textus. Postquam ego gessi tibi morem ad auctoritatem tuam, veniatis ad auctoritatem Basilii secundam, quam induxi, & discutiamus testimonium: istud videtur rationabile.

EPHES. Auctoritas illa Basilii suscipiet postea inquisitionem. Videamus dicta vestra. Ergo dixisti, quod in humanis suppositum producit secundum humanitatem, sed non dicitur homo ex humanitate, sed ex hoc homine secundum communem naturam humanitatis. Numquid ita dicendum est in diuinis, quod hoc suppositum non producat

^a Ut principio, quo. Vide statim infra eundem prouinc. vbi incipit, Attende.

ANNO
CHRISTI
1439.

ducatur ab essentia deitatis, sed ab hoc supposito? Si debet dici in diuinis, vt in humanis, non debet dici, quod ex communi diuina essentia producat aliquam diuinarum personarum, cum diuina essentia non sit in se, vt quod producere possit. Cum audimus de substantia Patris & Filii esse Spiritum, non debemus intelligere substantiam velut causam: non est de natura essentiae generare nec in humanis.

PROV. Volo ostendere, quod hoc esse ex alio, intelligatur de persona: & hoc ostendo ex auctoritate Basilii allegata in precedenti congregatione. Dicit sic in 3. contra Eunomium^a: Quæ enim necessitas, si dignitate atque ordine tertius est Spiritus, tertium quoque esse natura? Namque secundum esse a Filio, ab eo esse habens, & ab eo accipiens & annuntians nobis, atque omnino ex ea causa pendentem, pietatis tradidit sermo: natura vero vti tertia, nec ex sanctis scripturis edocti sumus, nec ex his quæ dicta sunt, consequenter colligere possumus. Dicit Basilius, quod ex ipso Filio habet esse, & vt ex causa: non dicit aliud. Dicatis quid vultis modo ex prima propositione hesternæ, quia procedere est habere esse ab alio, prout omnes doctores tenent. Si secundum Basilius hic Spiritus habet esse, & accipit esse a Filio, & pendet ex illo vt ex causa, necessario sequitur, nisi negemus Basilius, quod Spiritus procedat a Filio. Quantæ auctoritatis sit Basilius in materia Spiritus sancti, omnes patres Calchedonenſis Concilii^b in allocutione facta ad Marcianum ita dicunt de Basilio: Sic magnus Basilius minister gratiæ subsistentiarum euentiam declarauit, & sancti Spiritus doctrinam diligentius tradidit, confacerdotum suorum eliciens subscriptionem. Modo si omnes patres Calchedonenſis Concilii dederunt Basilio tanta testimonia in materia Spiritus sancti, & ipse ita clare dicat in hoc loco, videtur necessario, quod & vestri & nostri debent sequi suam doctrinam in re fidei. Hic est textus in Græco antiquissimus: si vultis audire, potestis modo: habet quod est ex Filio, & non fit mentio de essentia.

EPHES. Inquirenda est auctoritas Basilii ex quæſitis propositis.

PROV. Dicatis, quia hæc enucleat omnem nostram disputationem.

Concil. Tom. 33.

T t

^a Vide infra collat. 17. & 18. plura de hac auctoritate.

^b Parte 1. eiusdem Concilii.

EPHES. Repetemus dicta, quod substantiam Patris & Filii, quæ est vna numero, datis principium esse & causam Spiritus, quia videtur ex hoc, essentiam Spiritus factam esse. Deinde duæ substantiæ in diuina Trinitate colliguntur, quæ sunt sibi inuicem oppositæ secundum causam & causatum: hoc autem longe est a theologia Christiana, & penitus alienum, neque ab vlllo doctorum dictum. Nam dicunt: Essentia neque generat, neque producit, neque secundum essentiam Pater generat aut producit, neque Filius, vt vos dicitis, sed secundum suam substantiam, hoc est secundum suam naturalem proprietatem. Ergo communis substantia Patris & Filii non est a se causa, nec aut quo, aut quod. nam neque ipsa, neque per ipsam Spiritus generatur vel producit, sed secundum suam personalem & susceptiuam proprietatem. Hæc denique collecta sunt ex dictis tuis, neque poteris emendare quæ dicta sunt in præsentia, neque alio tempore. Nunc ingrediamur ad auctoritatem Basilii.

PROV. Dicitis, quod videtur sequi ex meis dictis, quod essentia diuina sit causata: sed ego pono, quod essentia*.

EPHES. Non tantum dico, quod substantia diuina sit causata, sed quod sit diuisa.

PROV. Attende ad interpretationem. Substantia quandoque capitur pro eo quod exprimitur per diffinitionem rei; vt dicimus: Diffinitio indicat quod est esse rei: & ista est quidditas, essentia, vel natura; & in suo significato non connotat suppositum, sed semper significat illam formam, siue essentiam, siue naturam. Alio modo (& hoc habetis 5. metaphysicæ in capite de substantia, & nostri doctores ita distinguunt) capitur substantia pro supposito quod substatur speciebus superioribus: sicut dicimus, quod in linea substantiæ, siue prædicamentali, vt ponit Porphyrius, ponitur hic homo, velut Socrates, Plato: & hæc sunt supposita, & vocantur substantia. Ista substantia quæ est suppositum, quandoque vocatur hypostasis, quandoque subsistentia, quandoque res naturæ: & in natura humana vocatur persona, quia est intellectualis naturæ incommunicabilis subsistentia. Itaque in specie intellectuali id quod in aliis speciebus vocatur suppositum, & substantia, & subsistentia, vel res naturæ, in

* Non est finita propositio, interrupta ab Ephesino, quæ statim reslucit prouincialis.

ANNO
CHRISTI
1439.

intellectualibus vocatur persona. Hoc posito, quia doctores sancti volentes instare contra Arium & contra Macedonium (quorum primus dixit, Filium esse creaturam, & non de substantia Patris: secundus dixit, Spiritum esse creaturam) vsi sunt hoc modo loquendi, quod Filius esset de essentia Patris, & quod Spiritus esset de essentia & substantia Patris & Filii. Si capiamus substantiam pro substantia, cum Pater sit in intellectuali natura, & cum sit persona, ita potest dici substantia & substantia, res natura, & suppositum. Si sumatur sic, idem est dicere, quod generare competat personæ Patris, ac si diceretur, quod competit huic substantiæ, quia hæc substantia, quæ est idem quod pater & paternitas, illa est quæ generat, & nullo modo communicatur, quia proprietates non sunt communicabiles. Doctores nostri Latini omnes non vtuntur hoc termino, substantia, pro persona Patris, nec persona Spiritus sancti; sed retinuerunt nomen substantiæ, secundum quod in humanis exprimitur, quod dicitur essentia, vel natura. Cum dicimus secundum Latinos nostros, quod Spiritus est de substantia Patris, capimus substantiam pro essentia, quæ est in Patre. Modo ego distinxi substantiam duobus modis. Substantia quandoque sumitur pro supposito, & tunc est idem quod persona in diuinis, & est idem quod substantia & hypostasis. Alio modo sumitur, & hoc secundum philosophos & theologos, prout dicimus, quod diffinitio indicat substantiam rei: & hæc est quidditas, vocata natura & essentia. Quando igitur doctores nostri dicunt, quod Spiritus est de substantia Patris, vel de substantia Filii, non capiunt substantiam pro substantia Patris, sed capiunt pro natura. Illa ergo essentia est in Patre, & idem est realiter quod Pater. Et nomen Patris dicit essentiam, & dicit relationem, secundum quam hoc suppositum distinguitur ab alio. Hæc essentia communis est in Patre. Illa est quæ communicatur Filio per generationem, & hoc est principium quo Pater generat & producit Filium. Sed hæc essentia non communicatur Filio secundum esse quod habet in Patre. Et in hoc est deceptio tua, quia non intelligis, quod cum dicimus, quod essentia Patris communicatur Filio, non dicimus secundum esse quod habet in Patre, quia sequeretur, quod

Concil. Tom. 33.

T t ij

generaret, quod est impossibile: ista essentia sic absolute, prout potentia generandi, illa est principium, quo & est id quod communicatur & datur a Patre ipsi Filio: modo in generatione Patris respectu Filii omnia communicantur cum essentia, excepto esse paternitatis, seu proprietatis, quia hoc non communicatur. Sed esse principium Spiritus non repugnat filiationi: ergo communicando habet, ut essentiam, ita & esse principium Spiritus sancti: quia esse principium Spiritus in Patre, non repugnat filiationi, seu proprietati Filii. Neque sic consequitur, quod aliquo modo sit causata, vel causet. Hoc modo omnes doctores Latini dant hunc intellectum, & declarant in illis disputationibus, in quibus dicitur, quod Filius est de substantia Patris, & Spiritus de substantia Patris & Filii. Sic teneatis intellectum de substantia cum distinctione, & non eritis in æquiuocis.

AND. Hic fuit lecta auctoritas Basilii in Græco.

CARD. Postquam prouincialis quæsito tuo respondit, respondeas auctoritati Basilii.

EPHES. Nos cum audimus patres primæ Synodi dicentes in primo symbolo, in theologia quæ est de Filio, & Filium genitum ex Patre, id est de substantia Patris; nil aliud intelligimus, nisi de persona eius, hoc est de substantia cum proprietatibus. Placetne vobis hoc, quod substantia dicatur persona, an datur vobis alia forma substantiæ?

PROV. Ego pluries dixi, non capitis? Audistis, quod nos intelligimus secundum duos modos nomen substantiæ. Secundum vnum modum, cum volumus communem substantiam trium personarum ostendere. Secundum alium vero, quando substantiam cum proprietatibus quæ in ea sunt, id est personam. Quando autem in symbolo Concilii primi dicitur, Genitum ex Patre, hoc est de substantia Patris, ex omni necessitate intelligere debemus, id est ex persona Patris, non ex alia specie substantiæ: dico, quod in diuinis doctores non vtuntur nisi istis duobus modis. Sed iste secundus modus apud Latinos nunquam fuit admissus nisi sub nomine substantiæ, vel hypostasis, vel personæ, ne quis posset calumniari, quod poneremus tres substantias. Sed prout fuit conclusum in illo Nicæno Concilio, cum fuit diffinitum, quod Filius esset

ANNO
CHRISTI
1459.

ὁμοῦλα cum Patre, quod dicimus, consubstantialis, illa consubstantialitas illa est, quæ secundum primum modum est communis tribus personis: & de ista omnes propositiones intelligendæ sunt de substantia Patris, vt de principio quo.

EPHES. Dixistis, quod substantia secundum quam est vnum Pater & Filius, eadem est, quæ est communis tribus personis.

PROV. Ita.

EPHES. Vide si verum est dicere, quod ex communi tribus personis substantia procedat personaliter Spiritus. Nam dixistis antea, quod ex communi Patris & Filii procedat Spiritus.

PROV. Vellem vt melius intelligeretur hæc propositio de proprietate & essentia. Facitis aliquam distinctionem inter proprietatem & essentiam?

EPHES. Maximam.

PROV. Quæ est? realis, vel secundum rationem?

EPHES. Secundum rationem nostram.

PROV. Proprietates istæ sunt idem cum persona, scilicet paternitas & Pater?

EPHES. Secundum rem vel suppositum idem sunt; sed distinguuntur ratione.

PROV. Modo in persona Patris est paternitas & essentia, quæ est communis tribus. Persona ergo Patris non distinguitur a paternitate & essentia, nisi secundum rationem. Est sic?

EPHES. Sic.

PROV. Bene dicitis. Cum ergo in Patre non sit nisi paternitas, quomodo Pater generat? quid est quod communicat Filio? an paternitas, vel essentia, vel vtraque?

EPHES. Id quod communicatur Filio, est substantia vel essentia: sed secundum proprietatem eius paternam est principium esse Filii, non ipsa substantia, quæ est communis tribus.

PROV. Id quod communicatur Filio, est substantia, & illa quæ est communis tribus: quia in persona Patris non est nisi ista essentia & paternitas, nil plus. Si ergo non communicatur proprietas, non suppositum, non substantia secundo modo, de necessitate sequitur, quod si

* Quæ est idem quod suppositum, vt paulo supra declarauit idem prouinc.

Pater communicat quid Filio, communicet communem essentiam.

EPHES. Ita, hoc nos diximus, quod communis tribus substantia est, quam Filio communicat; quæ cum sit vna numero, diuiditur.

PROV. Verbum, diuiditur, non est in diuinis: dicas.

EPHES. Quæ cum sit vna numero, diuiditur secundum rationem nostram in Patre & Filio & Spiritu sancto: & propterea dicitur a nobis substantia Patris, & substantia Filii, & substantia Spiritus sancti; intelligentibus nobis per distinctionem horum nominum vniuscuiusque personam. Quid est, quod vos colligitis?

PROV. Id quod ego colligo ex istis, colligo vnum, quod est contrarium eius quod dixistis: quia si ista essentia diuiditur in tribus personis (quod est falsum) sequeretur, quod essentia Patris quæ communicatur Filio & Spiritui, communicaretur secundum rationem, & non secundum rem. Hoc est falsum, & contra doctores, qui dicunt, quod realiter communicatur: & si qualibet persona non habeat rem nisi per rationem, sequeretur quod essentia secundum rationem distincta.

EPHES. Ego non dixi, quod personæ sint distinctæ secundum rationem: sed cum nos intelligimus proprietatem simul cum substantia, distinguimus vnamquamque personam, & dicimus substantiam Filii ex substantia Patris, propter quæ volumus ostendere personam Filii esse ex substantia Patris: & sic constituimus diuinas personas habentes proprietates suas, non quod ipsæ personæ secundum rationem adinuicem distinguantur.

PROV. Vos dicitis, quod communicatio essentiæ est secundum rationem.

EPHES. Non dixi, sed ratione distinguuntur in tribus personis. Quærimus a vobis, quomodo intelligatis, Substantia Patris, substantia Filii, & substantia Spiritus sancti. Intelligitis distinctam?

PROV. Dixi, quod doctores nostri Latini sumunt in diuinis substantiam pro essentia, non pro subsistentia: & ideo nunquam dicimus, quod sunt tres substantiæ, licet dicamus, quod sunt tres subsistentiæ & tres hypostases & personæ realiter distinctæ, sed in essentia est vnum, & vnus

ANNO
CHRISTI
1439.

Deus. Personæ constituuntur ex essentia & ex proprietate: & ideo nil plus est in persona, nisi essentia & proprietas: & ista duo proprietates & essentia sunt vnum secundum rem, & secundum proprietatem personæ distinguuntur realiter, quia sunt ad aliquid; & secundum essentiam sunt vnum, & est vnus Deus; & hæc essentia communicatur.

AND. Ad alium diem, adstrictis rerum angustia audientium sensibus, negotium est dilatatum, Græcis volentibus.

NOTÆ AD DECIMAMSEXTAM
COLLATIONEM.

¹ *Causa.*] Græci pro principio dicunt causam, vt habetur in definitione huius Concilii. Vide opuscul. Beslarionis ad Alexium, in fine huius operis cap. i.

² *Replicas.*] Vim faciebat prouincialis, vt Ephesus concederet, Spiritum procedere etiam a Filio, & non tantum esse consubstantialem Patri & Filio, vel procedere a Patre, cui est consubstantialis Filius, & non a Filio, vt infra.

³ *Sequitur.*] Iam dixerat non esse principiatam, quia intelligitur ex principio communicante vnum & idem. Modo vltius respondet, non esse principium & causam ipsam essentiam, nisi vt in supposito.

⁴ *Persona Patris.*] Sensus prouincialis est, quod cum dicit Concilium Nicænum, *Genitum ex Patre, hoc est de substantia Patris*, intelligendum est de persona Patris vt quod, & de essentia vt quo, non autem quasi ex aliqua tertia specie substantiæ. Ideo subdit Concilium ibidem, *Consubstantialem Patri*: tunc enim agebatur de hoc articulo consubstantialitatis contra Arium.

COLLATIO DECIMASEPTIMA.
DIE VIII. MARTII.

*Examinatur auctoritas Basiliæ de processione Spiritus sancti
a Filio, variis allatis codicibus tam integris,
quam corruptis.*

AND. DIE octaua Martii in conuentu Florentiæ tertio Ephesus hoc modo colluctationi principium dedit.

EPHES. Prædie, reuerendissime pater, dimisimus secundam auctoritatem Basiliæ per vos allatam: quare videtur, vt legatur auctoritas, si placet, vt ambo illam consideremus.

AND. Fuit lecta auctoritas in Græco, demum in¹ Latino. Quæ autem necessitas, si dignitate aut ordine tertius est Spiritus, tertium esse natura? Dignitate namque aut ordine secundum esse a Filio, cum ab ipso habeat esse, & ab eo accipiat & annuntiet nobis, & omnino ab illa² dependeat causa, pietatis tradit sermo: natura uti tertia, nec a sanctis scripturis edocti sumus, neque ex sanctorum dictis colligere possumus.

EPHES. Liber iste reperitur apud nos ita corruptus, ita adulteratus circa istam auctoritatem, ut per vos dicta est. Nam sunt in Constantinopoli quatuor vel quinque libri, qui ita etiam se habent. Libri enim qui sanam & incorruptam habent sententiam, sunt prope mille, vel plures, qui quidem digni sunt & propter multitudinem & antiquitatem, & qui etiam seruant consequentiam secundum intentionem doctoris. Videtur, quod id quod passum est sanctum symbolum^a, manifeste hoc idem passus sit liber per manus eorum qui alias sentiunt, & suscepit additionem, quæ multam contrarietatem habet, & quæ multam incongruentiam, & in consequenter & auctoritati & intentioni doctoris. Primo itaque aspiciamus librum istum antiquissimum apud nos, ubi nulla est additio: deinde inquiramus consequentiam auctoritatis ad ea quæ dicta sunt, & quæ sequuntur intentionem doctoris.

^a Intelligit de addit. process. a Filio, quam Iulianus card. supra ex vetustis codicibus probavit legi in simbolo septimæ Synodi.

PROV. Audiatis, & postea legetis. Audiuimus duo a vestra paternitate. Primo, quod libenter voluissetis profequi materiam, de qua in præcedenti congregatione feceratis mentionem. Et quia propter meam requisitionem descenditis ad auctoritatem Basiliæ, reseruantes illa ad sequentia, & super hoc multum mihi placet ut semper incipiamus a testimoniis sanctorum patrum; quia semper testimonia termini sunt, ad quos vos & nos debemus intendere: post testimonia ero paratissimus respondere ad quæ sita tua. Secundum dixistis, quod liber noster fortasse patitur calumniam per additionem, ut etiam alias dicebatis de additione in simbolo. Ad hanc particulam de simbolo sic dicimus, quod ita clare per reuerendissimum dominum cardinalem dictum est, ut nil lucidius dici possit. Ad primum, sicut alias dictum est in loco isto, si aliquid dubitationis apud vos remanet, expleta ista materia, semper
erimus

ANNO
 CHRISTI
 1439.

erimus parati respondere. Ad factum libri ita dicimus, quod iste liber de anno praterito de Constantinopoli adductus est, & dominus Nicolaus de Cusa portauit: & est liber in membranis, non in papyro, & antiquissimus, ita ut secundum iudicium plurimorum qui viderunt, visa antiquitate, videtur scriptus vltra 600. annos, & sic ante separationem hanc: & est ita correctus, & appuntatus, & ordinatus, ut nil deficiat. Dico igitur, quod falsitas non potest attribui huic libro de additione. Primo quia nunquam fuit apud Latinos, nisi modo. videatis omnes vos si est posita rasura vel additio. Secundo, quia ratio istius additionis, de qua dicitis, non videtur posse attribui Latinis. Ratio est, quia vsque ad horam presentem, (ut cum venia semper dicam) ex vestrismet libris, & ex Synodis antiquissimis apparet manifeste, quod vitium corrumpendi libros, & auferendi quæ quandoque faciebant contra impugnantes fidem, fuit deprehensum in partibus vestris. Legatis in epistola per Cyrillum ad Ioannem Antiochenum scripta, cuius initium est; Exultent caeli: in fine illius, quæ etiam subscripta fuit a tota Calchedonenſi Synodo, ita scribit: ^a Nam si quidam eorum qui recta pervertere solent, meas voces immutant ad placitum, non admiretur hoc tua sanctitas, sciens, quoniam etiam omnes hæretici de scripturis diuinitus inspiratis suorum colligunt errorum occasionem, ea quæ dicta recte sunt, sua malitia corrumpentes. Et ponit exemplum, vltra suam, de Athanasii epistola, ostendens quod epistola Athanasii ad Epiſcletum fuit corrupta. Idem beatus Cyrillus scribens ad Acacium in epistola cuius initium est, ^b Mutua re vera locutio; in fine ita loquitur: Si autem quasi a me scripta, a quibusdam proferratur epistola, quod pœnitentiam egerim de his quæ apud Ephesum gessimus, derideatur. nam sumus per Dei gratiam in bono sensu, nec extra rationem rectam ferimur. Ex quibus verbis habetur manifeste, quod semper Cyrillus fuit illius sententiæ, qua fuerat in tertia Synodo: & in illamet epistola introducit Emisenum episcopum, qui detulerat Cyrillo illam epistolam Athanasii ad Epiſcletum corruptam, & interrogabat Cyrillum, si erat eiusdem fidei, prout Athanasius: & beatus Cyrillus ita respondit: Si habes epistolam Athanasii ad Epiſcletum integram, & non cor-

^a In actis Concilii Ephes. part. 1. cap. 14.

^b Alias, Res sane dulcis. In act. Conc. Ephes. part. 1. cap. 35. in fine.

ruptam, eiusdem fidei sum cum Athanasio. Viderunt hanc epistolam cum illa quam habebat apud se, & apparuit, quod erat difformis: & in toto oriente non fuit reperta epistola integra Athanasii, nisi apud Cyrillum; unde ille Emisenus correxit suam ad exemplum illius quæ erat apud Cyrillum, & misit correctam Ioanni Antiocheno. Modo non videtur irrationabile, quod stante isto dissidio nostro, illi primi, quibus magis imputandum est quam posterioribus, assumentes occasionem diuisionum ex hac parte processione Spiritus sancti a Patre & Filio, quæ semper fuerat a principio fidei nostræ vsque ad illam horam clara, ad remouendum hoc quod Basilius ponit, quod corruerint libros, de quibus dicitis: unde verisimiliter creditur, quod Spiritus sanctus reseruauerit hunc librum in vrbe Constantinopolitana, vt non inueniretur ab illis. Quare ex dictis nulla sequitur ratio, quod hic sit fallacia additionis. Vltius, quia nos & vos conuenimus ad videndum veritatem, ex mutua caritate in sancta intentione debemus inuicem libros communicare. Et quia res hæc est magni ponderis, si aliquis apud vos habet librum Basilii antiquissimum, producantur omnes vestri, & conferantur cum isto. Secundo videantur sequentia, vt ex præcedentibus & sequentibus de necessitate concludatur, quod ita voluerit. Hæc sunt quæ pro nunc habemus.

CARD. Legatur particula, prout in libro vestro: & ostendatur liber noster, & vester est in papyro?

EPHES. Ita.

ANDR. Hoc medio inuicem ostensi sunt libri imperatori.

EPHES. Quod liber iste similis apud nos inueniatur habens additionem, prout & vos produxistis, nos etiam professi sumus: propterea non est mirandum si liber iste de libris illis qui inueniebantur in Constantinopoli, habitus sit. Videtur itaque potius non fecisse nos talem additionem. Nam si nos fecissemus, de facili potuissemus nos delere omnes libros qui in Constantinopoli inueniebantur, cum sint pauci libri, qui hanc additionem habeant. Sed cum vsi fuerimus simplicitate, nos permisimus vt starent libri, in quibus erat contraria opinio, de quibus potest dici hunc inde transductum. Verisimile etiam est librum hunc

ANNO
CHRISTI
1439.

fuisse scriptum ab aliquo, qui apud illas partes fuit illius opinionis: & hoc modo non est mirandum, cum verisimile sit, etiam in istis partibus fuisse aliquos, qui fuerunt nostræ opinionis. Quod autem multoties corruptio facta fuerit in illis partibus a nonnullis hæreticis, qui novas quasdam opiniones inducebant in ecclesiam, assentimur, & habemus auctoritates quas produxistis, quæ dicunt quod dicitis. Sed apud vos bene scitis fuisse tempore papæ Zosimi producta gesta Nicæni Concilii ad Concilium^a Carthaginense. Nam scripsit ille papa Zosimus illi Concilio, quod Nicænum Concilium in Canonibus suis dedit auctoritatem apostolorum & primatum totius orbis summo pontifici Romano^b, allegatis Canonibus quibusdam Concilii Nicæni: quem Canonem cum non cognoverint, qui erant in Concilio Carthaginensi, non susceperunt ita de facili, sed dixerunt: Nos nil tale habemus in Canonibus Nicænis, & propterea quæremus authentica Nicæna a pontificibus orientalibus, hoc est a patriarcha Alexandrino beato Cyrillo, & Constantinopolitano beato^c Sophronio. Hæc authentica Nicæna fuerunt requisita a dictis episcopis per epistolas Concilii, & missa fuerunt eis, & inuenta sunt nullatenus habere Canonem illum, quem papa produxit: propterea scripserunt ipsi, quod non quæreret amplius auctoritatem apostolorum, cum non fuerit ei tradita per Canones Conciliorum. Vides quomodo papa ille adulterinum Canonem produxerit, præsertim cum scripserit ad tale magnum Concilium, & de tam maxima re. Non est itaque mirandum, si apud nos aliqui libros corruerint, volentes innouare dogmata, & inniti voluntatibus propriis. Et in hac auctoritate Basilii est multitudo & antiquitas librorum, quæ libro nostro victoriam dant: & hoc ipsum, quod fuerint libri pauci, & quod non fuerunt deleti, licet fuerit possibile propter paucitatem, videtur quod confisi nos veritate & aliis vocibus Basilii patris nostri, hanc additionem permisimus stare in huiusmodi libris, prout stat.

PROV. Legatis, prout habetis: legatis illa verba, vbi incipit^d, Quæ est necessitas, ad verba Eunomii, illa videlicet: Cum vero sufficiant tanta de Vnigenito, iustum est de Paracleto dicere, neque sequentes aliorum opinio-

Concil. Tom. 33.

V u ij

^a Carthaginense V I.

^b Et in specie de appellat. ad sedem apost. vt statim infra in responsione pronunc. vbi incipit, Multa dicta, hac eadem collat.

^c Proclo.

^d Incipit examinare antecedentia & consequentia verba sancti Basilii lib. 1. contra Eunomium initio, vt appareat sensus eiusdem ad confirmationem præcedentis auctoritatis adductæ ex eodem, & pro clariori intelligentia videndus est textus sancti Basilii.

nes non exquisitas, sed custodientes in omnibus sanctorum doctrinam, a quibus cum tertium ipsum dignitate & ordine didicerimus tertium, & natura credimus.

EPHES. Eunomius sic dicit.

PROV. Nos scimus.

EPHES. Eunomius sic dicit, quod cum voluerit dicere de Paraclete, non sequeretur opinionem multorum, sed custodiret sanctorum doctrinam, a quibus didicit Spiritum esse tertium in dignitate & ordine, & propter hoc tertium esse natura. Videamus quid ad hoc dicat Basilius.

AND. Surrexit legens hæc verba Basili. Quod autem ipse non putet oportere in simplici & rudi fide multorum manere, sed artificiosis quibusdam & sophisticis sermonibus iterum ad id quod sibi videtur, decipiat veritatem, satis ex his quæ dixit, ostendit. Nam cum ipse contemnat multorum opiniones, qui sentiunt Spiritum sanctum nosci ex sanctorum doctrina, hos qui eam tradiderunt, tacet: nunc etiam illa faciens, quæ in sermonibus qui sunt de Unigenito, fecisse ostenditur, dicit a sanctis didicisse tertium esse dignitate & ordine, a seipso credidisse tertium esse natura. Qui autem sint sancti, & quibus sermonibus dixerint, dicere non potest. Numquid fuit vnquam homo sic audax, qui diuinorum dogmatum inuolutiones induceret? Itane se habet liber vester?

PROV. Ita: hic dicit Basilius occurrens Eunomio, quod ab his quæ dixit, manifestauit satis, quod ipse non vult perseverare in simplici & rudi fide multorum, sed decipit veritatem, ut sibi videtur, & contemnit multorum opiniones, qui sanctificant Spiritum. Fingit se custodire doctrinam sanctorum: qui autem sunt sancti, & quibus sermonibus dixerint, tacet: ipsum inculpat ut audacem, & inuolutionem dogmatum producentem. Habesne quæ dicta sunt?

EPHES. Videtur ex his beatum Basilium non suscepisse, quod sanctorum hæc fuerit doctrina, tertium esse dignitate & ordine Spiritum. Imo ipse accusat Eunomium, ut audacem & fallacem. Nonne de necessitate quæ dicta sunt, inferuntur? Videamus quæ sequuntur, & addiscamus, si potius quæ sunt in vestro libro, faciant pro nobis.

ANNO
CHRISTI
1437.

PROV. Vos videmini inferre, quod nos non inferimus.

AND. Continuauit legens. Quæ ergo necessitas est, si dignitate & ordine tertius est Spiritus, tertium etiam esse natura? Nam dignitate quidem secundum esse a Filio tradit forte pietatis sermo: natura autem tertia uti, nec a sanctis doctrinis docti sumus, neque ex his quæ prædicta sunt, consequenter possibile est syllogizare vel colligere. Nam sicut Filius ordine secundus a Patre, quia ab ipso est, quia principium & causa ipsius est Pater, & quoniam per ipsum accessus est ad Deum Patrem; natura non secundus, quia deitas in utroque vna est: manifestum quod Spiritus sanctus etsi succedit Filio dignitate & ordine, non inde sequi verisimiliter, ut concedamus ipsum esse alienæ naturæ.

EPHES. In hac parte cum primo inculpauerit Eunomium Basilius, ut innouatorem & audacem, quia sanctis apponebat quæ per ipsos non sunt dicta: postea concedit per suppositionem tertium esse dignitate & ordine Spiritum sanctum, sed non ex hoc, ut ex necessitate, inferri tertium natura. Eunomium improbat dicentem se custodire doctrinam sanctorum: Contemnens, inquit, opinionem multorum, qui Spiritum sanctum glorificant, dicit se custodire doctrinam sanctorum: sed qui sunt sancti, & quibus sermonibus hoc dixerunt, nunquam ausus est ostendere audax homo, qui innouator est dogmatum diuinorum. In his Basilius videtur clare nullo modo suscipere nec putare esse doctrinam sanctorum, tertium esse dignitate & ordine Spiritum. Postea cum hoc concesserit per suppositionem infert sic: Quæ necessitas, si dignitate & ordine tertius est Spiritus, tertium esse natura? Nam esse a Filio dignitate secundum, tradidit forte pietatis sermo. Ita liber noster habet, cum liber iste sit antiquissimus, ut videtur, & consona sint dictis. Qui enim omnino noluit suscipere, tertium esse ordine & dignitate Spiritum, nec putare doctrinam sanctorum, sed dedit per suppositionem, quomodo ipse poterat reddere rationem, quod propter hoc secundus est a Filio Spiritus, quia ab ipso habet esse, & accipit, & annuntiat nobis? Id quod non suscepit prius, quomodo de eo debeat reddere rationem? & impertinens est additio intentioni beati Basilii: hoc magis est

conueniens, quod in nostro iacet libro, quod per suppositionem det hoc: & inferius dicit amplius, cum dixisset exempla angelorum, sic in libro nostro dicit, nescio si taliter & in vestro iacet: legantur exempla.

PROV. Scio exempla de angelis, & de sanctis, & de stellis.

EPHES. Volo quod legantur.

AND. Legit lector his verbis sic, videlicet & Spiritum sanctum, licet dignitate & ordine succedat, vt dicunt: accepimus namque tertium a Patre & Filio numerari, ipso Domino in introductione salutaris baptismatis tradente ordinem, cum dicit: *Ite, baptizate in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* sed ad naturam tertiam a natura Patris & Filii deiectum nusquam recepimus.

Matth. 28.

EPHES. Sic positus exemplis, cum dubitatione dicimus dedisse sermonem, quod etsi tertius est dignitate, vt dicunt, (sic in libro nostro iacet) quonam modo Basilius dixisset hoc, & dedisset pro concessio, Spiritum esse tertium, & secundum a Filio, si ex seipso penitus hoc negauit, & alienum a doctrina sanctorum putauit? Quod autem hanc opinionem nullo modo habuerit Basilius, nec senserit Spiritum a Filio procedere, & ab ipso accipere esse, testis est nobis non alius, sed ipsemet scribens in epistola quam scribit fratri Gregorio de differentia essentiae & personae, vt ab auctoritate quae legenda est, manifeste cernitur intentio Basilius, & qualem opinionem habuerit de processione Spiritus. Nam dicit sic in epistola: Quoniam Spiritus sanctus, a quo omnis creatorum bonorum largitio manat, a Filio pendet, cum quo indistanter consideratur, a causa autem Patris pendens, habet esse, vnde & procedit: hoc notionale secundum proprietatem personae habet, quod post Filium & cum ipso agnoscitur, & quod a Patre subsistat: Filius autem, qui Spiritum qui a Patre procedit, per se & cum se ostendit, solus vnigenitus a non genito, lumen splendens, nullam secundum proprietatem notionum habet communicationem a Patre ad Spiritum, sed quod tantummodo his signis indicatur.

In hac auctoritate plane Basilius a Patre solum habere esse dicit. nam dicit sic: Spiritus sanctus a Filio quidem pendet, hoc est, post Filium ordinatus est. Postea reddens

ANNO
CHRISTI
1459.

rationem, non dicit, quod ab ipso procedat, aut ab ipso habeat esse, vt auctoritas quæ a vobis producta est, dicit: sed cum ipso indistanter comprehenditur, cum a Patre procedat: & infert partiali figura diuidens sermonem; A paterna causa pendens habet esse, vnde & procedit. Videtne quomodo soli Patri dat causam Spiritus? quod pendens habeat esse Spiritus? Nunquam in hac auctoritate contraria sibi sanctus dixisset. Nam ratio non permittit hoc Filio dari: datum est sibi notionale signum, quod cum ipso indistanter comprehendatur. & subdit: Filius, qui per se & secum notificat Spiritum. Non dicit, quod ipse producat, sed quod a Patre procedentem notificat. Deinde dicit: Non genitus ex non genito^b Patre splendet. dixit Filium nullam habere communionem iuxta proprietatem huiusmodi, a Patre aut a Spiritu. Non ergo aliquam communicationem habet in productione Spiritus, quæ personæ Patris attribuitur: sed dicit, Cum Filio agnoscitur & Spiritus sanctus, his, & non^c aliis, solus genitus Filius a Patre, quia per se & cum seipso notificat Spiritum. Ergo his solis ostenditur & cognoscitur, & non aliis. Quomodo communicat productioni Spiritus, quæ Patri attribuitur soli?

^a solo scilicet Patre, secundum Ephes.^b Patre, scilicet Filio.^c Scilicet, filii.

PROV. Multa dicta sunt per reuerendum patrem, quæ forte potuissent paucioribus exprimi, si volumus venire ad rei veritatem, cum veritas paucis sit contenta. Sic ergo respondeo breuiter ad dicta duo quæ præmisistis ad deiiciendam auctoritatem: sic dico. Cum ipse dixisti, quod liber productus in medium potuit corrumpi per aliquem ibi existentem, qui teneret nostram opinionem: hoc sic reiicitur, quod a tempore quo liber scriptus est, vt manifeste apparet eius inspectu, eo tempore nulla erat diuisio inter Latinos & Græcos: & hæc videtur satis euidens coniectura. Secundo, quia non est dictum per me, quod patres qui sunt in præsentem tempore, vel qui paulo ante nos fuerunt, debuerunt libros corrupisse: sed dicimus de auctoribus huius diuisionis, qui cum viderunt, quod doctores Græci & Latini hanc opinionem tenerent (vt manifeste ostendetur cum vestris libris) non inuenerunt meliorem viam coloris sui, quam ad falsificandum libros quos potuerunt habere. Quoad secundum sic dico. Alle-

gauisti Zosimum papam, & dixisti, quod misit certos Canones Nicænos ad Concilium Carthaginense; volens inferre, Zosimum misisse Canonem corruptum, & quod Zosimus fecerit hanc falsitatem: non allegasti aliquem doctorem qui hoc dicat, aut hæreticum. Ego allegavi vobis duo magna testimonia in duabus epistolis beati Cyrilli, quarum vna fuit acceptata per totum Concilium Calchedonense. Quare qui talia vult impugnare, oportet vt non loquatur ex se, sed magni doctoris introducat auctoritatem. Debes bene recordari, quod reuerendus dominus cardinalis produxit testes authenticos & antiquissimos, epistolam sancti Iulii ^a papæ, & epistolam Liberii ^b papæ; & qualiter beatus Athanasius in illa persecutione quam habuit a Concilio Antiocheno, vbi fuit damnatus, scribens ad sanctum Marcum ^c & Felicem papam, ac Iulium, ac Liberium, qui omnes fuerunt suo tempore, supplicauit istis pontificibus, vt cum haberent gesta Nicani Concilii in sede Romana, quia per totum orientem ab illis Arianis fuerant corrupta ^d: ibi rescribunt illi pontifices ^e Athanasio, qualiter habebant in patriarchio Romano integra in Græco & Latino cum sigillis & subscriptione patrum qui Nicææ fuerunt, & quod illa reseruabant pro maxima veneratione, & quod nolebant mittere originalia, & quod mitterent certa capitula, eo quod ipse appellauerat a Concilio illo ad sedem Romanam; & insurgabant contra eum illi Ariani, quod non poterat appellare a sententia Antiocheni Concilii ad papam: & vt ipse posset ostendere Canones Nicænos, quorum vigore bene & optime appellauerat, misit Liberius multos Canones Athanasio, qui fuerunt vobis nuntiati in Ferraria, in epistola, inter quos est speciale, quod ad sedem Romanam est appellandum a toto mundo: & ita fuit defensio Athanasius. Et ideo sanctus Iulius papa respondens illis de Antiochia qui fecerant Concilium, multum acerrime eos reprehendit de præsumptione, quia fecerunt Concilium sine consensu sedis apostolicæ; ostendens ex Concilio Nicæno, quod nullum ratum est aut erit vnquam Concilium, quod Romanæ sedis non fuerit auctoritate firmatum. Quomodo possunt dicere, quod Zosimus falsificauerit in re quæ clara est? Dico quod illi Carthaginenses, quia sciebant

^a Epist. quæ incipit: Decuerat vos tom. 1. Concil. edit. Bini Colon. in Iulio, relata c. omnes episcopi 2. q. 6.
^b Epist. 13. tom. 1. Conc.
^c Epist. quæ incipit: Domino sancto, tom. 1. Conc. sub Marco.
^d Subintelligendū, quod sibi transmittent: inde enim volebat probare, licere sibi appellare ad sedem apost. vt ex sequentibus colligitur.

ANNO
CHRISTI
1439.

bant Canones corruptos in toto oriente, & sic^a fuerant missi. Hæc sunt testimonia sanctorum, & possumus etiam ostendere libros antiquissimos. Eadem facilitate refellitur quod dixistis, prout dixistis, stare^b autem, quia in tali casu magis sine testimoniis est loquendum. Nunc ad aliam partem dico sic, quod ex verbis quæ protulistis exponendo dicta Basili, non est mirum, si multa videantur inconuenientia, & cum quæ dixistis, quia fundauistis expositionem super textu corrupto: & dicitur per prouerbium, quod paruus error in principio, est magnus in fine: nil mirum si multa dicta sunt inconuenientia; & ideo pro intellectu veritatis bonum est vt restringamus nos ad duo. Primo dixisti: Spiritus pendet a Filio, sed tamen Filius non est causa Spiritus, sed Pater. Secundo nifus es dicere quod Spiritus non habet talem ordinem & naturam a Filio, vt Filius a Patre: ideo hic dicam certa. Et primo inquiri a te, quid intelligas per pendere & esse, quia dicis differre, esse causam, & pendere ab eo. nam apud nos semper esse dependet a causa, sed in diuinis non ponitur effectus, non principiatum. Hoc non dicimus nos Latini. Dicimus in diuinis, quod Filius est principium de principio, sicut Deus de Deo, quia Pater est principium: & secundum modum loquendi sancti Basili non solum in hoc loco allegato, sed in multis aliis (vt ostendemus) ostendit, quod eo modo se habet Spiritus ad Filium, secundum quod pendet ab eo, vt Filius a Patre, declaret differentiam in diuinis inter pendere & esse causam.

AND. Hic voluit respondere ad omnia, & prouincialis dixit: Dabitur facultas replicandi.

IMP. Ephesinus vult dicere circa certa prima: nam vltimo quæsitæ non sunt pertinentia.

CARD. Conuenimus, vt respondeatur quæsitæ tantum.

IMP. Quia per hunc patrem dixistis, nos sine auctoritate dixisse, volo dare testimonium^c.

PROV. Detur testimonium.

EPHES. Nos testimonium non adduximus, non quod non potuerimus: nam tenemus illud testimonium ex libris qui apud nos sunt. Nam paucos nos portauimus, sed liber ille inuenitur apud vos, & credidimus quod essent nota apud vos.

Concil. Tom. 33.

XX

^a Corrupti, scilicet, fuerat illis missi ab oriente, & ideo quærebant eos ab apostolica sede.
^b Deest aliquid: sensus autem est, quod non sint deprauidæ sententia sanctorum patrum, sed magis sine testimonio loquendum.

^c De his, scilicet, quæ dicitur Ephesinus contra Zosimum papam.

PROV. Quomodo vocatur ille liber?

EPHES. Liber Canonum^a.

PROV. Nunquam reperietur, quod Zosimus fecerit fallaciam.

PAPA. Respondeatis ad quæsitum, & liber producet in alio conuentu.

EPHES. Ut intelligatis primo in quo differt esse causa alicuius, & ab eo aliquid pendens, nos ad hoc dicimus, quod beatus Basilius volens exponere, quid sibi velit illud, Dependens, dicit pendet, id est, cum ipso ordinatur, & cum ipso comprehenditur.

CARD. Dicit post, vel cum ipso?

EPHES. Ea quæ connumerantur, non possunt vna voce proferri, sed est necesse quod personæ ordinentur, & vna præordinetur. Spiritus post Filium ordinatur; hoc aliter se habere impossibile est: non quod ab eo habeat causam; non hoc dixit Basilius: sed pendet, scilicet ordinatur cum ipso, similiter cum ipso percipitur: hoc dicit Basilius. Vos autem ubi inuenistis istam vestram expositionem, ut omne quod ab alio dependet, ab eo habeat esse?

PROV. In diuinis.

EPHES. Ad hanc auctoritatem non egemus interprete, præter ipsum qui dixit, qui intulit causam pendentiæ hoc modo: Quia cum ipso indistanter comprehenditur.

PROV. Ergo pendere secundum Basilius, secundum tuam expositionem, nihil aliud est, quam Spiritum ordinari ad Filium. Quid est iste ordo Spiritus sancti ad Filium? Estne ordo originis, aut secundum causam & causatum? aut ordo. Dicatis, si est originis.

EPHES. Non dico, quod Spiritus ordinetur ad Filium, sed post Filium, ut in connumeratione saluo ordine, & cum necessitas sit post Patrem Filium, post Filium Spiritum.

PROV. Nil aliud est, nisi ordo secundum connumerationem vocis, ita quod secluso nomine, non est aliquis ordo Spiritus ad Filium. Est sic?

EPHES. Est quidem necessitas etiam secundum vocem vestram, ordinare personas diuinas: nam nullo modo possent numerari, nisi seruato ordine. Est secundum rei naturam ordo, ut dicit Basilius, quod Filius solus

^a Intelligit de Concilio Carthaginensi scripto, de quo vide loca supra adducta.

ANNO
CHRISTI
1439.

vnigenitus ex ingenito Patre effulgens, post ipsum debet numerari, vt vnigenitus a Patre: & secundum hanc rationem tertius debet dici Spiritus, ne Spiritus præordinetur Filio, & proxime referatur ad Patrem, & videatur esse alius Filius: propterea cum Filius numeretur proximus post Patrem, tertius est Spiritus connumeratus. Hic est ordo in diuinis, alium ordinem a theologis non habemus.

PROV. Dicitis, quod ex intentione Basilii ille est ordo naturæ Spiritus ad Filium. Oportet ergo intelligere ordinem naturæ inter Patrem & Filium. Estne ordo alius, quam ordo naturæ inter Spiritum sanctum & Filium? Quia ordo naturæ Spiritus ad Filium secundum vos, est ordinatio, non tamen importat causam. Cum autem ordo inter Filium & Patrem non significet nisi pendentiam, cum dicendo, inter Filium & Patrem est ordo naturæ, intelligatur Filium pendere a Patre, & Patrem esse causam: ita non habendo plus ad ordinem Filii ad Spiritum, solum dicendo, quod est ordo naturæ, necesse sequitur, quod Spiritus pendeat a Filio, & sit causa^a. Et hoc probo ex intentione ipsius sancti Basilii. Dicit enim post illa verba quæ fuerunt allegata in hoc libro^b nostro, continuando intentionem per totum capitulum incipit dicere, assignans causam, quare Spiritus existens tertius in Trinitatis ordine & dignitate, sit secundus a Filio, & tamen habeat vnam naturam cum eo: ita demonstrat assignans causam, sicut Filius ordine quidem secundus a Patre, quia ab ipso & per ipsum habemus accessum & adductionem ad Patrem & Deum; natura vero non secundus, quia deitas in vtroque vna: ita Spiritus quamuis dignitate & ordine secundus ordinetur a Filio, non tamen sequitur quod alienæ naturæ existat. Modo in hoc textu volens ostendere quod primo dixit, demonstrat, quod qualis est ordo Filii ad Patrem per hoc, quod Pater est ante & causa Filii, & tamen vna natura; eundem ordinem habet Spiritus ad Filium. Hæc clara sunt ex Basilio, & deducit per exempla inconuincibiliter contra Eunomium: & hæc est sententia totius capituli Basilii dicentis, quod omnes angeli sunt vnus naturæ, in eadem scilicet natura intellectuali: &

^a Principium, scilicet Spiritus sancti.

^b Loco supra citato, scilicet lib. 3. aduersus Eunomium initio.

tamen ponit ordinem inter eos & dignitatem, allegans multos textus scripturæ, per quos ostendit gradus angelorum & dignitatum, & concludit, quod omnes angeli habent ordinem inter se: ^a non sequitur, quod aliquis angelus sit alterius naturæ ^b; quia sicut ordinantur, semper remanent in eadem natura.

^a Subintelligendum, & tamen.
^b Scilicet, quam intellectualis, ut supra dixerat.

EPHES. Est quidem naturalis ordo inter Patrem & Filium, secundum quem Filius habet a Patre esse, & proxime ad ipsum refertur: & hic solus ordo tertium cogit numerare Spiritum. Propter hoc magnus Basilius in Patre & Filio illud pendere nullatenus ponit, nec dicit quod Filius sit secundus, quia ab ipso habeat esse: a Filio dicit Spiritum pendere, hoc est continuum esse & ordinatum cum ipso, ut quia comprehenditur indistanter cum ipso. Et hanc reddit causam, propter quam Spiritus pendeat a Filio, quia de necessitate Filius prius Spiritu intelligitur, quia Filius refertur continuus Patri. Verum si Basilius cognouisset ordinem inter Filium & Spiritum, ut inter Patrem & Filium, atque ita dixisset Spiritum secundum a Filio, ut Filius secundus a Patre, non fugillasset Eunomium, & non vocasset innovatorem scripturæ, eo quod diceret tertium ordine & dignitate esse Spiritum. Ex hoc constat, Basilius non recepisse, sed per suppositionem hoc ponere.

PROV. Loquimini contra textum: vos dixistis, quod inter Spiritum & Filium est ordo naturæ, & quod illa pendentia est ordo naturæ. Nos instamus sic, & super hoc cogita cum hinc recedis, quia ostendimus ex hoc libro, quod eundem ordinem quem Filius habet ad Patrem, ita Spiritus habet ad Filium: & vnum volo dicere imperatori, ut me percipiat.

AND. Voluit verba ad imperatorem, qui doctissimus, ac prudentia & solertia cunctos ex suis præuenire, notissime in pluribus ostendit; & ei hæc verba protulit.

PROV. Doctores nostri theologi semper conantur non mutare terminos a propria significatione, & ubi philosophi vsi sunt terminis propria ipsorum terminatione, ita doctores theologi vtuntur terminis, prout sunt firmi in eorum significatione: alias periret omnis scientia mundi, quia semper essemus in æquiuioco termino-

ANNO
CHRISTI
1439.

ANNO
CHRISTI
1459.

rum. Modo Aristoteles in quinto libro metaphysicæ in capite quod incipit, Natura, ibi primum modum ponit, quod sit generatio nascentium, ita quod natiuitas vocatur natura. Secundus modus est illud principium, ex quo sunt illa nascentia. Et hoc modo sumendo naturam, habet importare ordinem originis, prout nascentia sunt de substantia eius ex quo nascuntur. Et hoc significatu tam doctores Græci quam Latini, vt Athanasius, & Basilius, & beatus Augustinus, nec non & sequentes dicunt, quod ordo originis vnus personæ ad aliam est ordo naturæ: & ad hunc sensum loquitur Basilius & omnes, alias æquiucarent. Ita quod ordo originis nil aliud est nisi capere esse ab aliquo, & naturam eius a quo est, sicut sumitur in illo secundo modo: & ita omnes doctores mundi tenent. Si ergo est ordo naturæ Spiritus a Filio, ergo necessario sequitur, quod Spiritus habeat esse a Filio, & accipiat eandem naturam quam habet Filius. Hoc dicit Basilius in auctoritate adducta: hic est punctus rei nostræ.

EPHES. Antequam diligentius consideremus de ordine naturæ, inquiramus primo quid velit Basilius per hanc auctoritatem. Dicatis mihi; dicitis opinionem Basilii esse, Spiritum ordine & dignitate tertium?

PROV. Ita, & ita loquitur textus.

EPHES. Dicebatne idem & Eunomius se accepisse a sanctorum patrum doctrina?

PROV. Ita dicebat Eunomius, quod acceperat a scripturis, quod Spiritus sit tertius ordine & dignitate: imo in hoc conueniebant. Sed Basilius dicit, quod non sequitur ex hoc, quod sit tertius natura: & in hoc currit tota sententia capituli, vt demonstrabitur.

EPHES. Veritatem ergo dixisset Eunomius, Spiritum ordine & dignitate tertium, & accepisse a sanctis; & conuenisset cum sanctis.

PROV. Ita, & cum Basilio.

EPHES. Videamus si magnus Basilius ita vult.

PROV. Ita.

EPHES. Similiter dicit Eunomius sanctorum custodire doctrinam.

PROV. Liber noster dicit, quod habuit a sanctis, quod Spiritus est tertius ordine & dignitate.

EPHES. Non dicit liber vester, quod simulat Eunomius habere doctrinam sanctorum?

PROV. Infert Basilius: Quæ necessitas est, si ordine & dignitate est tertius, ergo est tertius natura?

EPHES. Non dicit liber vester, simulat?

PROV. Ita, quia simulabat illam illationem, quod esset tertius natura.

EPHES. Basilius non dicit ex his quæ colligebat Eunomius, sed dicit, quod simulat se custodire doctrinam sanctorum, quod sancti dicant, Spiritum esse tertium dignitate & ordine.

PROV. Illa simulatio refertur ad illationem, quia sancti dicentes tertium dignitate & ordine, non faciebant illam illationem: & ideo textus pridie allegatus, post dictum Eunomii singulariter istam illationem dicebat: Sic natura uti tertia, nec ex sanctis scripturis docti sumus, neque ex iis quæ dicta sunt iuxta consequentiam colligere possumus. Et sic contra hanc illationem dicebat * Basilius; etsi non esset tertius dignitate & ordine, ita dixisset, * ut de natura: & quod hoc sit verissimum, per exempla & per deductiones evidentissime colligitur.

* Id est, quod si non esset tertius dignitate & ordine, contra hoc etiam dixisset, ut dixit contra naturam, tertiam.

EPHES. Si opinio sanctorum & ipsius Basilii fuisset, Spiritum tertium ordine & dignitate, non diceret contra Eunomium, quod simulabat se custodire doctrinam sanctorum: imo dixisset, quod custodiret doctrinam sanctorum, nec aliud quid eum colligere præter posita. Illi dixerunt tertium ordine & dignitate: hic colligit, quod sit tertius natura. Nunc Basilius non attestatur, ut veritatem dicenti, sed dicit: Simulat custodire sanctorum doctrinam. Nam consequenter infert instans contra opinionem, quod illos qui sibi tradiderunt hunc ordinem, tacet: qui autem sunt sancti, & quibus sermonibus ^b. Vides quomodo negat Basilius hanc esse opinionem sanctorum & suam. Postea dicit, quod audax est homo, diuinorum dogmatum innovator. Insinuat innovatorem, & audacem appellat, quia dicebat a sanctis accepisse quæ non dixerant: nullus sanctorum dixit tertium dignitate. Et hoc modo dicit Basilius instans contra rationem Eunomii: alioquin ostendatis ex opinionibus sanctorum hæc esse. nam ostendimus, Basilium non conuenisse cum ea, imo extitisse

^b Id, scilicet, dixerunt, tacet.

ANNO
CHRISTI
1419.

ANNO
CHRISTI
1459.

contrarium illius opinionis & doctoris. Nonne habet^a liber? videatur.

^a Scilicet, liber vester.

PRO V. Hoc de libro consistit in facto. Basilius non dicit, quod habuerit a sanctis? Ego adduco testimonium singularissimum, videlicet magni Athanasii, cuius eandem sententiam dicit Cyrillus se tenere. Iste beatissimus Athanasius in ^b dialogo disputans in Concilio sic contra Arium, dicit istis verbis: Spiritus igitur ex Patris & Filii substantia est, cuius scilicet gratia Filius Dei nominat eum in sanctificato ^c symbolo tertium, ubi habet: *Euntes baptizate eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. Ex hoc Athanasius, quod Spiritus ponitur in symbolo sanctificato tertia persona, concludit, quod sit de substantia Patris & Filii, & sic quod necessario habeat substantiam a Patre & Filio. De ordine in ^d epistola ad Serapionem sic dicit, & fundat sententiam super auctoritatibus scripturæ, ita dicens: Spiritus a Filio accipit, iuxta illud quod Dominus dicit: *De meo accipiet, & annuntiabit vobis*. de Filio dicitur: *In nomine Patris venit*. de Spiritu sancto inquit: *Quem mittet Pater in nomine meo*. Dicit, si talem ordinem & naturam habet Spiritus ad Filium, qualem Filius ad Patrem; quomodo igitur, qui creaturam dicit, non etiam de Filio necessario dicit? Nunc inuincibiliter dicitur testimonio fundato a sanctis doctoribus, quod talem ordinem & naturam habeat Spiritus ad Filium, qualem Filius ad Patrem. Modo ex istis habetur, quod est tertia persona, & quod talis est ordo: ex hac auctoritate colligitur, quod Spiritus accipit esse a Filio. Declarate quomodo esse Spiritus accipiat a Filio. Non est credendum, quod Basilius contradicat Athanasio; & in sequenti congregatione, si Deo placebit, ostendetur ex Basiliomet, qui idem dicit cum beato Athanasio.

^b Cuius titulus est, De incarnatione, vel de humana natura Christi, in editione Paris. an. 1572. tom. 3. Vide quæ notavi circa hanc auctoritatem infra collat. 22. ubi denuo eam ponderat pro- uinc.

^c Sanctificatum symbolum vocat verba forme baptismatis. *Matth. 28.* ^d Quæ incipit. *Litteræ sacræ dilectionis tuæ alios. Litteræ tui sanctissimi affectus, in edit. Paris. 1572. tom. 3. Ioan. 16. Ioan. 5. Ioan. 14.*

NOTÆ AD DECIMAM SEPTIMAM
COLLATIONEM.

^a *Latino.*] Verba sancti Basilii libro tertio contra Eunomium in principio. Hanc eandem auctoritatem refert supra Andreas collatione 15. & iisdem verbis Græcus scriptor sessione 20. initio. Ceterum hæc verba, *Cum ab ipso habeat esse, & ab ipso accipiat, & annuntiet nobis, atque omnino ab illa dependeat causa*, etiam hodie desunt in editionibus impressis, quæ tamen essent omnino addenda, vt ex verustis

ANNO
CHRISTI
1439.

quo & Patre subsistit: Filius vero, qui ex Patre progredientem Spiritum per seipsum & cum seipso notum facit, solus unigenitus ex ingenito lumine reluxit, nullamque prorsus notionum communicationem secundum proprietatem suam, tam cum Patre, quam cum Spiritu sancto habet, sed ex dictis iam signis solus cognoscitur.

⁵ Athanasio.] Marcus papa in epistola quæ incipit, Doleo fratres, tomo primo Conciliorum editionis Colonienfis, sub Marco, & in Nicæno Concilio a Pisano collecto libro tertio: & quidquid sit de reliquis in ea epistola contentis, de quibus Baronius tomo tertio, anno 336. num. 58. certe non iure Ephesius cum hæreticis calumniatur Zosimum papam, eo quod asseruerit appellationes ad sedem apostolicam ex Canone Nicæno. Asserit enim hoc etiam Theodoretus libro secundo, capite quarto, ex quo Baronius tomo tertio, anno 325. num. 159. & eodem tomo, anno 347. num. 99. & de Zosimo papa tomo 5. anno 419. num. 70. & 82. Sed quamuis etiam de huiusmodi appellationibus non fieret mentio in Nicæno Concilio, certe Canones Sardicenfis Concilii, quod fuit declaratio & appendix Concilii Nicæni, nomine etiam ipsius Nicæni appellatos fuisse, vide apud eundem Baronium tom. 3. anno 347. num. 99. In Canone autem 5. alias 7. Concilii Sardicenfis aperte statuitur de appellatione ad sedem apostolicam. Vide & Binium tom. 1. in notis Concilii Nicæni, Sardicenfis, & Carthaginensis sexti. Ceterum Canones Nicænos passos esse naufragium, eosque colligendos esse ex auctoritatibus sanctorum patrum, quando pro data occasione eos adducunt, testatur late Baronius tom. 3. anno 325. num. 157. & tom. 5. anno 419. num. 70. & 82.

⁶ Basilius.] Basilius non negabat, Spiritum esse tertium in ordine, sed in natura. sic enim ait loco sæpe citato: *Dignitate namque secundum esse a Filio &c. pietatis tradit sermo: natura vti tertia, nec a sanctis scripturis edocti sumus, nec ex sanctorum dictis colligere possumus.* Et certe vnicuique textum ipsum legenti in fonte, etiam secundum lectionem ipsius Ephesii, nimirum non legendo illa verba, *Cum ab ipso habeat esse, & ab illa dependeat causa*; nihilo minus euidenter apparet Basilius ex doctrina sanctorum admittere, Spiritum tertium esse ordine, non tamen inde inferri, & natura, vt clarius probat collatione sequenti prouincialis. Quomodo autem Basilius intelligat Filium esse secundum, & Spiritum sanctum esse tertium ordine, optime declarat prouincialis infra, hac eadem collatione. Vide & sanctum Thomam 1. parte, quæst. 42. art. 3. & in specie de hac auctoritate Basilius Suarez de Trinitate lib. 4. cap. 15. num. 5. Vasquez in primam partem disp. 167. cap. 2.

COLLATIO DECIMA OCTAVA.

DIE X. MARTII.

ANNO
CHRISTI
1439.

*Auctoritatibus sanctorum patrum disputatur de Spiritu
sancti processione a Patre & Filio.*

AND. DIE decima Martii Florentiæ in conuentu, vt
supra, cœpit cardinalis hoc modo.

CARD. Domine imperator, alias fuit dictum, quod vobis indigentibus de libris nostris, nos exhiberemus, & contra ipsi facerent. Pridie venit in disceptatione de verbis Basiliæ, & dicebant, quod aliter stat in libris nostris, & aliter in suis. Nos scimus, quod vnus ex patribus Græcis habet Basilium: nos petimus vt illum exhibeat; & est pater dominus Mitylenensis.

IMPER. Præsens temporis est disputare, & postea id faciemus.

Luc. 11. CARD. Dicit euangelium: Hoc fac, & illud non omitas. vadat interim.

IMPER. Deliberabimus.

COLOSS. Vidi ego.

IMPER. Mittam.

AND. Cœpit Ephesinus.

EPHES. In præcedenti congregatione, pater reuerendissime, cum proposuerimus examinare auctoritatem magni Basiliæ, & conficere differentiam quæ erat inter libros, quæsiuimus caritatem vestram, si putabatis sententiam vel opinionem fuisse magni Basiliæ, tertium esse Spiritum dignitate & ordine. Cum autem in hoc assenseris, interrogauimus, si etiam sanctorum fuerit hæc doctrina & opinio, vt dicebat Eunomius. Cum autem vos summa promptitudine fuissetis confessi, produximus magnum Basilium manifeste dicentem contra, & vt in libro nostro iacet. Nam, inquit, simulat custodire sanctorum doctrinam, sed non conseruat, & eos qui hanc tradiderunt doctrinam, tacet: consequenter reprehendens eum. Qui fuerint sancti, & quibus sermonibus doctrinam fecerint, numquid dixit, aut fassus est audax homo, qui innuat innouationes doctrinis sanctorum? Si ergo Filius secundus a Patre dignitate & ordine, eo quod ex ipso; Spi-

^a Subdit Ephesinus verba sancti Basiliæ, & ex illis inquit.

ANNO
CHRISTI
1439.

ritum vero sanctum nullo modo suscipit Basilius dicere secundum dignitate & ordine a Filio: non igitur Spiritus est a Filio secundum causam. Ita igitur videtis contradictionem in his quæ vos dicebatis. Deinde vitiatam esse illam additionem colligitis: nam non reddidisset causam, Spiritum sanctum esse a Filio, ille qui nullo modo suscipiebat esse secundum. Hoc autem prætermisistis, sed proposuistis ostendere dictum a sanctis tertium esse dignitate Spiritum. Vnde duas auctoritates proposuistis magni Athanasii, quarum vna simpliciter dicit, quod tertius est ordine Spiritus: altera vero dicit talem ordinem Spiritum habere ad Filium, ut Filius ad Patrem. Ex his tertium esse etiam dignitate probauisse putastis. Ad primam quidem auctoritatem hoc dicimus, quod tertium esse secundum ordinem in diuina Trinitate Spiritum, ut in traditione baptismatis Saluator dixit, etiam nos similiter vobiscum confitemur. Quod autem dignitate sit tertius, admirari nos contingit, quomodo vos capitis hoc dictum, quod nunquam est dictum. Hoc vero in aliis facitis, & dum auditis Spiritum a Patre & Filio, additis, est, & habet esse: dum autem quod a Filio accipit^a, esse dicitis. Hoc autem est accipere ea de quibus quæritur, pro certis; quod est pessima species probationis. Hæc sint dicta ad primam. Ad secundam^b autem dicimus, quod speculanda est intentio istius magni patris in his quæ dicit in hoc, & ad quos sermonem facit. Nam oporteret hunc qui diuinos sermones aggreditur, sicut dicit diuus Cyrillus in actis tertii Concilii, & personas distinguere & tempus, & causam propter quam vnumquodq; dictum est, considerare. Nam isto modo vniuscuiusque auctoritatis sententiam poterit cum gratia Spiritus sancti intelligere. Dicit recolendissimus Athanasius impugnans eos qui Spiritum sanctum impugnabant, qui ordinabant Patrem cum Filio, & eiusdem substantiæ & gloriæ esse profitebantur: Spiritum sanctum autem distinguentes, non dicebant connumerari, sed alienæ cuiusdam & creatæ naturæ. Ad hos cum inueheretur ille generosus, & volens^c consubstantialitatem Spiritus sancti, & æqualitatem naturæ ad Patrem & Filium, ab hoc in quo ordinabatur illis, & eiusdem voluntatis & actionis; ab his enim semper doctores identitatem vere ostendunt.

Concil. Tom. 33.

Y y ij

^a Negabat Ephes. quod accipere a Filio esset idem quod esse a Filio.

^b Sancti Athanasii, quam in fine antecedentis collationis adduxerat prouinc.

^c Subintellige, demonstrare.

^a Quam item
adduxerat
provinc. in fi-
ne anteced.
collar.
Ioan. 3.

Ioan. 16.

Ioan. 17.

Ioan. 16.

Ioan. 15.

Ioan. 16.

Ioan. 14.

^b Id est, si fu-
isset vestrae o-
pinionis.

Ioan. 8.

Ioan. 14.

debant; talia dicit in epistola^a ad Serapionem episcopum: Filius quidem a Patre mittitur; nam ita dicit: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum mitteret.* Filius vero Spiritum mittit. Nam inquit: *Si ego abiero, mittam Paracletum.* Filius quidem glorificat Patrem, dicens: *Pater, ego glorificavi te.* Spiritus autem glorificat Filium: nam ille, inquit, *glorificabit me.* Filius dicit: *Ea quæ audiui a Patre, hæc loquor in mundo.* de Spiritu autem dicit: *De meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Filius in nomine Patris venit; de Spiritu inquit Filius: *Quem mittet Pater in nomine meo.* Talem autem naturam & ordinem habens Spiritus ad Filium, qualem & Filius ad Patrem, quonam modo, qui hunc creaturam dicit, non idem etiam de Filio ex necessitate sentiet? In his vero non videtur doctor discretus voluisse ostendere unde habeat causam sui esse utraque personarum, imo potius unitatem & consubstantialitatem, ab identitate scilicet voluntatis, & proportionem operationum ostendit. Denique non dicit Filium habere esse a Patre, Spiritum a Filio; neque quod Pater Filium producat, & Filius producat Spiritum. nam hoc ipse dixisset, si voluisset secundum vestram opinionem^b. Nuncautem, his omissis, dicit, bonam voluntatem Patris quam semper Filius facit, prout & Filii rursus, quam semper facit Spiritus. Filius quidem, inquit, a Patre mittitur, Filius vero Spiritum mittit. Bonam voluntatem missionem esse dicit magnus Gregorius. Igitur bonam voluntatem Filii, puta missionem Spiritus. Filius quidem glorificat Patrem, Spiritus glorificat Filium. In his analogia operum & identitas voluntatis videtur. Quoniam enim ante Filius apparuit mundo, præcognito iam Patre, post hoc cognitus fuit Spiritus, ne viderentur anteferri, vel contrarii dii. Ideo Filius glorificat quidem Patrem, & perficit illius opus: & Spiritus glorificat Filium, & quæ dimittit ille, reuelat discipulis. Filius quidem inquit: *Quæ audiui a Patre, loquor in mundo.* Spiritus vero a Filio accipit, & annuntiat. Nota pater, quos sermones accipit a Filio, annuntiat discipulis: & Filius quæ audiuit a Patre, illa loquitur in mundo. Non ergo etiam esse accipit, ut dicebatis. Et Filius venit in nomine Patris: *Spiritus vero,* inquit Filius, *quem mittet Pater in nomine meo.* Per om-

ANNO
CHRISTI
1439.

nia identitas voluntatis & analogia operum ostenditur: ex ipsa autem & essentia identitas de necessitate colligitur. Nam talem ordinem Spiritus ad Filium habet, qualem & Filius habet ad Patrem. hoc est, ita coordinatus est, & eiusdem naturae Spiritus cum Filio, ut Filius cum Patre. Et quonam modo isti dicunt creaturam Spiritum, non & de Filio idem sentient? Nam sic ordinatur Spiritus ad Filium, ut Filius ad Patrem, & eiusdem est naturae, sicut & identitate voluntatis, & analogia operum ostenditur. Quonam modo est creatura Spiritus? Haec est sententia sancti, & ad hanc intentionem dixit quod dixerat, volens ostendere, non discretionem, imo potius unitatem essentiae: & sic non prodest auctoritas vobis, nec opitulatur opinioni vestrae. Quod autem magnus pater Athanasius non eandem vobiscum habuerit opinionem de processione Spiritus, nec Filium senserit causam Spiritus, nec propter hoc hunc ordinem dixerit, manifeste colligitur ex his quae in aliis dicit, tradens discretionem diuinarum personarum, solum fontem deitatis dicens Patrem, ut solum non genitum. Hoc autem idem est ac si dixisset, solum genitorem, & solum spiratorem. Non ergo etiam Filium sensisset causam Spiritus, qui dicebat Patrem solum fontem deitatis. Habet se auctoritas sic, cuius sermonis intitulatio est, De coaeterna Filii & Spiritus subsistentia: Separatur ab his qui iudaizant, & ab his qui corrumpunt Christianismum, qui Deum de Deo negant, Deum vnum similiter ut Iudaei dicunt: non quia solus^a non genitus, & solus fons deitatis: propterea dicunt solum Deum, sed tamquam infecundum Filii, & infructuosum viventis verbi. Si igitur solus fons deitatis Pater, ut non genitus, hoc est solus genitor Filii, & solus spirator Spiritus: non ergo magni Athanasii opinio fuerat, causam esse Filium Spiritus, & a Filio Spiritum habere esse.

^a Pater. filii-
cet.

PROV. Iste modus inuestigandi veritatem, quam omnes optant intelligere, cum tam prolixis sermonibus & allegationibus, magis impedit veritatem, quam declarat: nec haec fuit intentio a principio nostrae disputationis, sed ut de argumento in argumentum, dato responso, procederemus. Omnes hi patres reuerendi fatigati audientia vnius horae solum ad respondendum auctoritatibus vltimae

allegationis, credo quod parum intellexerunt de respon-
sione ad illas duas, hoc excepto, quod imposuistis mihi,
quod solitus sim inducere auctoritatem cum verbo, est,
cum desit verbum, est. Item quia secundum auctoritatem
magni Athanasii, in qua dicit, quod talem ordinem & na-
turam habet Spiritus ad Filium, qualem habet Filius ad
Patrem: non significat quod inferebam, & tamen nun-
quam replicaſtis hanc auctoritatem in propria forma: nun-
quam bene respondet, qui non bene replicaſcit: sed multas
auctoritates introduxiſtis, nec introduxiſtis antedictas.
Secundo intrauiſtis materiam de productione diuinarum
personarum, & de missione. De qua missione temporalis,
necessario tempore suo concludetur, quod si Spiritus san-
ctus mittitur temporaliter a Filio, quod aeternaliter pro-
cedit ab eo: & sic non erat materia hæc introducenda,
quia non faciebat ad propositum: tamen tempore suo re-
spondebimus. Sed vnum volo scire, si dixiſtis hoc modo,
videlicet, quod Filius audit a Patre, & sic audiendo acci-
pit sermones a Patre; quia audientia est respectu verbi, &
hoc est notum in euangelio. Ita dixiſtis quod audit Spi-
ritus a Filio, & sic per illam audientiam accipit sermones a
Filio. Modo hoc bene conceditis; sed dicitis, quod non
sequitur, quod accipit esse. Estne verum, quod hoc di-
xiſtis?

EPHES. Ita dixi, quia & scriptura hoc dicit.

PROV. Ex hac audientia concludam, quod accipit esse
aeternum, ex multis auctoritatibus doctorum vestrorum
& nostrorum. Modo respondeo ad duo dicta. Primo dixi-
ſtis, quod in præcedenti congregatione cum interroga-
uiſti, an sententia Basilii esset, quod Spiritus esset tertius
dignitate & ordine, quod ego respondi, hanc esse opi-
nionem Basilii. Et hoc iterum dico, & verissima est sen-
tentia Basilii, quod Spiritus est tertius dignitate & ordi-
ne, quia liber noster hoc expresse & manifeste dicit. Se-
cundo interrogauiſti, an esset opinio sanctorum: & ego
dixi, quod sic: & voluisti inducere contrarium, sicut &
nunc replicaſti, dicens, quod Eunomius secundum ver-
ba Basilii, contemnens opinionem multorum qui glorifi-
cabant Spiritum, simulabat se doctrinam sanctorum ser-
uare, & eos qui hoc dicebant, reticebat. Postea reassum-

ANNO
CHRISTI
1439.

psistis verba vltima, vbi Basilius dicit, quod sanctos qui dixerunt dignitate & ordine tertium esse Spiritum, non potuit adducere. & concludit: Ergone tam audax homo, qui diuinorum dogmatum introduceret nouitates? Ex hoc volebatis inferre contra dicta mea, quia dicit Basilius, quod non potuit adducere: ex quo sequebatur secundum te, quod sancti doctores non erant huius opinionis, cuius contrarium ego dixi. Hac volui dicere propter verba Basili, vt solutio melius intelligatur; & quia nos habemus Basilius, quem putamus esse verissimum; & quia hic alius qui adducetur, & qui est antiquissimus, idem dicit quod noster, vt dicitur nobis ab his qui legerunt in illo libro.

AND. Hoc medio portatus est liber, qui erat archiepiscopi Mitylenensis, qui repertus est ad literam conformari nostro, & erat antiquissimus liber: quo viso, Ephesus dixit.

EPHES. Iste liber noster est eadem manu scriptus, vt liber vester.

AND. Inspectis libris, visa est maxima differentia.

IMPER. Diximus pridie, quod in Constantinopoli non sunt ita.

CARD. Habetis hic alium Basilius Florentiae, nisi istos duos?

EPHES. Non.

CARD. Hic in ciuitate hac sunt tres libri, & duo faciunt pro nobis.

IMPER. Non est mirum, quia non debemus respicere ad istos qui sunt hic.

PROV. Ita diceremus nos, quod alibi sunt: quare portastis contrarium vobis? pro nunc stetur his tribus. Item habemus translata hanc auctoritatem tempore Alexandri tertii, qui sunt vltra trecenti anni.

IMPER. Hac est similitudo, vt si aliquis haberet causam, & vnus haberet centum testes, & contrarios tres, & causa decideretur, vbi essent illi tres?

CARD. ^a Vos vocati ad causam debuistis venire cum iuribus, & vos contraria portastis: sic standum est his.

IMPER. Ius meum apparebit.

EPHES. Introduxi sequentia & praecedentia.

^a De auctoritate sancti Basili, & lib. aduers. Eunom. & de hac responsione card. vide quae supra retuli collat. antecod. ex sancto Antonino, qui tunc praesens aderat, nota 3.

PROV. Ex his me fundabo, quoad primum punctum tria volo facere. Primo, volo ostendere per aliud testimonium Basili, quod in hoc loco contra Eunomium ipse dicit, Spiritum accipere a Filio. Secundo, volo ostendere, quod dicere prout stat in libro vestro, esset magnam maculam imponere Basilio, & quod pro honore & reuerentia tanti doctoris in ecclesia Dei, qui habuit tam magnum testimonium in Concilio Calchedonensi, non potest quis Christianus suscipere illum modum dicendi. Tertio, ostendam ex antecedentibus & sequentibus, quod hæc sunt vera, quæ sunt in libro nostro: & non exhibeo hæc tria. Non dubito, quin Spiritus sanctus mirabiliter operetur in hoc negotio, quia de ipso agitur, & quod faciet gratiam nobis & vobis: quia idem Spiritus quo repletus fuit Basilius, in hac tam grandi materia non fecit in vno loco scribere vnum, & in alio aliud: quia sancti doctores non sunt contrarii in materia fidei. Cum pridem essem in domo domini sanctæ Sabinæ, & esset nobiscum frater Ambrosius, qui habet bonum donum interpretationis, quia ita de facili legit lingua Latina ex scripturis Græcis, vt si Latinæ forent; allatus fuit quidam liber Græcus valde antiquus & in membranis, vbi sunt multa opera Basili; quem protulit quidam peritus interpres literarum Græcarum, nomine Leonardus Aretinus huius ciuitatis cancellarius: dum frater Ambrosius haberet librum, & quæreremus de epistola Basili, occurrit vna homilia eiusdem de Spiritu sancto^a. Feci illam legi, sperans quia si Basilius alicubi dixit quid de Spiritu sancto, in hac etiam dicit. Audiui eam totam, & cum fuit in hoc passu, gratias retuli Spiritui sancto. dicit enim his verbis: Vnum quidem Patrem, vnum Filium, vnum Spiritum sanctum iuxta diuinam traditionem esse, confitendum est. & subdit: Non dicimus, non prædicamus nec duos Patres, nec duos Filios, quia Filius Spiritus non est, neque nominatur: neque a Spiritu aliqua accipimus, vt Spiritus a Filio^b; sed ipsum ad nos accedentem & nos sanctificantem suscipimus, diuinitatis^c communionem, filiationisque consortium, & æternæ hereditatis arrhabonem, id est signum primitiasque futurorum bonorum. Hæc auctoritas est ita clara, vt clarior esse non possit, quia beatus Basilius dicit, quod non accipi-

^a Homil. 17. in sanctum baptisma, in fine, de qua auctoritate iterum collatione sequenti.

^b Spiritus enim accipit a Filio diuinum esse.
^c Diuinitatis cum illo communionem & filiationis, &c. sic in textu Basili loco citato, de qua auctoritate plura seq. collatione.

ANNO
CHRISTI
1459.

accipimus aliqua a Spiritu, vt Spiritus a Filio; & postea declarat quæ sunt illa quæ accipimus a Spiritu: primo sanctificationem, diuinitatis communicationem, filiationisque consortium: quia vocamur filii Dei, & accipimus aternæ hereditatis pignus, & primitias futurorum bonorum. Hæc sunt quæ accipimus a Spiritu, & ista sunt illa quæ sunt creata, & creantur in nobis a Spiritu. Modo dicit Basilius, quod non secundum istum modum Spiritus accipit a Filio: necessario sequitur quod accipiat esse diuinum, quia omne esse aut est diuinum, aut est creatum. Hoc esse creatum accipimus a Spiritu sancto, & ipse non hoc modo accipit, nec hæc creata accipit. Ergo sequitur quod accipiat esse diuinum. Et sic facta hac comparatione, ipse concludit, & confutat omnium malignantium opinionem, qui præsumerent dicere, quod acciperet illud esse, quod causat in creaturis. Legatur auctoritas.

AND. Lecta est auctoritas in Græco.

PROV. Nunc venio ad secundum, in quo dixi, quod si ponatur prout est in libro vestro, inculpabimus & notabimus Basilius: & ostendo in communibus libris, & refero textum & vestrum & nostrum, vt omnes nostri diligentius intelligant, & vestri clare videant. Noster sic dicit^a: Quæ enim necessitas, si dignitate & ordine tertius est Spiritus, natura quoque tertium esse? Modo vester textus sic dicit: Quæ enim necessitas, si dignitate & ordine secundus est Spiritus, secundum quoque natura esse? quasi dicat, nulla est necessitas. Modo videatis differentiam. Noster dicit, Tertius est Spiritus: & vester dicit, Secundus est Spiritus.

^a Lib. 1. aduers. Eunomium, initio, de quo collatione antecedit, & seq.

EPHES. Non est sic. Sed dic, quæ est necessitas, si tertius est Spiritus, tertium esse natura.

PROV. Placet quod in hoc conueniamus^b. Sequitur in nostro. Dignitate enim secundus a Filio, cum ab eo esse habeat, & ab eo accipiat, & annuntiet nobis, & omnino ex ea causa pendeat, pietatis tradidit sermo: natura vti tertia, neque a sanctis scripturis docti sumus, neque ex dictis sanctorum colligere possumus. Vester dicit sic: Dignitate namque esse secundum a Filio, fortassis veritatis tradidit sermo: ex quo apparet dubitatio Basilius. Postea dimittit quod dictum est, & subdit: Natura vti tertia, neque a san-

^b Idem est dicere secundum a Filio, vel tertium a Patre.

ctis scripturis docti sumus, neque ex dictis sanctorum colligere possumus. Nunc videamus, quia statim subdit probationem, dicens: Sicut Filius secundus a Patre^a, quia ab ipso; & dignitate, quia initium & causa essendi Patris ipsi est, & per ipsum accessus & adductio ad Deum Patrem: natura nullo modo secundus, quia deitas in utroque una est; & in hoc sumus conformes: & in hoc est redditio causae, quia vult Basilius sic inferre: Ita liquet^b quod & Spiritus quamvis dignitate & ordine succedat Filio, non iam merito sequitur, quod alienae naturae existat. Sic quoad illa quae dicta sunt de Filio, sumus conformes; sed sumus diffformes in illo, Ita liquet, quia vester liber dicit: Ita liquet quod etiam subordinatus est Filio Spiritus, quod & nunc ita concedimus, non tamen sequitur, quod alienae naturae existat. Noster autem dicit, quod succedit, & remouet^c difficultatem. Noster dicit: Dignitate & ordine succedit Filio. Vester dicit: Dignitate & ordine subordinatus est Filio.

EPHES. Dicit succedit, & vterque idem dicit, quod succedat Filio dignitate & ordine.

PROV. ^a Legatis ibi, ita ^b liquet, quod sicut Filius ordine secundus a Patre, quia ab ipso; & dignitate, quia principium & causa ipsius est, & quoniam per ipsum accessus ad Deum Patrem: natura non secundus, quia deitas in utroque una: ita Spiritus sanctus licet succedat Filio ordine & dignitate, ^c vt hoc etiam concedamus, non iam merito alienae dicitur naturae. Venio ad primum, cum dicit, fortassis; & dico, quod haec particula, fortassis, pietatis tradit sermo, magnam maculam inducit Basilio, quia id quod ab aliquo probatur, debet esse notum apud probantem, quia per ignota nullus posset quid manifestare, sed oportet per magis nota minus nota manifestare. Sapientes hoc dicunt, & ratio dicit. Modo hic intendit confutare illam consequentiam, quam Eunomius inferebat, quod si dignitate & ordine esset tertius, vt habebat a doctoribus, credebat, quod esset tertius etiam natura.

In toto processu capituli vult^d deducere ex scripturis, quod aliqui sunt ^e primi, secundi & tertii ordine & dignitate, & tamen non sequitur quod sint tertii natura: & hoc capit pro magno fundamento suo. Si dixisset, fortassis, vi-

^a Ordine scilicet, vt in textu Basili.

^b Alias, videlicet & Spiritus, etiam dignitate & ordine, &c. sic in versione vulgata Basili loco laepe citato lib. 1. induer. Eunomium.

^c prout legebat Ephesinus.

^d Basilius scilicet.

^e vt in angelis.

ANNO
CHRISTI
1459.

deretur dubitare de eo quod expediebat esse certissimum ad confutandum Eunomium: quod absurdissimum est dicere de tanto doctore, quia iste doctor habuit commendationem in Calchedonenſi Concilio, dicentibus patribus ^a Concilii, quod doctrinam ſancti Spiritus ^b diligentius tradidit. Modo ſi dubitaſſet, dicens, fortassis, quomodo potuit dubitans doctrinam Spiritus ^c diligentius tradere? Ex his duobus capitibus nullo modo poteſt poni illa particula ſine magna nota Baſilii: & ideo vt corruptiua veræ ſententiæ debet abradi de libris, vbi eſt ſcripta. Tertio, quia in homilia de Spiritu ſancto ipſe aperte dicit, quod Spiritus accipit a Filio, & hoc ſine vlla dubitatione & trepidatione: imo ex multis auctoritatibus præmiſſis videtur apertiffime, quod Spiritus accipit a Filio, non aliquod creatum, vt nos, ſed diuinum eſſe, vt dixi, quia nil aliud poteſt Spiritus a Filio capere in Trinitate ipſa perſonarum: quia quod Spiritus accipit, ab æterno accipit; quia quod Filius a Patre audit, eſt ſcientia: ſcientia autem in diuinis idem eſt ac eſſe, iuxta expoſitionem omnium Latinorum & Græcorum, vt ego allegabo in ſequentibus. Et ita Spiritus audiens a Filio, accipit a Filio: & illa audientia eſt eſſe, & eſſentia diuina, quæ omnia accipit a Filio. Quomodo eſt imaginabile hoc, quod in hac homilia de Spiritu ſancto, quam fecit in die ſolemnitatis, dixerit accipere ſine dubitatione; & in alio loco ille Spiritus quo erat plenus, feciſſet ſibi ſcribere hanc maximam hæſitationem, fortassis? Nam ratio veritatis, eſt ratio diſcuſa in ſcripturis ſanctis quas homines pleni Spiritu expoſuerunt. Et ex illis concludit contra Eunomium, modo ad particulam vltimam, ibi: Ita liquet, quamuis dignitate & ordine ſuccedat: & contradicit primæ poſitioni & ſibi, quia primo dicit, fortassis: hic autem absolute dicit, quamuis dignitate & ordine, &c. quod dicunt illi ^d falſarii Baſilium hoc concedere; non tamen, inquit, ſequitur, quod alienæ naturæ exiſtat. Sic ex duobus capitibus ex auctoritate allegata, cum dicit, quod accipit a Filio, & neceſſario dicit eſſe, & ^e diuinam naturam: & ex alio capite, quia additio maculat famam Baſilii, aperte oſtenditur, quod ly accipere eſſe in diuinis, eſt idem quod procedere: & ex his testimoniis Spiritus accipit eſſe a Filio, claret manifeſte

^a Parte 3. in allocut. ad Marcianum imper.
^b In ea allocutione dicitur exactam.
^c exactam.

* Eunomius
scilicet in hoc
opere, quod
impugnat Ba-
sil. cuius &
subdit verba.

quod procedat ab eo. In hoc claro testimonio Basilii in-
troduco præcedentia & sequentia. Inchoat Basilius capi-
tulum: Vix saturatus blasphemis contra Vnigenitum, ad
Spiritus transit, de eo quoque suæ toti voluntati consen-
tanea differens. Et notandum quomodo terribiliter inue-
hitur, dicens, quod in hoc opere non dicit^a nisi consequen-
tia secundum suam voluntatem: postea ponit verba Eu-
nomii, scribit autem sic: Cum sufficiat nobis tam multa
scripsisse de Filio, consequens est de Paracleto dicere, nec
sequi indiscussas multorum opiniones, sed sanctorum in
omnibus seruare doctrinam, a quibus cum tertium digni-
tate & ordine acceperimus, tertium natura credidimus.
Hæc sunt verba Eunomii. Et in fine volens incipere, Quæ
ergo^c necessitas; quia dixerat^d contemnens opiniones mul-
torum, quæ sunt indiscussæ, quia viri non multum literati
^e profitebantur Spiritum non multis rationibus, & iste su-
perbus Eunomius videtur non velle sequi istorum opinio-
nem, sed sanctorum opinionem. Modo dicit Basilius, quod
hic Eunomius non exprimebat, qui erant illi sancti: nec
etiam ponebat eorum libros, ex quibus ponerentur aucto-
ritates sanctorum, qui dicerent, dignitate & ordine ter-
tium esse Spiritum; & ex illis crederet per consequen-
tiam, quod esset tertius natura. Modo Basilius vult dicere,
quod tales auctoritates sanctorum non contingit inueni-
ri, qui dicant, quod sit tertius dignitate & ordine, & quod
ex his possit inferri, quod sit tertius natura: & ex hoc ar-
guit eum^f de consequentia sumpta, quia ipsemet ponit
multas auctoritates scripturæ, in quibus apparet de ordine
& dignitate, non tamen quod sit alterius naturæ. Et ideo
concludit Basilius post auctoritatem & exempla angelo-
rum, stellarum & mansionum quæ sunt in vita æterna;
ita concludit: Ita profecto & Spiritus sanctus dignitate
& ordine succedit Filio. Accepimus eum, inquit, tertium
a Patre & Filio numerari, ipso Domino in traditione sa-
lutaris baptismatis docente ordinem, dum dixit: *Euntes
baptizate in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* In ali-
quam vero tertiam naturam nunquam didicimus^g, &c. Et
probat argumento maximo: Cum duæ res dicantur deitas
& creatura, dominatio & seruitus, sanctificatio & qui
sanctificatur. Et infra dicit sic: In quam parte Spiritum

Matth. 28.

^g Deictum
scilicet, vt in
textu Basilii.

ANNO
CHRISTI
1439.

ponimus? In iis qui sanctificantur? absit: ipse enim sanctificatio est. Nefas ergo est connumerare creaturis eum qui diuinæ beatissimæque Trinitatis adscribitur numero. Ex quo apparet, quod non accipit esse, quod connumeretur creaturæ, quia dicit, quod omnis res aut est deitas, aut creatura: & cum non sit in numero creaturarum, sed in deitate, in illa dicit tertium dignitate & ordine: & dignitas, vt concessum est, dicitur initium & relatio principii in origine diuinarum personarum ad intra. Et hoc Basilius ostendit, dicens non in aliquam naturam tertiam eiici Spiritum, quod proprie^a dicuntur homines, non de his qui habent rationem principii vel causæ super eis. Si est tertius^b, hoc est secundus etiam a Filio: ergo sequitur necessario ex antecedentibus & consequentibus huius capituli, quod Filius sit initium & causa: & hoc non potest esse, nisi per communicationem diuinæ naturæ; quia iste est ordo, vt alias dixi, ex quo aliquis est ab aliquo in diuinis, & ab eo accipit esse, quod dicitur substantia. Modo si accipit esse, quod probatum, concessum & verissimum est: ergo de necessitate procedit. Alia testimonia sunt Basilii, ex quibus ostendetur, quod Spiritus accipit esse a Filio, & procedit ab eo: in quibus luce clarius videbitis, quod idem Spiritus sanctus, qui fecit eum loqui in aliis testimoniis, in hac veritate nullatenus eum fecit loqui cum illa falsitate adiuncta. Hæc sufficiant quoad Basilium. Cum venistis ad primam auctoritatem Athanasii, & ad illam dixistis, quod Athanasius solum intendebat tradere ordinem positum in baptisate, & non replicastis auctoritatem, quam si replicassetis, melius respondisset. Dicit Athanasius sic (vt omnes intelligant responsionem, & nouam confutationem quam fecistis) in illo dialogo^c contra Arium ita dixit, prout allegaui. Si ergo Spiritus non est de substantia Patris & Filii, cur connumeravit eum Dei Filius in sanctificationis symbolo, dicens: *Euntes docete omnes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti?* Vult ergo dicere, vt clare omnes intelligant, quod Spiritus sanctus si non est de substantia Patris & Filii, nullo modo esset connumeratus in hoc sanctificationis symbolo. Nouistis vos deinde Græci, quod symbolum Latine dicitur collatio, seu indicium. Et hoc dicit beatus Clemens di-

^a Id est, dicitur de hominibus, non de his, &c.

^b scilicet a Patre.

^c Quem adduxerat prouinc. in fine collat. 17. & cui respondet Ephesus circa initium collat. 18. quam iterum ponderat prouincialis collat. 21. Matth. 28.

* Epist. l.

scipulus Petri, qui post mortem Petri scribens beato Iacobo^a, quomodo apostoli in vnum conuenientes fecerunt symbolum, ponit hanc interpretationem. Dicit, quod collatio dicitur, quia conferentes simul fecerunt sententiam fidei. Dicitur & indicium, quia indicatur quid recte creditur, & quia per hoc cognoscitur Christianus. Ideo Athanasius vocat sanctificationis symbolum, dicens: Si Spiritus non esset de substantia Patris & Filii, non poneretur & connumeraretur in hoc symbolo. Iam sapius dictum & declaratum est, quod esse de substantia Filii, est esse ex Filio, & habere esse ex Filio: sicut esse ex substantia Patris, est esse ex Patre, & accipere a Patre esse, quia idem est. Modo dicit, quod si Spiritus non acciperet esse a Filio, non connumeraretur: non potest accipere esse a Filio, nisi sit principium & causa ipsius^b. Vos dicitis respondendo mihi, quod ego consueui colligere testimonia hinc inde, & quæ non sunt ad propositum, sicut pridie feci, quia ego adduxi aliqua testimonia Epiphani, in quibus posui est, & non ponebatur: & ego nolo retorquere hanc confutationem, & quia in hac præclara audientia sunt peritissimi interpretes Græcarum literarum, & apud vos multi peritissimi in philosophia, & maxime dominus imperator: & omnes voco in testes, si non intelligitur^c. Et in auctoritatibus per me allatis, ego non posui, sed frater Ambrosius transferens, qui dixit, quod de necessitate intelligitur, est. Ita dicit auctoritas^d, Filium vocat, qui ex ipso Spiritum autem, qui solus ab utroque, vel ex ambobus. Modo quæro, si intelligitur, est, apud me necessario intelligitur, & ut vidi ex multis translationibus, hic videtur communis modus doctorum Græcorum, qui in propositionibus, in quibus necessario comprehenditur verbum, non ponitur: ut cum dicitur secundus a Patre, quia ab ipso necessario intelligitur, est. Secundum testimonium fuit^e: Neque Filium & Patrem quis nouit nisi Spiritus, qui veraciter clarificat, qui docet omnia, qui a Patre & Filio. Non ponitur, est, ^f necessario intelligitur. Ad hunc punctum precor ut deinceps utaris verbis moralibus, quia verba non faciunt testimonium validius esse: & deinceps conueniamus, ut cum tales auctoritates ponuntur, in quibus necessario intelligitur verbum, non notes

* Ipse scilicet
Filius.* Verbum, est,
in illis scilicet
auctoritati-
bus.* S. Epiphani-
in Anchorato,
num. 71. & 72.
de qua supra
collatione 17.* Eiusdem E-
piphani, vbi
supra.

* Supple, sed.

ANNO
CHRISTI
1439.

me in illo^a. Quoad secundam auctoritatem Athanasii, breuiter dico, quod de necessitate ex hac auctoritate Athanasii sequitur, quod Spiritus sit secundus a Filio dignitate & ordine. Et nota bene verba Athanasii, vt ponderes. Dicit expresse, quod talem ordinem & naturam Spiritus habet ad Filium, qualem habet Filius ad Patrem. Modo dicit, quod si quis dicat Spiritum esse creaturam, habebit necessario dicere de Filio propter ordinis conformitatem. Modo, vt alias allegaui, ordo naturæ est quo pullulans pullulat, & importat esse vnus personæ ab alia. Et iste est communis modus philosophorum & theologorum sumendi ordinem naturæ, vt ego alias declarauim: nec est in potestate tua violentare terminos, sed debemus vti, vt doctores vtuntur. Modo si ordo naturæ est ordo originis, quo vna persona capit ab alia, quia natura est principium quo, sicut etiam vester doctor Damascenus ponit, sequitur, quod generatio est ordo naturæ, non sicut generantis, sed sicut eius quo generans generat: & illud principium est quod communicatur, modo ex hac auctoritate^b.

^a Si videlicet exprima quod tacite & necessario inest.

EPHES. Non dicit Athanasius ordinem naturæ, sed ordinem a natura.

^b Interruptus sermo ab Ephesino.

PROV. Ego dico, quod quandocumque vultis, ostendam, quod non potest habere aliam intelligentiam. Et dico, quod si est ordo secundum naturam, quod est ordo naturæ: modo talis ordo præsupponit a principio, hoc est a persona, a qua est alia, relatione principii: & sic si habet relationem principii, communicat sibi hanc naturam, quia istæ productiones sunt naturales: & sic ordine & dignitate sequitur quod Spiritus est secundus a Filio, & quod capiat esse, & sic quod procedat. Ad auctoritatem de missione Spiritus ego respondebo suo tempore.

IMPER. Scitis quod conuenimus, quod disputantes responderent ad quæsitæ breuibus verbis. Hic dicta sunt tot verba, quod nescimus vnde incipiamus, & dies non sufficeret, & videtur vt in alia sequamur breuius.

PROV. Sum longus, quia longa propositio.

AND. His datus est finis concertationi illius diei.

NOTÆ AD DECIMAMOCTAVAM
COLLATIONEM.ANNO
CHRISTI
1459.

¹ *Difficultatem.*] Scilicet non adfunt illa verba, *quod & nunc ita concedamus.* nam, vt supra, præterdit Ephesinus Basilium hæc dicere ex suppositione.

² *Legatis.*] Scilicet prouincialis non fecit vim in verbis, succedit, vel subordinatus; sed in locutione per suppositionem. Ideo voluit ponderari illa verba sancti Basilii, ita videlicet.

³ *Liquet.*] Dixit quod legeretur ibi, ita liquet: & statim ipse legit, paulo ante incipiendo, iuxta textum Ephesini, in cuius lectione desunt illa verba, *cum ab ipso habeat esse, & omnino ab illa dependeat causa:* & sunt addita aduerbium *fortassis,* & illa, *vt hoc etiam concedamus.*

⁴ *Falsarii.*] Id est falsarii addiderunt illa verba, *vt hoc etiam concedamus,* de quibus supra & infra iterum. Hinc corrigenda translatio Latina in editione Parisiensi, anno 1618. in qua legitur particula *fortassis,* & conditionalis, *vt hoc etiam concedamus:* quæ tamen non legitur in editione Parisiensi anno 1547. sine quibus additionibus probat etiam legendum hunc locum sancti Basilii Bessarion in opusculo ad Lascarum in fine huius operis exhibitio cap. 1.

⁵ *Diuinam.*] Græcus scriptor sessione vigesimapræma sic refert: *Non aliud profecto, quam suum esse, & originem diuinamque naturam.*

⁶ *Necessitas.*] Indicat verba Basilii, vbi concludit non sequi ex eo quod sit tertius ordine, esse etiam tertium natura: & statim resumit propositiones prauas Eunomii.

⁷ *Contemnens.*] Eunomius scilicet, vt paulo ante verba, *quæ ergo necessitas,* dicit Basilii loco sæpius citato, scilicet libri tertii aduersus Eunomium initio.

⁸ *Profitebantur.*] Contemnebat indiscussas opiniones sanctorum, qui profitebantur Spiritum esse Deum, nullis rationibus fundati.

⁹ *Consequentia.*] Si enim Eunomius produxisset auctoritates sanctorum dicentium tertium esse Spiritum dignitate & ordine, ex illis recte consideratis appareret, non posse inferri, tertium esse natura: arguitque eum de consequentia quam ipse infert, non quæ per se inferatur. Pro intelligentia videndus textus Basilii loco supra citato.

COLLA-

COLLATIO DECIMANONA.

DIE XIV. MARTII.

*Sanctorum patrum, & præsertim Basilii auctoritatibus,
disputatur de Spiritus sancti processione
a Patre & Filio.*

AND. **Q**UARTADECIMA Martii in conuentu Florentino, ordine & modo solitis, hora qua solet conuentus fieri, disputationi principium Ephesini verbo Græci dedere.

EPHES. Si vellemus ad omnia quæ per vos dicta sunt, pro continuatione sermonis proferre responsa, sermo noster progrediretur, vt nobis non sufficeret omne tempus disputationis. Quoniam autem longiorum sermonum usus malus multoties finem non aperuit peroptatum, nobis capitulariter collectis, ex dictis quæ memoria potuit continere, breuiter quæ poterimus adducemus responsa, interrogando & responsa accipiendo, & respondendo, si placuerit. Auctoritatem Athanasii primo per vos allegatam, patres reuerendissimi, nos non intellexisse dixistis, quia eam allatam non exposui.

PROV. Vt ordo seruetur, primo diximus auctoritatem Basilii; auctoritas Athanasii fuit postea introducta. Itaque primo introducatis auctoritatem Basilii.

EPHES. In præcedenti congregatione nostra primo fuit inquisita auctoritas Athanasii: & ideo inquiramus eandem, vt habeamus & accipiamus declarationem super his quæ dixistis: postea veniemus ad auctoritatem Basilii.

PROV. Si non est ordo, sequitur confusio, primum quod in alia congregatione dixistis: interrogastis, si sanctus Basilius dicat, quod sancti doctores tenent, Spiritum sanctum esse tertium dignitate & ordine. Consequenter transiistis ad infra scriptas auctoritates Athanasii, quas ego in medium duxeram: & cum vellem cuilibet respondere secundum ordinem, initium feci ab auctoritate Basilii, ordinem vestrum sequens, & ideo adduxi primo auctoritatem ex homilia. Secundo dixi, quod si staret alia expositio vestra, Basilius dubitaret de eo, de quo

Concil. Tom. 33.

A a a

deberet esse certus. Tertio ostendi, quod ex antecedentibus & sequentibus non poterat stare vestra additio. Quarto veni ad auctoritatem Athanasii, ordine vestro ductus. Bonum est vt hic ordo seruetur, alias confunderemus nos, maxime quia imperator requisivit, quod de argumento in argumentum replicetur; & papa & nos acceptauimus. Sequimini ergo ordinem illum.

EPHES. Ego volebam secundum ordinem a me productum in præcedenti congregatione eodem modo hodie sermonem facere; primo quidem commentari auctoritatem Athanasii, quam primo vos produxistis.

PROV. Illud fuit secundum, ego non respondebo, nisi seruetis ordinem.

EPHES. Volebam ostendere auctoritatem illam potius facere ad sensum meum, quam ad vestrum.

PROV. Hoc facietis postea.

EPHES. Quoniam inducitis nos, vt sequamur ordinem per vos constitutum, implebimus voluntatem vestram, & inquiremus dicta vestra circa auctoritatem Basili. Dicimus itaque quod tria proposuistis, commendationem libri vestri sani & incorrupti, quem librum corruptum esse, pluribus rationibus ostensum est, adiicientibus vobis, quod Basilius in quadam alia homilia facta de Spiritu sancto videtur hanc opinionem habere, quod Spiritus sanctus recipiat esse a Filio. Secundo dixistis, quod dubitatio quæ emanat ex nostro libro, est propter verbum, fortassis, quod videtur indignum intelligentiæ magni Basili, & maculam inferat doctori illi mirabili, quod de diuinis dogmatibus dubitaret, & non constanter assereret. Tertio ex præcedentibus & sequentibus auctoritatem ipsam ad vestrum sensum & literam, Basili sententiam esse, ostendere conati estis. Ad hæc (lecta auctoritate in libro) ea quæ nobis videntur, dicemus.

^a Homilia 17. in sanctum baptismum, in fine.

^b Diuinitatis, que cum illo communio- nem, & filiationis, &c. sic in textu Basili loco sup. cit. vide primam notam huius collat.

AND. Surrexit quidam Græcus, & legit homiliam ^a his verbis: Vnum igitur Patrem, vnum Filium, vnum autem Spiritum sanctum secundum diuinam traditionem confitendum, & neque duos Patres, duos Filios: propter quod Spiritus non est nominatus Filius. Neque enim a Spiritu aliqua accipimus, sicut a Filio Spiritum, sed ipsum accedentem nobis & sanctificantem suscipimus, ^b deitatis commu-

ANNO
CHRISTI
1459.

ANNO
CHRISTI
1439.

nionem, & filiationis participationem, & sempiternæ hereditatis arrham, & futurorum bonorum primitias.

EPHES. In hac nullo modo iacet, Spiritum esse a Filio, neque Filius atque Spiritus sanctus accipienda necessario, ex eo quod accipit: & subdit, quod non aliqua a Spiritu accipimus, sicut Spiritum a Filio. Hanc quidem sententiam consonam esse eorum quæ dicta sunt, & opinionis anterioris, nos ostendemus. Nam hi qui impugnabant Spiritum sanctum, tali utebantur diuisione: Siquidem a Patre natus est Spiritus, ecce duo Filii, hoc est Filius & Spiritus. Si vero a Filio natus est, duo sunt Patres, videlicet Pater & Filius. Contra hos occurrit Basilius: vnum Patrem imperat confitendum, & vnum Filium & Spiritum sanctum, secundum diuinam traditionem. Nam Spiritus licet a Patre procedat, non tamen vt Filius, neque ex ipso natus: & propter hoc duos Filios non dicimus. Nam Spiritus, inquit, neque Filius est, neque nominatur; & liquet quod a Filio Spiritum sanctum accipimus, hoc est adoptionis Spiritum. nam proprium est a Filio qui secundum naturam est, adoptionem suscipere nos, per Spiritum sanctum. Hæc cum voluit ostendere beatus Apostolus in epistola ad Galatas talia dicit: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem, Abba pater.* Si igitur a Filio accipientes adoptionis Spiritum, adoptamur Patri per eundem Spiritum, non alia quædam accipimus præter Spiritum, sicut a Filio Spiritum, qui alius est quam ipse Filius. Non ergo Spiritus Filius est, sicut attestatur scriptura. Ad hanc intentionem dicit scriptura Basilius, quod Spiritus non est Filius, neque nominatur, quoniam non accipimus aliqua a Spiritu sancto, alia videlicet, quam sit ipse Spiritus, & quæ per se consistant, sicut accipimus a Filio Spiritum, qui est alius secundum propriam personam: sed ipsum Spiritum mittit accedentem ad nos, & sanctificationem suscipimus; & operantem in nobis sua bonitate, vt dicit Apostolus, quod omnia operatur vnus & idem Spiritus. Tu autem vnde accepisti, quod Spiritus accipiat esse a Filio? hoc nullo modo est, præterquam a Patre.

PROV. Et fecistis longam orationem exponendo auctoritatem, & punctum principale non tetigistis, nisi

Concil. Tom. 33.

A 22 ij

* id est, neque in hac auctoritate Filius & Spiritus sanctus necessario accipiendi sunt, quasi vnus accipiat, & procedat ab alio; sed subdit quod non aliqua, &c.

Galat. 4.

nunc ultimo quarendo: & respondeo ex eadem auctoritate, vbi dicitur, vnum Spiritum confitendum, vnum Patrem, vnum Filium, neque esse duos Patres, neque duos Filios, & quod Spiritus sanctus non est Filius; & dicit: Non enim a Spiritu aliqua suscipimus, sicut a Filio Spiritus.

EPHES. Nos dicimus Spiritum, quia Spiritus apud Græcos neutri generis est; & sicut potest esse *πῶμα* in accusatiuo, sic in nominatiuo.

PROV. Cum dicat, quemadmodum, non potest esse accusatiui casus verbum *πῶμα*, quia comparat acceptionem nostram cum acceptione quam Spiritus facit a Filio, sicut si diceremus: Non enim accipio aliqua ab imperatore, quemadmodum accipit vnus prælatus a summo pontifice: impossibile est, quod prælatus esset accusatiui casus: ergo necessario sequitur, quod Spiritus est casus nominatiui.

EPHES. Hoc ita esset, si ibidem adduceret, quod Spiritus accipiat a Filio.

PROV. Hoc de necessitate intelligitur.

EPHES. Cum hoc non sit in textu, non videtur conueniens comparatio, & insequens est velle comparare acceptionem quam a Filio facimus, acceptioni Spiritus a Filio.

PROV. Et ideo negatur, & dicitur quod differentia est.

* Scilicet, & ideo negatur similitudo receptionis in ipso textu.

EPHES. Ostendam hoc esse extra sententiam Basili: nam intendit ibidem ostendere Basilius, quod Filius non est Spiritus, dicens quod propter hoc Spiritus non est nominatus Filius, quia accipimus eundem a Filio, ab ipso Spiritu non accipimus aliqua, quam sit ipse Spiritus.

PROV. Hoc hæreticum est.

EPHES. Non accipimus alia quam Spiritus, sed ipsum Spiritum accedentem ad nos, & operantem in nos sua bona, videlicet adoptionem. Istud est consequens secundum intentionem doctorum, & secundum sequelam eorum quæ præcedunt.

PROV. Dicitis quod non accipimus aliqua, quam sit Spiritus sanctus: quæro, an dona Spiritus sancti sint ipse Spiritus. Respondeas ad quæsitum, cum plurima dicta sunt hic contra totam sacram scripturam, & falsa.

ANNO CHRISTI 1439.

EPHES. Non sunt alia hoc modo, sicut Spiritus est alius quam Filius, videlicet quod non alia bona, quæ per se consistant.

PROV. Ego non quæro hoc, sed dico, an dona Spiritus sancti quæ dantur nobis, sint idem quod Spiritus sanctus. Ad hoc formaliter respondeas, & non plus.

^a Hic infra magis se declarat ipse prouinc.

EPHES. Dico alia esse dona quam Spiritum sanctum, non tamen quod per se consistant.

PROV. Alia sunt quam Spiritus sanctus, & primo dicebatis contrarium, dicens a Spiritu nil accipi, nisi ipsum Spiritum.

EPHES. Ita per illum modum accipimus a Spiritu: licet accipiamus dona, non sunt per se consistentia, sed alia sunt quam Spiritus.

PROV. Quæro, anne dona a Spiritu sancto dentur cum Spiritu sancto? nunc concludo.

AND. Verbis his expositis imperator inquit. IMP. Quia ista sunt extra propositum, nolo quod his respondeant nostri.

PROV. Imo sunt in proposito, vt statim ostendam. IMPER. Dicimus extra propositam auctoritatem.

PROV. Nos debemus dare in auctoritate sensum eidem. CARD. Ex his quæ dicta sunt, prouincialis ostendere vult, quod *ἡμῶν* sit nominatiui casus: & sic sunt ad propositum necessaria.

PROV. Hæc dona quæ nos accipimus a Spiritu, non sunt Spiritus, & sunt creata in nobis.

AND. Imposuit imperator silentium interpreti, meo iudicio, ^b timens conclusionem; vocauitque suos ad disputandum propositos, illisque aliquantum allocutus, deum ad locum dicendi reuersis hæc inquit.

^b Fateretur hoc ipse Græcus scriptor, vt in 4. nota huius collat. dicitur.

IMPER. Difficultas nostra non solum stat in hac auctoritate, habemus & alias plures.

PROV. Non permittimus quo minus hæc discutiatur auctoritas.

IMPER. Neesse est vt de vna materia discutiatur, non de pluribus?

CARD. Nos nolumus intrare aliam materiam; sed cum ad probationem vnus adducitur alia auctoritas, & Ephesus dicat vno modo intelligi, prouincialis alio, neesse

est vt verus elucescat sensus. Confiteatur Ephesius auctoritatem ad sensum prouincialis, & causam dimittemus.

ANNO
CHRISTI
1439.

IMPER. Bene intelligimus quo tendunt verba prouincialis.

PROV. Si hic, dona non sunt persona Spiritus.

* Græcus scriptor
sest. 22. sic.
Locus iste ambiguit
est, &
ex ambiguit
nihil concluditur.

EPHES. Auctoritas ista prohibet examinationem, quoniam allegatio aliter intelligitur apud nos, aliter apud vos; & secundum nos nullum necessario sequitur ex ea ad propositum; omissa impræsentiarum hac auctoritate, veniemus ad alia.

Rem. 5.

PROV. Beatus Cyrillus in epistola, Saluator noster, dat nobis doctrinam, quod non solum debemus respicere auctoritates, sed intentiones quæ in eis sunt, si nos debemus producere testimonium, & non inuestigare testimoniorum sensum, faceremus contra regulam beati Cyrilli. Modo sequendo illam regulam dico sic, quod hæc auctoritas nullam habet apud nos dubitationem, & ex se habet claritudinem: sed volendo dare sensum extortum, posset habere dubitationem. Vos dedistis sensum extortum totaliter contra literam dicendo: Non aliqua accipimus a Spiritu, prout nos accipimus Spiritum a Filio. Hæc expositio implicat contradictionem, quia eodem modo accipimus aliqua a Spiritu, vt accipimus aliqua a Filio: quia accipiendo Spiritum a Filio, accipimus dona Spiritus sancti vna cum Spiritu; & accipiendo Spiritum, accipimus Spiritum cum donis; & hoc dicit Apostolus: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Si ergo accipimus Spiritum a Filio, accipimus dona vna cum Spiritu, siue dona a Spiritu. Nos accipimus Spiritum cum donis. Modo Basilius dicit: Non enim aliqua a Spiritu accipimus, vt Spiritus a Filio. Et ponit diuersitatem: ergo implicat, secundum expositionem vestram: Ergo oportet quod *ἡ ἀγάπη* sit nominatiui casus. Stat ergo expositio primo dicta clara, vbi dicit: Non enim aliqua a Spiritu accipimus, quemadmodum Spiritus a Filio, quia hæc dona sunt distincta a Spiritu per concessum per vos, & id quod accipit Spiritus a Filio, est quid diuinum, & idem quod Spiritus, scilicet, quid increatum: dona autem in nobis sunt creata. Et hæc est vera sententia auctoritatis illius, ad quam responde, quia non eximus textum.

ANNO
CHRISTI
1449.

EPHES. Nos dicimus, quod possemus saluare vestram expositionem, & etiam prima verba quæ dixistis de donis: quia dicimus, quod ea non sine eodem Spiritu accipimus, cum totus Spiritus in vnoquoque suo dono accipiatur. Dicimus autem, quod his positis potest nostra expositio saluari, quoniam non accipimus aliqua a Spiritu, quæ per se subsistant, sicut a Filio Spiritum. Et ad hanc expositionem concordat, quod Spiritus non sit Filius, & quod ipsum Spiritum accipimus. Et illa verba non sunt, quod Spiritus accipiat esse a Filio, vt vos adiecistis: nos autem a Spiritu accipimus^a creaturas. Hæc nec ex consequentia veniunt, neque omnino de necessitate colliguntur: & circa hanc partem est inter nos controuersia. Ostende vnde habes ab auctoritate collectum, quod Spiritus accipiat esse a Filio, nos autem a Spiritu.

^a id est, dona creata.

IMPER. Ad quæsitum vestrum voluit respondere, sed non respondebit^b magis.

^b id est, vtrius, vt habet Grecus scilicet 22.

PROV. Hæc non est responsio.

IMPER. Nos non venimus, vt multa audiamus, sed vt vnum discutiamus.

PROV. Ego non recedo ab auctoritate, sed dico, quod Spiritus non potest esse accusatiui casus, quia cum dicimus quod accipimus Spiritum a Filio, nil aliud est dicere, quam accipere Spiritum cum donis. Et hoc apparet per Apostolum, qui dicit: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis; scilicet a Filio.* Ergo recipiendo Spiritum a Filio, nil aliud est quam accipere Spiritum cum donis, cum recipimus dona a Spiritu, quæ numerantur in hacmet auctoritate, scilicet communicatio diuinitatis, participatio filiationis, & æternitatis arrho: & hæc sunt dona. Ista accipimus a Spiritu, vt Basiliius dicit: ergo quæ accipimus a Filio, sunt quæ accipimus per Spiritum, seu quod habemus per Spiritum a Filio. Modo auctoritas dicit contrarium^c; sic enim ait: Non enim aliqua accipimus a Filio, vt Spiritum a Filio. Si esset accusatiui casus, essent eadem: ergo oportet quod sit distinctio inter id quod accipit Spiritus a Filio, ab eo quod nos accipimus a Filio, vel a Spiritu. Modo cum hoc sit vnum principium notissimum, vt beatus Basiliius ponit in auctoritate, dicens: Duæ res cum dicantur, diuinitas & creatura:

^c Scilicet, secundum lectionem Ephesini.

& dicens omnem rem esse aut creatam, aut creatorem, hæc dona accepta a Spiritu sunt dona creata & distincta a Spiritu, qui est creator: ergo si non accipimus aliqua a Spiritu, vt Spiritus a Filio, oportet necessario, quod id quod accipit Spiritus a Filio, sit quid diuinum: & hic est clarissimus sensus Basilii, & sic nullo modo potest stare tua^a expositio.

IMPER. De expositione istius auctoritatis non est necessarium, quod nostri sentiant id quod vos exponitis, vel vos quod ipsi.

PROV. Ego reputo te imperatorem doctum virum & sapientem, & credo quod intelligatis optime hanc auctoritatem: & si inquiratis cum omnibus philosophis & doctoribus vestris, videbitis manifeste, quod non est possibile, hanc auctoritatem habere alium sensum. Si placet acquiescere huic auctoritati, transeamus ad alia: quia si transimus sic cum testimoniis, nunquam habebimus veritatem ad partem. Hæc est via veritatis, quia nos non intendimus vincere, nec vos, sed volumus quod veritas habeat locum, & ei assentiatur.

IMPER. Propositum nostrum & nostrorum non est, vt vtamur contentionibus, sed cum diligenti inquisitione videatur veritas: & propterea non in præsentia volunt permittere^a responsiones; sed quia hæc auctoritas videtur ambigua, non videtur instandum.

PROV. Auditores audiunt, si est ambigua, vel non.

IMPER. Nostri audiuerunt si est clara.

CARD. Dominus prouincialis multum bene declarauit sensum huius auctoritatis, & omnes bene intelligunt: vnde si non vultis plus respondere, sumus contenti quod procedatur ad alia, & habeatur pro declarata.

IMPER. Non habemus pro declarata.

CARD. Respondeatis.

IMPER. Respondebitur tempore suo.

CARD. Nunc est tempus.

AND. Imperator misit vnum suum ad papam secrete loquentem, qui demum reuersus est ad imperatorem, & secrete locutus. Demum imperator rogauit cardinalem sancti Angeli, vt ad eum accederet; qui de loco surgens ad eum accessit: demum secum aliquantulum allocutus, red-

^a id est, vt respondeatur ab Ephesino. Græcus scripsit sic habet Ies. 22. propterea suo loco examinabitur.

ANNO
CHRISTI
1439.

iii

ANNO
CHRISTI
1459.

iiit ad papam, & secum locutus est secrete. Et stante domino sancti Angeli apud dominum nostrum, archiepiscopus Russiæ ad imperatorem accessit, & plures alii ex Græcis, & colloquutionem fecerunt maximam adinuicem. His stantibus, cardinalis dixit ad prouincialem: Continuetis.

PROV. Satis dictum est ad hanc auctoritatem, & ideo postquam papæ & imperatori placet, procedatis ad aliam auctoritatem Basiliæ.

EPHES. Hæc auctoritas est dubia, transeamus ad alia.

PROV. Quoniam est clara & clarissima, ideo procedamus ad alia.

EPHES. Secundum quod dixistis, est ad commendationem magni Basiliæ, qui sic habet, vt in libro nostro iacet eius auctoritas, quod erat indignum menti magni Basiliæ dubitationem ponere in suis dictis, & dicere, Fortassis; & rursus, Vt id concedamus. Ad hoc dicimus nos.

PROV. Habes menti rationem quam feci?

EPHES. Quam?

PROV. Meam.

EPHES. In responsione videbitis, non esse quidem opinionem sanctorum, sicut dicebat Eunomius, tertium esse ordine & dignitate Spiritum; videtur omnino beatus Basilius non admittere. nam dicit: Simulat se custodire doctrinam sanctorum, deinde consequenter, qui fuerint sancti, dicere non potuit. Fuitne vnquam tam audax homo, qui inuolutiones dogmatum introducat? Et profecto non habebat dicere Eunomius aliquem sanctorum hoc dixisse: nam si quos haberet, illum Athanasium non putabat sanctum: nec aliquis qui ante ipsum fuerat, dixerat quod opinio sanctorum sit, nec Eunomius dicere habebat, nec magnus Basilius admisit. Quoniam autem verisimile est, Eunomium dixisse, hoc esse apud diuinam scripturam, Saluatore nostro in traditione salutaris baptismatis dicente:

Euntes baptizate eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Ex his videtur, quod colligamus Spiritum tertium dignitate & ordine. Cum hoc admittat permissiue Basilius, dicit, dignitate secundum esse Spiritum a Filio, forte tradidit pietatis sermo: pietatis sermonem dicens, quæ traduntur per sancta euangelia. Dicit sic, quod forsitan quispiam diceret sermonem pietatis tradidisse, hoc

Concil. Tom. 33.

Bbb

* Id est, auctoritas se habet, vt in lib. nostro: vos autem dicitis, quod liber noster est corruptus, & habet addita illa verba, Fortassis, & vt hoc etiam concedamus. Vide suprascripta circa hanc auctoritatem Basiliæ.

Matth. 28.

^b id est, quod colligi possit.

^c id est, ex supposito. sic enim habet Græcus textus. 22. concedens hoc Basilio, ex suppositione, dignitate, inquit, &c.

est diuinam scripturam & traditionem ex ipsa, esse tertium dignitate Spiritum; fortasse aliquis diceret hoc, si acciperet connumerationem loco dignitatis, quod quia tertius fuit nominatus Spiritus, tertius esset etiam dignitate: sed etsi hoc concederetur, non necessario apparet natura tertius. Et ita rationem dubitationis ponit, quia non de necessitate sequitur a traditione diuinæ scripturæ, Spiritum esse tertium dignitate. Hoc etiam postremo innuit, postquam posuit exempla angelorum & stellarum, ut apud librum qui recte se habet, iacet, talem se habet Spiritus quia testimonia sanctorum non habebant, ut dicit Basilius, ab ista auctoritate verisimile est istos commendasse suam sententiam: & ideo adiecit, fortasse, respiciens ad illorum sensum, & sentit quod non de necessitate tertius est natura propter hanc dubitationem. Respicens itaque ad illorum sensum, ponit illud, Fortasse, & illud, Ut ita concedamus: & sic nullam maculam imponit magno Basilio addere dubitationem hanc, quia per suppositionem dicta sunt ab illo, & per ista defendimus opinionem Basilii & libros nostros.

PROV. Ut veritas librorum vestrorum & libri nostri magis eluceret, & ut appareret manifeste, quod veritas se habet ut est in nostris libris, & nullo modo ut in libris vestris, ego volui habere copiam de verbo ad verbum, prout est in libro nostro, & ut Ambrosius interpretatus est: consideravi in quibus conuenimus, & in quibus differimus. Demum differentia est, quia ubi noster dicit: Dignitate namque secundus a Filio, ab eo esse habens, & ab eo accipiens, & annuntians nobis, ac omnino ex ea causa pendens, pietatis tradidit sermo: postea sequitur: Natura uti tertia, &c. Modo vester liber totum hoc abstulit, & facit istum saltum, & dicit sic: Dignitate secundum esse a Filio, fortasse pietatis tradidit sermo. & postea transit dicens: Natura autem uti tertia, &c. Nunc apparet, quot verba abstulistis. Secundo volens probare Basilius, ut est in Filio respectu Patris, applicando similitudinem de Spiritu sancto, similitudo currit, quod ut Filius est dignitate & ordine a Patre secundus, natura non secundus; ita & Spiritus sanctus dignitate & ordine secundus a Filio: quod sine vlla dubitatione ponit noster liber, ostendens con-

ANNO
CHRISTI
1419.

ANNO
CHRISTI
1439.

sequentiam necessariam ex similitudine Filii ad Patrem & Spiritus ad Filium. Vester liber ponit responsum dubitationis, dicens: Si etiam omnino hoc concederemus, ita quod arguit ex supposito dubio. Tertia differentia est in fine, vbi positus exemplis angelorum, & stellarum, & mansionum in caelo, Basilius ex antecedenti absoluto & vero infert consequens absolutum & verum absque aliqua dubitatione, ita dicens in nostro libro: Ita profecto Spiritum dignitate & ordine tertium suscepimus, &c. Et probat hoc per sermonem pietatis, vbi format hunc ordinem, assignans causam: Accepimus tertium a Patre numerari, ipso Domino in traditione baptismatis dicente: *Baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. Math. 28. Et hic est sermo pietatis, in quo Basilius fundat, quod dignitate & ordine tertius est Spiritus, secundum libros nostros: & hoc valde bene conuenit, quia antecedentia de angelis erant absolute posita, dicens sic: *Quemadmodum se habet in angelis, quod aliqui existentes secundi vel tertii dignitate & ordine, non tamen sunt extra naturam angelicam: (hoc est argumentum) vt se habet in illis, ita se habet in diuinis personis respectu naturæ: sed ita est ponendo omnia exempla angelorum, quod in angelis absolute sine conditione, qui sunt secundi vel tertii ordine vel dignitate, non sunt extra naturam angelicam; ita est in personis diuinis: & sicut vnum est absolute dictum, ita & aliud. Modo liber vester in hac illatione ita dicit: Ita Spiritus sanctus si dignitate & ordine succedit, vt dicunt. Postea in redditione causæ liber vester dicit: Accepimus enim tertium ordine & dignitate: & sic non est differentia inter vos & nos alia. Credo bene me replicasse librum vestrum & nostrum: modo cum in nullis aliis viderim differentiam, patienter ferendum est, si instamus pro intelligentia huius capituli, quod est principium tertii libri contra Eunomium. Nam si hæc fundamenta essent dubia, liber vester parum probaret in toto libro. Modo quæro, vtrum ex hoc textumet, & ex principio libri credatur, quod Basilius tenuerit, quod sancti patres qui præcesserunt, hoc tenuerunt. Hæc sunt a me quæsitæ; quæro ab eo.*

EPHES. Dico beatum Basilium hanc opinionem non
Concil. Tom. 33. Bbb ij

^a id est, neque
Eunomium
vere dixisse,
quod acceperit
a sanctis.

habuisse, nec a sanctis accepisse, ^a neque Eunomium hoc dixisse, quod acceperit a sanctis: & hoc apparet ex verbis Basili.

ANNO
CHRISTI
1439.

PROV. Bonum est, quod sacrum auditorium etiam intelligat præcedentia ad hæc verba: Quæ enim necessitas, &c. Quia tetigit duo puncta, & multa dimisit, præcedentia videamus, & intelligentur sequentia. Beatus Basilius sic inchoat librum: Vix saturatus blasphemis contra Vnigenitum, transiens ad Filium, suæ voluntati consequentia differens, &c. Dicit, Eunomium nihil dixisse nisi ex sua voluntate: postea ponit verba Eunomii sic dicentis: Cum sufficiat nobis hæc dixisse de Filio, consequens est etiam de Paracleto dicere, nec sequi indiscussas opiniones multorum, sed sanctorum in omnibus seruare doctrinam, a quibus tertium ordine & dignitate cum didicerimus Spiritum, tertium quoque natura esse credidimus. Hæc sunt verba Eunomii, non plus, in quibus tria tangit. Primo non vult sequi indiscussas opiniones multorum. Secundo dicit, quod vult seruare in omnibus sanctorum doctrinam. Tertio, quod cum didicerit ab eis, tertium esse ordine & dignitate, didicit tertium esse natura. Ad hoc secundum respondet Basilius ita dicens, quod non arbitratur ^b simplici ac rudi ^c fidei multorum oportere inharere: sed artificiosis & sophisticis sermonibus veritatem, prout sibi videtur, inuertit; quod & in sermonibus de Vnigenito fecisse monstratum est. Modo quod dixit Eunomius, indiscussas opiniones multorum se non velle sequi, replicans Basilius dicit: Non arbitratur simplici opinioni multorum debere inharere, eorum contemnens opiniones. Patres sanctos intelligit Basilius, cum dicit, multorum contemnens opinionem; quia subdit, qui glorificant Spiritum sanctum: & quod ipse Eunomius sciens quæ erat opinio quæ glorificabat Spiritum, illam opinionem contemnens, simulat se seruare sanctorum doctrinam, & eos qui hanc tradiderunt, reticet: nunc quoque & ipsa faciens, quæ fecit in aliis sermonibus de Vnigenito, dicit se didicisse a sanctis, tertium ipsum dignitate & ordine existere; a se autem credidisse, natura quoque tertium esse: qui autem sancti sint qui hanc doctrinam fecerunt, edicere non potest. Fuitne vnquam homo sic audax, qui di-

^b Eunomius,
scilicet.
^c id est, non
artificiose.

uinorum dogmatum introduxerit nouitatem? & sequitur: Quæ enim necessitas, &c. Quæro, cum Basilius dicit: Contemnens opinionem multorum qui glorificant Spiritum: utrum Basilius sciret illam opinionem multorum, qui glorificabant Spiritum. Dicendum est, quod sic: alias non posuisset. Secundo inquit in præcedentibus, simplici ac rudi fidei multorum oportere inharere, non artificiosis, &c. Qui erant illi sermones artificiosi & sophistici, & si ipse poterat intelligere, qui erant artificiosi sermones, factis intelligere poterat, qui erant sancti qui tenebant hanc opinionem: dicat ad hæc duo.

EPHES. Opinionem multorum qui glorificabant Spiritum, dico opinionem Christianorum: quia Spiritus ordinatus est Patri & Filio in traditione salutaris baptismatis: & de necessitate, sicut Spiritus eiusdem est gloriæ, ita & eiusdem naturæ est cum Filio.

PROV. Quæro, si sanctus Basilius cognoscebat hanc multitudinem.

EPHES. Nouit multos qui glorificabant.

PROV. Et diuus Athanasius intelligitur in illis qui pro tunc erant?

EPHES. Ille etiam glorificabat.

PROV. Qui sunt artificiosi sermones?

EPHES. Artificiosi sermones & sophistici erant ipsius Eunomii, quia ipse contemnebat opinionem multorum. Secundo cum simularet seruare sanctorum doctrinam, & non erat qui hoc diceret, supponit tertium esse dignitate & ordine Spiritum: & sic artificiose & sophistice colligit, quod cum tertius sit Spiritus dignitate & ordine, tertius natura esset. Hoc cum vellet Basilius repellere, supponit in his quæ sequuntur, quod etiam si concederemus tertium esse dignitate & ordine, prout colligebat Eunomius, quod non sequitur, quod tertius esset natura. Hi erant artificiosi sermones, quoniam simulabat habere a sanctis quæ non habebat.

PROV. Eunomius inferebat se accepisse a sanctis, Spiritum tertium & ordine & dignitate: & hoc dicebat absolute, & a se credere, ipsum esse tertium natura: oportebat eum habere sophisticam argumentationem & multum artificiosam ad probandum hoc quod ponit pro ma-

^a Tertium esse ordine: & hinc artificiose colligebat, tertium esse naturam.

^b Quia ex illa doctrina sanctorum, quod Spiritus esset tertius ordine, non poterat clare inferre quod esset tertius natura: ideo non adducebat auctoritates eorum sanctorum hoc dicentium, sed supponebat in genere dictum a sanctis.

^c Solent disputatores in et arguendum incipere propositionem aliquam, & statim mutato conceptu, vel mutatis verbis resumere aliam, vel eandem.

nifesto, quia hæc est conclusio sua, quia accepit a sanctis^a; ideo sic colligit faciendo artificiosam: oportebat ut poneret aliquid manifestum, & inde artificiose inferret. Modo Basilius dicit, quod simulabat se servare doctrinam sanctorum, sed non ponit illud artificiosum & sophisticum. Satis sit nobis, quod Eunomius ex aliquo antecedenti absoluto & sine conditione inferebat illud: cum adverteritis, videbitis hanc conclusionem sic esse. Modo isti sancti qui habebant opinionem qua glorificabatur Spiritus, erant illi quos Basilius sequebatur: & ex illa opinione qua glorificabant Spiritum, non poterat^b facere Eunomius antecedens, & inferre subsequens quod credebatur: & isti erant sancti manifeste. Et quia eorum opinio non poterat ei suffragari, non nominabat eos, nec in duobus præcedentibus libris, neque in isto, quia non poterant reperiri doctores qui dicerent, dignitate & ordine Spiritum esse tertium; ita ut sequeretur, tertium esse natura: & si quos posuisset, fuissent magis contra eum: alias sancti qui dicebant tertium dignitate & ordine, erant manifesti. Et non dicit Basilius, quod ipse non poterit reperire sanctos: & ex hac radice sumpsistis errorem ex verbis; quinam sint sancti, & ubi hanc doctrinam fecerint, non potest dicere. Ex hoc credidistis, quod quia Basilius dicit, quod Eunomius non poterat dicere, quod nec ipse Basilius haberet certitudinem sanctorum qui hoc dixerunt: & hoc est falsum.

EPHES. Non dico, quod Basilius non fuerit certus.

PROV. Dico quod verum est, quod Eunomius non poterat dicere.

EPHES. Eunomius non poterat dicere?

PROV. Quia non reperiebantur sancti qui tenerent processum in diuinis^c ad extra, & Ariani tenebant, & Eunomius. Modo dico ad rationem (volui autem dicere textum, ut omnes illum intelligant) Basilius capit aliqua ad impugandum Eunomium, arguens sic: Quicumque procedit^c, sicut se habet Filius ad Patrem, ita Spiritus ad Filium. Et post exempla posita concludit illam propositionem absolute, prout præmiserat, quia illud est verum & absolutum, quod procedit ex veris ad vera & absoluta: quia regula est, quod nunquam ex vero sequitur falsum,

ANNO
CHRISTI
1419.

ANNO
CHRISTI
1439.

vel dubium, quia si præmissæ sunt veræ & absolutæ, semper sequuntur vera & absoluta, siue sint præmissæ per auctoritates, siue per rationes, quia auctoritates sunt loco rationum. Modo ex libro vestro sequeretur ex præmissis^a veris & absolutis dubia conclusio. Secundo procederetur ex antecedenti dubio^b ad probandum consequens verum & necessarium. Illud est consequens, quod non sit tertius natura; & est necessarium, & antecedens esset dubium. Videatis qualis confusio & nota^c sequeretur. Et ex istis duobus arguebam, quod non potest stare textus libri vestri. Respondeatis ad has duas rationes.

EPHES. Non necessario colligis, dum dicis, quod necessario ab eo quod est absolutum, verum & simplex, sequitur verum & absolutum. Nam potest esse aliquid ex se absolutum & verum, & id per quod ostenditur, non sit simpliciter verum, sed per suppositionem^d. Propter hæc magnus Basilius in exemplo angelorum, & stellarum, & mansionum, dicit simpliciter verum, & ostendit quod non necessario natura secundi & tertii sunt, quia dignitate & ordine secundi & tertii sunt. Ad conclusionem propter quam exempla accipit, non ostendit id quod simpliciter & absolutum est, sed quod per suppositionem concessit, scilicet, quod etiam si daretur, Spiritum esse tertium dignitate & ordine, sicut dicunt, & sicut auctoritatem euangelii accipiunt, sed non sequitur de necessitate, natura tertium esse Spiritum: ergo non est necessarium quod dicebatis, quod omne quod simpliciter & absolute est verum, & per quod illud ostenditur, ita se habere.

PROV. Pono, si homo currit, ergo homo mouetur. Hæc propositio non dicit, quod homo currit, nec quod homo moueatur, sed conditionaliter, quia solum est necessitas consequentiæ.

EPHES. Hæc est suppositio propter verbum, si.

PROV. Nonne est bona consequentiæ? certe sic, & tamen nil ponitur, neque in antecedenti, neque in consequenti. Sed si dico, Homo currit, ergo mouetur: quia pono in esse, homo currit, ergo sequitur quod homo moueatur; & hæc est necessitas ex consequenti: ita fecit Basilius hic, quod quemadmodum se habet res ista in angelis, & in stellaris, & mansionibus, ita in personis. Hoc ipse præsupponit,

^a Exemplis, scilicet angelorum & stellarum, de quibus in eo textu Basilius.
^b Vt, verum esset tertius ordine, de quo late supra.
^c Scilicet, contra Basili.

^d Siquid videlicet accipitur, vt datum & non concessum, ita Græcus scriptor fell. 23.

^a In personis
scilicet diui-
nis.

sed ita est in angelis, non ponens aliquam conditionem: ergo oportet necessario sequi sine vlla conditione ^a, alias videretur imperitissimus in illo processu.

ANNO
CHRISTI
1449.

EPHES. In his quæ per suppositionem assumuntur, si inferatur, assumptio affirmat suppositionem. Dicimus, si homo currit, ergo mouetur; si secundum suppositionem inferimus. Sed homo currit, concessa fuit suppositio, & id quod ex ipsa colligitur, necessario colligitur: si nullatenus inferatur assumptio, non necessario suppositio conceditur, sed potest stare in ambiguo. Dubium est, si homo currit; dubia & illatio, ergo mouetur. Sic in auctoritate Basilii dicit, Spiritus tertius est dignitate & ordine: ergo tertius est natura, non necessario sequitur.

PROV. Hæc est conclusio.

EPHES. Hoc ab exemplo angelorum ostenditur, in hoc assumptionem non includit: non enim addit, sed tertius est dignitate & ordine; sed in dubio ponit: sed etsi proposuisset, certe non necessario hoc fuisset secutum, prout in angelis, quia per suppositionem sunt hæc concessa.

PROV. Nihil respondetis, quia sequitur de necessitate, si homo currit, ergo mouetur. Ad positionem inferiorum sequuntur superiora; nam fit motus in cursu: ergo si homo currit, necesse est vt moueatur: & tamen non habetur, quod currat vel moueatur, nisi faciam propositionem in esse, in minori: videlicet, homo currit, & ideo sequitur, & homo mouetur: & ideo Basilius dicit, quod sic se habet in angelis.

EPHES. Vos nominatis exemplum pro suppositione.

PROV. Ipse ponit exemplum absolute.

EPHES. Beatus Basilius exempla sumit ad probationem suppositionis, nec ponit opinionem sanctorum, sed per suppositionem dat hoc.

PROV. Ista exempla sunt absoluta. Ita profecto cum arguimus a creaturis ad creatorem, numquid non assumuntur creaturæ absolute, vt antecedens, & ex illo inferimus de Deo? Cum Aristoteles voluit probare primam causam immobilem, incipit sic: Quod mouetur ab aliquo mouetur. Nec ponit per suppositionem, sed absolute. Si posuisset per conditionem, non probasset primam causam immobilem, nisi per conditionem & per illationem consequentiæ,

ANNO
CHRISTI
1439.

quentiæ: & sic nullam veritatem haberemus de prima causa. Ita Basilius ex angelis, & id quod dicitur de creaturis in sacra scriptura, ponit absolute, volens ex his creaturis venire ad cognitionem veritatis deitatis, dicens: Licet fit tertius dignitate, non sequitur, ergo tertius natura. Si conditionaliter posuisset hoc antecedens, non plus probasset, nisi quod, si homo currit, ergo mouetur. Et neque in angelis, neque in Deo quid intulisset: & sic si cum Eunomio non disputasset, nisi de illatione conditionali, quid valuisset hæc disputatio? Vnde necessario est, vt habeatur sensus noster. Facias vt velis bene videre, & seruare honorem beati Basilii.

AND. Et sic finis pro illa die.

NOTÆ AD DECIMAMNONAM
COLLATIONEM.

² Spiritum.] Sic ad verbum Græcus scriptor sessione 22. in ea parte, vbi incipit Ephesius: Ego sane. Itaque illa verba, *Sicut a Filio Spiritum*, sunt verba textus Basilii, quæ inter loquendum ponderat Ephesinus & explicat, *quod a Filio accipimus Spiritum, qui est alius quam ipse Filius, & a Spiritu* (vt ipse ait ibidem) *non alia quadam accipimus præter ipsum Spiritum*. Verba textus Basilii in oratione 17. in sanctum baptisma in fine sunt hæc, vt in editione Parisiensi anno 1618. *ἕνα μὲν οὐὶ πατέρα, ἕνα ἡ υἱόν, ἐν δὲ πνεῦμα καὶ πλὴν θείας ᾧ ἀδόσον ὁμολογητόν, καὶ οὐτε δύο πατέρας, οὐτε δύο υἱούς· διότι τὸ πνεῦμα ἕδος ἐκ ἐστίν, οὐδὲ ὀνομάζεται. οὐ γὰρ ᾧ τὸ πνεύματος ἕνα λαμβανόμεν, ὡς περ ᾧ τὸ υἱὸς τὸ πνεῦμα, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα ἡμῶν καὶ ἀγαλλῶν ὑποδεχόμεθα, θεότητος κοινωνίαν, καὶ ἕσποτος μετοσίαν, καὶ ἀγώνιου κληρονομίας ἀρραβῶνα, καὶ τῶν μελλόντων ἀγαθῶν ἀπαρχήν.* Quæ in Latinum translata sic se habent: *Vnum itaque Patrem, vnum Filium, vnum & Spiritum secundum diuinam traditionem confiteri oportet, & non duos patres, non duos filios, quandoquidem Spiritus non est Filius, neque nominatur. Non enim a Spiritu aliqua accipimus, quemadmodum a Filio Spiritus, sed ipsum ad nos accedentem & sanctificantem suscipimus, diuinitatis communionem, & filiationis participationem, sempiternaque hereditatis arrhabonem, ac futurorum bonorum primitias.* Tota difficultas inter prouincialem & Ephesium est in verbo πνεῦμα, quod cum in Græco sit neutri generis, potest esse casus nominatiui & accusatiui; sed ex contextu & vi rationis probat prouincialis esse nominatiui, vt etiam in secunda nota dicimus. Quo vero ad illa verba sequentia, nimirum: *Sed ipsum Spiritum ad nos accedentem, &c.* sensus illorum est, quod non accipimus a Spiritu, sicut accipit a Filio Spiritus, ipsam, scilicet, diuinam essentiam, ita vt simus ab illo procedentes, & illi consubstantiales,

Concil. Tom. 33.

Ccc

sed accipimus ipsum Spiritum ad nos accedentem, eius gratiam, dona, &c. Quomodo autem non solum dona Spiritus, eiusque gratiam sanctificantem, sed ipsam etiam personam, imo & personas diuinas speciali modo amantis in amante recipiamus, vide sanctum Thomam 1. part. quaest. 43. art. 3. arg. 1. quem fuse explicat Suarez de Trinitate lib. 12. cap. 5. num. 8. Sicut enim ad esse nostrum naturale per creationem consequitur ut sit Deus in nobis per essentiam, praesentiam & potentiam, ut docet sanctus Thomas 1. part. quaest. 8. art. 3. ita & ad esse gratuitum per gratiam sanctificantem consequitur, ut personae diuinae sint in nobis speciali modo amantis in amante, & dirigentis in re directa ad vltimum finem & beatitudinem aeternam, iuxta Saluatoris sententiam Ioan. 14. *Adeum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Et quia infusio gratiae & donorum attribuitur tertiae personae & Spiritui sancto, qui est primum donum; ideo de eo dicit Apostolus Roman. 5. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Et hoc est quod docet sanctus Basilius in praefata auctoritate, nimirum nos recipere Spiritum sanctum sanctificantem nos per gratiam & dona quae nobis largitur, ut late infra hac eadem collatione prouincialis.

² *Neutri.*] Cum Spiritus in Graeco sit neutri generis, & sic idem in nominatiuo ac in accusatiuo, ad ineptum sensum detorquet verba Basili, quod, scilicet, *non accipimus aliqua a Filio, sicut Spiritum a Filio;* & subintelligebat, *accipimus:* hunc sensum excludit prouincialis. Hinc corrigenda translatio Latina in editione Parisiensis, vbi legitur, *Spiritum.*

³ *Spiritu.*] Scilicet res creatas, nempe gratiam & dona Spiritus sancti. Sic enim habet Graecus sessione 22. *Quod vero Spiritus sanctus accipiat suum esse a Filio, ut ipse addidisti, nos autem a Spiritu accipimus res creatas, hoc neque ex dictorum serie sequi videtur, neque omnino colligitur necessario. Ostende igitur ipse unde sumas, Spiritum quidem accipere suum esse a Filio, nos vero accipere a Spiritu creaturas.* Haec ille.

⁴ *Expositio.*] Graecus scriptor sessione 22. referens haec dicta prouincialis, haec ait: *Ephesus autem non habens quid responderet, diu tacebat: & imperator veritus ne in aliquod dogma sermo dilaberetur, &c.* Et paulo infra: *At vero Ephesus tacebat, atque ad haec non respondebat.*

⁵ *Se habet.*] Deest aliquid, quod supplendum est ex Graeco scriptore sessione 22. his verbis: *Vt in nostro incorrupto codice legitur, dicit, & si ordine & dignitate Spiritus posterior est (ut asserunt.)* Haec ille. Vides tertiam additionem, & textus Basili corruptionem: prima est fortasse pietatis, &c. secunda, ut hoc etiam concedamus; tertia, ut asserunt. Quas hic immediate enumerat prouincialis. Primas duas corruptiones habet editio Parisiensis anno 1618. tertiam non habet.

⁶ *Ad extra.*] Id est non reperiebantur sancti, qui tenerent processionem Filii esse ad extra. Graecus sic habet sessione 22. *Ceterum Eunomius sanctos proferre non poterat: sancti enim nostri qui ante illum fuere, dicebant hoc, intelligentes processionem ad intra: Eunomius autem,*

ANNO
CHRISTI
1439.

quippe vt Ariana opinione imbutus, iuxta Arianos intelligendo ad extra, hac nequaquam recipiebat. Nunc ad illud venio, quod precedente sessione dixi, ad quod etiam tu respondisti: hoc posito tantum volui transcurrere textum, &c.

COLLATIO VIGESIMA.

DIE XVII. MARTII.

Plures auctoritates adducit Ephesinus ad probandum, Spiritum sanctum non procedere a Filio, quibus respondet prouincialis.

AND. DIE decima septima Martii inchoata est disputatio.

EPHES. Fides nostra non ex hominibus, aut per homines commendationem habuit, sed per ipsum Dominum nostrum Iesum Christum, qui personaliter locutus est discipulis: propterea omissis ambiguis auctoritatibus, licet & ipsæ auctoritates legitime perspectæ potius videantur pro nobis fecisse, quam contra nos, recurram ad illud quod debemus de fide tractare. Non enim magnus Basilius vnquam tractasset, vel insinuasset aliquid contra traditionem dominicam, vel apostolicam, vel eorum qui successerunt eis, vel contraria ipsis, vt per alias auctoritates ostensum est, & amplius ostendetur, concedente nobis sermonem Deo in aperitione oris. * Age igitur honorem discipulum a magistro, & seruum a Domino, ostendamusque consonum sibi ipsi, & eorum quæ tractauit in omnibus. Primum igitur ipse Deus verbum, & theologiae praeceptor in nouissima sua allocutione cum discipulis dixit: *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* In his conspiciuntur tres diuinæ personæ, & ipse Dominus vnicuique accommodat proprium: de Spiritu autem solo dicit, *Cum venerit*; de seipso cum Patre dicit, *Quem mittam vobis a Patre*: rursus de Patre solo, *Qui de Patre procedit.* Videas ergo diligentiam theologiae. Nam per illud, *Cum venerit*, libertatem & dominationem ostendit: per illud autem, *Quem mittam vobis a Patre*, suam & Patris voluntatem fuisse ostendit missionem & apparitionem Spiritus: per illud denique, *Qui a Patre procedit*, causam

* Ad omnes auctoritates, quas hic profert adducit Ephesinus, vide responsiones prouinc. infra hac eadem collatione & collat. 21. nu. 7.

Ioan. 15.

Concil. Tom. 33.

Ccc ij

ostendit Spiritus unde habebat esse. De primis quidem duobus testis est theologus Gregorius in sermone quem edidit in festo Pentecostes, de Spiritu dicens: Veniens quidem utpote liber, mittitur autem ut non contrarius Deus. Nam quia præcognito Patre, deinde cognito Filio, posterius apparuit mundo Spiritus sanctus, ne videretur contrarius esse & cuiusdam alterius naturæ aut voluntatis, propterea mitti a Patre & Filio dicitur, bonam voluntatem eorum (quod iam diximus) insinuante verbo^a. Iterum in sermone de Spiritu sancto dicit ipse Theologus: Mittitur quidem dispensatiue, venit autem ex propria sua potestate. Dicens, dispensatiue, per hoc apparitionem Spiritus in mundo propter hominum vtilitatem significat, quemadmodum verbum missionis Patri & Filio attribuitur, aduentus soli Spiritui: nam solus Spiritus venit, & nullam simul intelligere personam necesse est earum quæ mittunt. Ita in processione verbo, a Patre solo necesse est intelligere Spiritum procedere, & nullo modo a Filio. Nam cum sui mentionem egerit diligenter Dominus, & cum attribuerit sibi & Patri missionem Spiritus, non etiam de processione dicit, A nobis, aut qui a me & a Patre procedit: nam hoc certe dixisset, si cognouisset processionem suam esse. Quod autem, Qui a Patre procedit, proprium sit Spiritus, & propter hoc nullo modo sequatur necessario, intelligere & a Filio, testis est nobis theologus Gregorius^b tradens proprietatem diuinarum personarum, in quibus dicit: Propterea stantes nos intra terminos nostros, ingenitum introducimus & genitum, & qui a Patre procedit, sicut dicit Deus Verbum^c. Sic ergo est proprium Spiritus sancti, Qui a Patre procedit^d; & non simpliciter, qui procedit: quod autem est proprium, necesse est conuertatur ad id cuius est proprium; neque superabundare, neque deficere potest. Necesse est ergo intelligere & dicere, si quis est Spiritus sanctus, hic est qui a Patre procedit: & si quid est quod a Patre procedit, necesse est quod sit Spiritus sanctus: si autem ab aliquo alio procedit, non est Spiritus sanctus. nam necesse est hoc intelligere secundum consequentiam rationis, & conuersionem. Non est necessarium, neque omnino possumus intelligere, cum audimus, Spiritum a Patre procedere, quod etiam

^a Dum scilicet dixit, mittam vobis a Patre.

^b Orat. 1. de Filio.

^c Ioan. 17. Spiritum veritatis, qui a Patre procedit. Vide responsiones prouincialis ad hæc omnia infra collat. 22.
^d Id est, proprium est Spiritus sancti a Patre procedere, & non simpliciter procedere, ita ut possit intelligi ab utroque.

ANNO
CHRISTI
1439.

a Filio procedat. Et hæc quidem saluator noster & Deus, & theologiæ magister, sed & discipulus eiusdem & secretorum præceptor cælestis homo Paulus vas electionis, videamus qualia & ipse de hoc dicat ad Corinthios scribens. De Spiritu sancto & de substantia eius, & vnde eam habeat, ostendere volens, hæc scribit: *Nos non Spiritum mundi accepimus, sed Spiritum qui est a Deo.* Et ne aliquis diceret: Potest etiam Filius intelligi, vt ab eo etiam procedat: istam speculationem explicans beatus Ioannes theologus & euangelista, quando reuelauit magno & miraculoso Gregorio secreta theologiæ, mediante sancta Dei genitrice Maria, talia dicit, (vt magnus Gregorius episcopus Nyssenus, qui vitam eius scripsit, refert) Vnus Spiritus sanctus qui a Deo subsistentiam habet, & quidem per Filium apparuit hominibus. In his manifestum est, nos nullo modo posse intelligere, qui a Deo habet subsistentiam, a Filio esse: non enim subiunxisset postea, Et qui per Filium apparuit hominibus. Nam impossibile est & inconsequens a Deo & a Filio intelligere Spiritum habere subsistentiam, deinde inferre: Et per ipsum apparuit hominibus: sed ad diuersas figuras producens sermonem, ostendit illud solum Patri attinere, quod ex ipso subsistentiam habeat Spiritus: hoc autem ad Filium, quod per ipsum apparuit hominibus. Ergo non est necesse similia intelligere, cum audimus Spiritum a Deo, quod & a Filio sit: neque omnino possibile est, vt ostendimus, si quidem aliud significat, per Filium apparuisse; & aliud, a Deo habere subsistentiam: quorum vnum attribuitur Filio, aliud Patri. Hoc quidem de diuinis scripturis diximus. Post vero diuinum apostolum Paulum, discipulus eius & communicator diuinorum secretorum Dionysius compareat, qui nobis eadem contestatur. Nam ipse in capite ^ade vnica & discreta theologia, tradens nobis diuinarum personarum & omnimodæ distinctionis rationem, talia scribit: Est autem & distinctio in supernaturalibus theologiis, non ea tantum quam dixi, quod & secundum ipsam vnionem inconfundibiliter & immixte collocatur vnaquæque diuinarum personarum, sed quod etiam supernaturalis diuinæ fecunditatis non est conuersio adinuicem, solus quidem fons supernaturalis diuinæ fecunditatis est Pater. Si ergo solus fons

1. Cor. 2.

^a De diuin.
nom. c. 2.

diuinæ fecunditatis est Pater, & per hoc a Filio & a Spiritu distinguitur; (nam de omnimoda distinctione personarum intentio erat sermonis) neque Filio commune est cum Patre, neque Spiritui sancto, esse fontem: etenim tali modo confusio esset circa diuinas personas, & distinctio tolleretur. Neque enim ea quæ sunt vnita diuidere, vt ipsemet dicit, fas est, neque quæ distincta sunt confundere: & propter hoc fontis ratio & nomen nullo modo ad Filium peruenit. Cum autem Filius non sit fons deitatis, manifestum est, quod Spiritus causa non est Filius. Nam deitas supernaturalis, quæ originatur, est Spiritus sanctus: & sic cum Pater existat solus fons deitatis, & per hoc a Filio & Spiritu distinguatur, solus erit productor & spirator vt est solus Pater. Et hæc nostra est opinio; nec colligitur a doctoribus vestra, sed nostra, sicut expresse & aperte dictum est. Eadem dicit magnus Athanasius in sermone, cuius titulus est: De æterna subsistentia Filii & Spiritus. Nam dicit: Separamur ab iis qui iudaizant, & ab iis qui deprauant Christianismum, qui Deum qui est de Deo, negantes, vnum Deum vt Iudæi dicunt, non solum quia solus est non genitus & solus fons deitatis Pater, propter hoc dicentes solum Deum, sed tamquam infecundum Filii, & infructuosum verbi viuentis. Hic etiam magnus doctor solum non genitum, & solum fontem deitatis Patrem dicit: & quemadmodum esse non genitum non potest fieri commune vtrique duarum aliarum personarum, sic fons deitatis nequaquam communicari potest cum Filio: ergo Filius non est fons deitatis, & propter hoc neque Spiritus sancti causa. Videtisne omnia consonantia veritati, & sanctorum adinuicem concordiam? Denique afferimus sententias œcumenicorum Conciliorum per episcopum Cæsariensem Leontium, qui talia dixit ad quemdam philosophum Phædonem dubitantem: Accipe vnam deitatem Patris qui genuit Filium ineffabiliter, & Filii qui natus est ex ipso, & Spiritus sancti ex eodem Patre procedentis, qui & proprius est Filii, sicut dicit diuinus Apostolus: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Consideranda est hæc intentio sanctorum patrum, qui dum tractarent de Spiritu, vnde procedat & causam habeat, cum dixerint, deitatem Spiritus sancti qui ab ipso proce-

Rom. 8.

ANNO
CHRISTI
1439.

ANNO CHRISTI 1439.
dit, addiderunt statim, Patre, ne quis putaret ad Filium referri processionem, quia de proximo de illo egerant memoriam. Insuper ^a.

CARD. Transgreditur formam datam, in qua fecimus, vt de auctoritate in auctoritatem procederemus.

EPHES. Magister iste respondens ad vnam auctoritatem per nos adductam, tantum sumpsit tempus, vt totum tempus ceperit; quod & in præcedentibus fecit. Ideo nos videntes hæc, putauimus ita faciendum esse, vt vnam & similes omnes rationes nostras adduceremus, vt saltem coactus ad vnumquodque respondeat. Insuper infirmitate impediti non possumus singulis respondere.

PROV. In præcedenti nostra disputatione ex mutua conuentione inter dominum nostrum & imperatorem conuentum est & conclusum, quod de capitulo in capitulum, & de argumento in argumentum procederemus: & ideo primo inchoauimus ab auctoritate Basilii posita in festo Pentecostes: & quamquam dicta sint circa illam auctoritatem, pro inuestigatione intelligentiæ Basilii, multa, nunquam exiimus propositam auctoritatem. Expedita illa, venimus ad aliam auctoritatem Basilii. In hac ergo aliquantulum fui prolixus in expositione ipsiusmet textus, non exeundo textum, quia si volebam facere rationem ex ipso textu, oportebat vt sacer coetus haberet notitiam textus: nunquam introduxi aliam auctoritatem, nisi verba textus. Et quia argumenta sumebantur ex antecedentibus & sequentibus, oportuit illa dicere; & facta declaratione textus, formaui duas rationes ad probandum de necessitate, quod textus non poterat stare cum illo verbo dubitatio; ita quod quantum natura rei requirebat, non poteram esse breuior. Modo ad rationes quæ fuerunt vltimæ in nostro recessu, si voluisset seruare optimum ordinem, debebat respondere. Vnum ex duobus sequitur ex his, aut quod vidit rationes meas concludere, & quod non potest respondere; & hoc nobis placet, si fateatur: aut quia voluit fugere, intrauit aliam materiam. Sed etiam pace eius dixerim, si volebat euitare argumenta quæ concludunt, debebat transire ad auctoritates Athanasii, quæ secundo fuerunt productæ, quæ ita necessario concludunt, vt auctoritas Basilii. Modo vero non respondet argumen-

^a Sermo interruptus a cardinali.

Ioan. 16.

Matth. 28.

Ioan. 16.

tis, nec tenet ordinem: de auctoritatibus Athanasii transit ad auctoritates euangelii, ac si primæ auctoritates non fundarentur in textu euangelico. Numquid auctoritas Basilii non fundatur in verbis euangelii, *De meo accipiet, & annuntiabit?* Nonne verba pietatis & baptismi fundantur in verbo Dei, cum dicit: *Baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti?* modo verbum Christi quid dicit: *Qui a Patre procedit?* ille idem in medio capite 16. euangelii Ioannis declarans quomodo debeat intelligi, *Qui a Patre procedit, dicit: Omnia quæ habet Pater, mea sunt:* ideo dixi, *Quia de meo accipiet.* Ex quo ergo auctoritas diuinæ scripturæ Iesu Christi, est primo posita in medio per sanctos doctores, & ducta in vim argumentationis, valde absurdum est & indecens in tanto auditorio, quod dimissa hac magna auctoritate indiscussa, nulla facta responsione rationibus quæ conuincunt, transeamus ad alias. Modo dico sic, dicat prolixè, quia non habeo sibi imponere legem, sed imperator: ego seruabo honestatem & ordinem disputationis, nec vnquam respondebo sibi ad quacumque dixerit, donec responderit per ordinem, prout inchoauimus disputationem. Modo videatis si vultis consumere tempus in vanum: requiro eum ex debito honestatis & disputationis, vt respondeat nostris rationibus, quia ex illis habebimus clare intentionem Basilii, nisi sanctissimus dominus noster aliud mihi mandet. Dixi alias, & dico, quod in tertia Synodo hoc firmatum est, vt dicit Cyrillus*; & hoc debet esse regula tibi & mihi, dicens: *Sequentes sanctorum patrum confessiones quas fecerunt, loquente in eis Spiritu sancto, & intelligentias inuestigantes, veritatem dicimus, &c.* ita debent adduci testimonia, vt inuestigemus intentiones sanctorum.

* Epist. ad Nestor. in actis Concil. Ephes. par. 1. cap. 26. que incipit: *Cum Saluator.*

AND. Collocuti sunt Græci adinuicem.

EPHES. Nos modum disputationis, sicut adinuicem conuenimus, nullo modo reliquimus, sed cognoscit paternitas vestra, quod proponentibus vobis duas aut tres auctoritates, consumpsimus super his omnes antecedentes disputationes. Ideo ne hoc semper fieret, visum est nobis probationes & omnes nostras rationes adducere, non de aliquibus libris latentibus & non omnibus cognitis, neque ex dubiis & corruptis, sed ex ipsis scripturis sacris,

& ab

ANNO
CHRISTI
1439.

& ab iis sententiis quæ ab omnibus patribus profitentur. Nam si semper circa eandem auctoritatem consumemus tempus, dum vos quærendo per argumentationes & rationes, nos respondere velimus, esset ad infinitum processus. Propterea quia responsum dedimus aperte & manifeste de additione illa dubitationis quæ inuenitur apud nostros libros, visum fuit, illa auctoritate ommissa, ne semper in infinitum progrediamur, nostras rationes adducere; deinde voces Basiliæ, quæ omnibus his sunt consonæ; vt ex omnibus his appareat librum vestrum esse corruptum: postea poteritis assumere vnamquamque auctoritatem, & vt volueritis, disputatiue inquirere, si Deus concesserit, & tempus patiatur.

IMPER. Intentio nostra non est, vt ordo disputationis mutetur, & si voluissetis expectare vsque ad finem sermonum, ipse venisset ad propositum dimissæ auctoritatis, quia intentio nostra & nostrorum non est, vt diuertamus a disputationis modo, & quod vobis respondeatur. Ego hoc ordinaui, quia vos dicebatis, & nostri pauca respondebant, & non poteramus dicere quæ volebamus: ideo visum est prætermittere has auctoritates, vt ad conclusionem veniremus auctoritatis propositæ. Propterea si placet, permittatis dominum Ephesinum dicere, quia pauca supersunt.

PROV. Hic modus non est utilis, quia si habet redire ad propositum & multa dicere, quibus non debet fieri responsio, ista videntur superflua ad dicendum, quia si vult habere responsionem illis, melius est vt deducantur de auctoritate in auctoritatem, quam quod omnia simul adducantur, quia homines obliuiscuntur, & non potest fieri bona responsio. Ipse deberet primo respondere propositis per me, & postea ego dicerem.

AND. Cardinalis iuit ad papam, & postea rediit.

CARD. Licet vrbanius esset & iustius, vt modus inceptus seruaretur de auctoritate in auctoritatem: tamen postquam Ephesinus vult multas auctoritates cumulare, placet domino nostro cum hoc, vt nostris quæsitis respondeatur.

IMPER. Placet.

EPHES. *Redeamus ad consequentiam eorum quæ dicebamus, quod sanctum primum Concilium œcumeni-

Concil. Tom. 33.

D d d

^a Gelasius Cy-
ricen. in actis
Nicensi lib. 1.
paulo ante
fuit relata hæc
eadem aucto-
ritas ab eodem
Ephes. de qua
in 3. nota hu-
ius collationis.
Rom. 8.

Ibidem.

^b Epist. ad
Ioan. Antio-
chenum in a-
ctis Concil.
Ephes. par. 3.
c. 34. in fine.

^c Vide paulo
infra.

^d id est, Cum
autem non sic
dixit.

^e Homil. 28.
in editione Pa-
ris. 1747. sic
legitur: Ego
vero agnoscio
illum cum
Patre, Patrem
vero esse, non
ita.

^f Verba Basili
homilia cita-
ta.

^g Alias, cogna-
tionem: quod
& in sequenti-
bus vbi repli-
catur, obscurus.
Ibidem.

cum respondit ad philosophum dubitantem per episco-
pum Leontium, hæc^a: Suscipe vnam deitatem Patris qui
genuit Filium ineffabiliter, & Filii qui natus est ab ipso, &
Spiritus sancti qui procedit ex ipso Patre, proprii autem
existentis Filii, sicut dicit Apostolus: *Si quis Spiritum Chri-
sti non habet, non est eius.* Ita quidem se habet auctoritas:
sed est considerandum, quod timentes isti beati patres,
quod ne dum quis audiret de Spiritu qui procedit ex ipso,
putaret ipsos dicere Filium, quia de proximo erat Filii
memoria facta, adiecerunt, Ex ipso Patre; quod est dicere,
non ex Filio, sed ex Patre: statim iterum proprii existen-
tis Filii, quasi dicant: Etsi non procedit ex Filio, non tamen
est alienus a Filio, proprius autem substantiæ eius, &
consubstantialis ei. Et ad hanc intentionem inquit Apo-
stolus: *Si quis Spiritum Christi non habet, ipse non est eius.*
Hoc sentit Cyrillus^b dicens: Etsi procedit Spiritus ex
Deo Patre, sed non alienus est a Filio. Hoc ipse inquit, cum
responderet ad Theodoretum, (sicut diligentius^c dicemus,
si tempus permiserit) qui eum criminabatur dicentem,
Spiritus procedere etiam a Filio. His patribus magnus
Basilius consona inquit (dico autem patribus primi Con-
cilii) qui post ipsos statim fuit. Nam dicit in 18. capite ad
Amphilochium: Spiritus Christi dicitur, tamquam accom-
modatus secundum naturam eius, hoc est, vt consubstan-
tialis. Si autem sciuisset ipsum accipere esse a Filio, sicut in
libro vestro corrupto iacet, non dixisset, tamquam accom-
modatus sibi secundum naturam, sed vt ab ipso procedens
& esse accipiens; modo fuisset consequens, ^d cum non di-
xit; ergo liber vester non bene stat. Dicit ipse in sermone
contra Sabellium^e & Arium talia: Ego cum Patre qui-
dem noui Spiritum, sed non Patrem Spiritum.

PROV. Habetis librum?

EPHES. Non hic.

PROV. Oportet adducere.

EPHES. Ego cum^f Patre quidem scio Spiritum, non
Patrem Spiritum; & cum Filio accepi non Filium nomi-
nari, & familiaritatem^g quæ est ad Patrem, intelligo,
quia ex Patre procedit. Ad Filium autem, quia audio: *Si
quis Spiritum Christi non habet, non est eius.* Videtis etiam hic
consona sibi ipsi & patribus illis? non eandem proprie-

ANNO
CHRISTI
1449.

ANNO
CHRISTI
1439.

tatem familiaritatis dicit Spiritus ad Patrem & ad Filium, sed ad Patrem, quia ab ipso procedit; ad Filium autem, quoniam Apostoli dicit auctoritas, quod si quis Spiritum Christi non habet, non est eius: videlicet quia ita simpliciter est sibi familiaris Spiritus secundum naturam, sicut in præallegata auctoritate dicitur; non quod ab ipso procedat. His quidnam clarius de intentione huius sancti patris? Eratne verisimile ipsum hoc scripsisse, si sciret Spiritum a Filio procedere? Iudicate vos, patres, ut veritate utamur: hæc sunt primi Concilii dicta, quibus ostensus est consensus magnus Basilius. Ipsa denique prima Synodus in symbolo sic Spiritum sanctum ordinavit cum Patre & Filio secundum traditionem illam baptismatis traditam per Dominum, & post^a homologiam Patris & Filii intulit: Et in Spiritum sanctum. Secundum autem Concilium quod post ipsum factum est, volens hanc vocem explicare, & quomodo coordinetur cum Patre & Filio Spiritus, clarius ostendere ad eversum illorum qui contra Spiritum pugnant, talia dicit in symbolo: Credimus in Spiritum sanctum dominum vivificantem, qui ex Patre procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur. Hic speculanda est intentio diuinorum patrum, quia propositum fuit illis theologiam explicare, & modum unionis Spiritus ad Patrem & Filium. Concilium hoc clare voluit exhibere: & videte quomodo differenter & ipsum exhibet familiaritatem Spiritus ad Patrem & ad Filium. Nam dicit, quod coordinatus est Spiritus sanctus cum Patre & Filio, ut ex Patre procedens, simul vero cum Patre & Filio adoratur & glorificatur, hoc est, est eiusdem honoris & consubstantialitatis. Verum si ab utroque sciisset procedere, cuius gratia dum memoriam fecit de utroque, illud non prius dixit, Qui ex Patre Filioque procedit; & postea non intulit, Qui cum illis simul coadoratur & conglorificatur? Hoc consequens fuisset, si talem habuisset sensum: & hoc facere solemus, quando aliquid ad duo referimus, & maxime cum illud dicimus causam ab illis ipsis habere, prius exponentes ambas causas, tunc & postremo comune inferimus, ut puta, qui simul conglorificatur & adoratur. At vero patres prætermiserunt in primo memoriam Filii, cum voluerunt addere causam Spiritus^b,

^a confessione.^b Dicentes ex Patre procedentem.

Concil. Tom. 33.

D d d ij

in secundo autem intulerunt consubstantialitatem, & honoris identitatem exhibere voluerunt. Non ergo Spiritum a Filio procedentem cognouerunt: nam hoc non prætermisissent, maxime quando faciebant expositionem: & quod expositio sit perfecta, & non defectuosa, vt dicitis, nec causarum alteram tacuerint, manifestum est, quia nullam post Concilium illud alia Concilia aliam expositionem ab illa fecerunt, nec addiderunt a Filio procedere: imo omnia Concilia prohibuerunt hoc, & euitarunt per suas diffinitiones, vt præsciuerint profecto quod per vos facturum erat. Huius Concilii propugnator & dux, & huius symboli conscriptor, vt dicitur, magnus Gregorius fuit, cuius agnomen proprie attribuitur a theologia. Dicit ipse scribens consona sibi & ceteris patribus in sermone, cuius est intitlatio, De navigatione episcoporum de Ægypto^a: Omnia quæ sunt Patris, sunt etiam Filii, excepta causa. Inspiciendum est hoc, quod & ipse Filium a Patre distinguit; & sicut magnus Dionysius fontem, sic ipse causam distinguit. Si ergo Filius causalitate distinguitur a Patre, & nullo modo est causa, liquet ipsum nec Patrem esse, nec productorem, & propter hoc nec causam Spiritus; nam hoc aperte doctor edidit. His omnibus consona & tertium Concilium dixit. Nam cum primum aduenit symbolum Nestorii productum per quemdam presbyterum Charisium, in quo continebatur, quod Spiritus sanctus neque Filius est, neque per Filium subsistentiam habet, ita huiusmodi theologiam laudat tamquam familiarem patribus, & consonam scripturæ, vt non eum accusauerit, neque magnum, neque paruum, neque coarguens est Nestorium de his sermonibus in theologia^b; imo approbans tale symbolum, in suo symbolo talia dicit: Si deprehenderentur aliqui, aut scientes, aut docentes ea quæ continentur in expositione adducta per Charisium de humanitate vnigeniti Filii Dei, hoc est, scelerata dogmata Nestorii, subiaceant sententiæ huius sacri & sancti œcumenici Concilii. Videtisne, patres, quæ dicit scelerata dogmata Nestorii, ea quæ sunt de humanitate vnigeniti Filii? Liquidum est ergo, quod ea quæ de Deo erant, verissima erant & sancta, nec aliquam occasionem tradentia querelæ: vnde nec de illis conquesti sunt. Hoc autem non est parum quid

^a Orat. 24.
num. 17. in
editione Parisiensi.

^b De sermonibus scilicet quoad processionem Spiritus, quos approbat, vt vult Ephes. & quoad humanitatem tantum subdit Concilium damnationem Nestorii, vtiple ait.

ANNO
CHRISTI
1439.

ad probationem, quod communis sensus ecclesiæ est, nullo modo Spiritum a Filio procedere: nam liquet, quod patres acceperint & habuerint, & vt propriam eam opinionem agnouerint. Itaque etiam a tertio œcumenico Concilio hoc approbatum est. Sed quoniam beatus Cyrillus opponens se Nestorio de processione Spiritus, occasionem quamdam dedit, vt putaretur, hunc etiam a Filio subsistentiam habere, reprehendit ipsum Theodoretus, vt ex persona orientalium, ita dicens^a: Si proprium Filii Spiritum sanctum, siquidem vt eiusdem naturæ, & a Patre procedentem dixit, confitebimur, & ita suscipiemus vocem: si vero tamquam a Filio aut per Filium subsistentiam habentem, vt blasphemum excutiemus. credimus enim Domino dicenti: *Spiritus veritatis qui a Patre procedit*: & Apostolo: *Nos vero non Spiritum huius mundi accepimus, sed qui est a Deo*. Ad hanc querelam dicit Cyrillus^b in his quæ scripsit ad quemdam Euoptium episcopum, calumniari & accusari a Theodoro, qui contra ipsum inuehebatur propter inimicitiam cum ipso, & amicitiam Nestorii. dicit autem sic scribens ad Euoptium: Accepi ad certificationem tuæ pietatis erga me tomum illum quem misisti, quem dicunt composuisse Theodoretum Cyrensem: nam ita dicunt vocari oppidum. Cum autem vidissem ea quæ inerant, reddidi Deo gratulationis cantus, nec defeci illud dicens: *Domine eripe animam meam a labiis iniquis, & a lingua dolosa*. Nam inuenio me vbique calumniari, & in quolibet capitulorum hæc tolero. Si igitur in quolibet capitulorum dicit calumniari, liquet etiam in illo ipsum calumniari, cum blasphemum illum & illius impiam opinionem Theodoretus dixit. Ergo tenebat illam secundum quod Theodoretus profitebatur^c, & cum ipso illam suscipiebat vocem, hoc est, proprius illi Spiritus sanctus, vt eiusdem naturæ cum eo, tamen a Patre procedens. Hoc idem etiam in defensionem querelæ ille adiecit: nam dicit sic^d: Etsi ex Patre procedit Spiritus, tamen non alienus a Filio: nam omnia habet cum Patre. Videsne quomodo in illa parte concordat, in qua dicebat Theodoretus suam suscipere vocem? Post hoc facta vnione cum orientalibus, scribit ad Ioannem^e Antiochenum episcopum beatus Cyrillus eadem causa, dico de processione Spiritus sancti,

^a In actis Concil. Eph. part. 3. cap. 1. contra 9. anathematismum.

^b Ioan. 15.

^c 1. Cor. 2.

^d In actis Concil. Ephes. part. 3. cap. 3. in princ. & ibid. in defensione 9. anathematismi.

^e Psal. 119.

^f Alias scilicet non dixisset se calumniam passum ab eo.

^g In defensione 9. anathematismi.

^h In actis Concil. Ephes. part. 3. num. 34.

simul & vt symbolum immutatum maneat, sic dicens: Nullo modo moueri toleramus fidem eam quæ terminata est a patribus, hoc est fidei symbolum: neque permittimus nobisipsis, vel aliis, aut dictionem mutare eorum quæ

Proverb. 22.

posita sunt, vel vnam syllabam, memores dicentis: *Noli transgredi terminos æternos, quos patres tui posuerunt.* Non enim erant ipsi qui loquebantur, sed Spiritus Patris qui procedit ex ipso; non autem alienus est a Filio secundum rationem essentiæ. Videtisne etiam hic in qua parte diuisionis Theodoretus beatus Cyrillus consentiat? Nam dicit (proferens sermonem per figuram diuisiuam) Procedit quidem ex Deo Patre, non alienus a Filio, hoc est secundum rationem essentiæ, vt consubstantialis. Hoc autem & ipse Theodoretus sic dicebat, quod si tamquam consubstantialem & a Patre procedentem dixit, suscipimus vocem vt piam. Hanc epistolam cum accepisset Theodoretus cum aliis orientalibus, & inuenisset theologiam sibi & scripturæ consonam, talia dicit etiam ipse in epistola ad Ioannem Antiochenum^a: Ea quæ missa sunt a Cyrillo, euangelica nobilitate adornantur. Nam in eis prædicatur Deus perfectus & homo perfectus Dominus noster Iesus Christus, Spiritus autem sanctus non ex Filio, seu per Filium subsistentiam habens, sed a Patre; proprius autem Filii, vt consubstantialis, vocatur & nominatur. Hanc reuerentiam cum cognouerimus, laudauimus Deum linguas sanantem, & absouam resonantiam in rectum sonum transmutantem. Videtisne in quibus Theodoretus cum aliis orientalibus conuenerit cum Cyrillo? quod Spiritus sanctus non habet subsistentiam a Filio, neque per Filium, sed a Patre procedit: Spiritus autem Filii vt consubstantialis nominatur. Quod autem super his conuenerint, & vnio illa facta fuerit, testis est beatus Cyrillus sic scribens ad Ioannem Antiochenum episcopum^b: Has vestras cum inspexerimus sacras voces, sic etiam inuenientes vos sentientes nobiscum (vnus enim Dominus, vna fides, vnum baptisma) glorificauimus saluatorem Deum, inuicem gaudentes, quod scripturis a Deo inspiratis & traditioni sanctorum patrum conuenientem habeant fidem nostræ & vestræ ecclesiæ. His consona etiam in expositione euangelii secundum Lucam^c beatus Cyrillus dicit: Vt digitus

^a Sic etiam hanc epistolam refert Græcus scriptor Iell. 23.

^b In actis Concilii Ephes. part. 3. num. 34.

^c Lucæ cap. 11. cuius Cyilli dictum refertur in Catena Græca SS. patrum super Lucam in cod. Vat. ex bibliotheca Palatina.

ANNO
CHRISTI
1439.

pendet a manu, qui non est alienus ab ipsa, sed naturaliter in ipsa: sic Spiritus consubstantialitatis ratione necitur ad vnionem cum Filio, licet a Deo Patre procedat. Hoc autem idem est ac dicere: Licet ab ipso non procedat; coniunctus enim illi, dicit, est secundum consubstantialitatem; licet ex ipso subsistentiam* non habeat, sed a Deo Patre. Per hæc omnia nosmet ostendimus consona diuinis scripturis sentire, & diuinis nostris patribus & doctoribus, & nullum de diuinis dogmatibus quæ tradita sunt nobis a principio, mutare vel adulterare, nihil addere, nihil detrahere, nihil innouare. Obsecramus vestram caritatem & reuerentiam, velitis concordare nobiscum & cum sanctis patribus doctoribus, & nil in ecclesiis dicere^b, & contentos his tantum esse, dicentes & sentientes eadem, vt vno ore glorificemus Patrem & Filium & Spiritum sanctum, cui debetur omnis gloria in sæcula sæculorum.

* Hanc negati-
uam infert ip-
se Ephesinus.^b noui scilicet.

CARD. Restat post sermonem longum factum, vt respondeat argumentis, iuxta promissa.

EPHES. Quoniam nos putamus ostendisse satis additionem libri nostri illam merito a magno Basilio adiectam^c, & ita pro nobis omnes præsentis sentire, tamquam satis ostenderit, quia nullam impingit maculam magno Basilio illa adiectio, vt nos assignauimus interpretantes auctoritatem, nullo modo vacabimus rationibus dictis per vestram paternitatem ad commendationem libri vestri, cum multæ fuerint, & cum videantur extra propositum facere: & respondendo procederemus in infinitum. Propterea illis omissis, & nulla super his cogitatione habita^d, hoc tantum habemus dicere: quod liber noster verus sit, attestamur, & a multitudine antiquitatis librorum, & a consequentia eorum quæ dicta sunt; & plura his de illa auctoritate dicere nec habemus, nec volumus.

^c De additionibus dubitatus fortassis, & vt concedamus, scilicet per suppositionem, de quibus satis sup.^d Græcus scriptor sic: Cum nihil etiam ad ea simus meditati, scilicet 23.

PROV. Quia dominus Ephesinus in fine dicit, quod non habet memoriæ rationes vltimo dictas, ego reducam sibi de parte in partem ad memoriam, vt ipse possit satisfacere voluntati imperatoris, qui dixit, quod debet respondere.

EPHES. Dicatis breuiter.

PROV. Omnibus dictis per eum de capitulo in capitulum satisfaciam, & si promittit acquiescere veritati, cum maiori alacritate accedam ad ea quæ dixit. Ipse dixit in principio, quod cum reperimus varietatem in libris, debemus illos libros dimittere, & procedere ad argumenta solidiora. Hic esset malus & peruersus modus, quia si cum reperimus varietates in libris, debemus dimittere libros, hoc non fit per sapientes viros, sed quærunt ex antecedentibus & subsequenter veritatem: ita est hic faciendum. Ego feci tibi istam rationem, quod si illa conditio dubitatiua poneretur, vbi applicatur exemplum, duo inconuenientia sequerentur. Primo, quod ex antecedentibus veris & necessariis, faciente necessitatem scriptura, sequeretur consequens dubium: quod est falsum. Ita arguebat Basilius: Si ita est in angelis, quod qui secundus ordine & dignitate, non tamen est tertius natura; ita profecto est in personis diuinis, scilicet in Spiritu, de quo loquebatur: sed ita est in angelis, prout probat manifeste; ergo consequens debet esse sine dubitatione. Dedi exemplum de consequentia: Si homo currit, ergo mouetur: & do exemplum in materia proposita per Augustinum; dicit sic in 15. de Trinitate: Si enim quidquid habet Filius, de Patre habet; de Patre utique habet, quod de ipso quoque procedat Spiritus. Hæc est vna conditionalis, quæ non ponit in esse, nec consequens, nec antecedens, nisi fiat vna minor, prout ipse intelligit ex scriptura sacra: & cum sit argumentum conditionale, maior est condicionalis, minor propositio ponit priorem partem antecedentis conditionalis: ideo sequitur consequens necessarium. Dicit Augustinus: Si quidquid habet Filius, de Patre habet; ergo de Patre habet, quod ex ipso procedat Spiritus. Minor est: Sed omnia quæ habet Pater, habet Filius, ex sacra scriptura euangelii, cum dicit: *Omnia quæ habet Pater, mea sunt.* Ergo sequitur necessario, quod Filius habeat a Patre, vt ab ipso procedat Spiritus sanctus sine vlla conditione.

Ioan. 16.

^a Quod nimirum secundum & tertium dignitate & ordine non sunt tertium, id est alienæ naturæ ab intellectu, vt sæpius supra dictum est.

Ita quoque dicit Basilius: Si in angelis ^a ita est, ita profecto est in personis diuinis. Modo minor est absoluta: sed in angelis ita est, igitur sequitur absolute conclusio. Num dubitatur, an esset ignarus Basilius? respondeatis.

EPHES. Quod libri a nobis producti ambigui & varii sint,

^a id est, sup-
ponimus.
^b scilicet argu-
mentamur.

conditionaliter concessa sunt, vt certa approbamus^a, imo de necessitate per eadem ostendimus^b: ergo non est mirandum, si per ea quæ dicta sunt, ostendimus.

PROV. Vos præsupponitis vnum quod est contra rationem, videlicet, quod vnum sit conditionale, & non conditionale. De natura conditionalis propositæ secundum omnes, vt teneo, & secundum rationem naturalem, ex modo dicendi nunquam ponit in esse nec antecedens, nec consequens: vt si dicam, Si Ioannes est homo, Ioannes est animal; ex hoc modo loquendi nullo modo possum intelligere, quod Ioannes sit homo vel animal: ita in aliis non est possibile secundum intellectum. Quod si antecedens, Si homo currit, ponatur in esse, sic bene sequitur in consequentia, quod consequens ponatur in esse per antecedens, quod scilicet moueatur: & contrarium dicere est ignorare proprias naturas conditionalis. Quia allegastis etiam conditionale factum Ferrariæ, hoc non est soluere, sed allegare inconueniens, quia nostri institerunt, vt primo videretur veritas processionis, qua habita, sequebatur aliud, scilicet, quod nos & Romana ecclesia poterat facere explanationem. Consequentia, quod si daretur, quod non procederet a Filio, quod factum est Ferrariæ, nil valeret: est id apud vos, qui non concedebatis processum nisi sub conditione; sed apud nos qui habemus hanc claram veritatem declaratam per omnes doctores Græcos & Latinos, hoc, quod factum est Ferrariæ, est probatio^c necessitatis: vnde allegare inconueniens, non est soluere. Dico ergo, quod postposita conditionali, Basilius ponit antecedens sine vlla conditionali absolute, scilicet in materia de angelis, mansionum & stellarum. Ergo si non fuit ignorans Basilius, qui fuit lumen orbis, oportet necessario secundum suum modum procedendi, quod quicumque liber habet illam conditionem appositam, sit contra mentem Basilius, & denigret famam suam, & quod tota probatio sua de Spiritu omnino iudicetur inualida.

^c scilicet, quia est verum, iudico potest addi ab habente auctoritatem.

EPHES. Id quod a nobis dictum est, quod id quod conditionaliter dicitur, non necessario capi debet, ita debet haberi. Nam vt prius in præcedenti congregatione dixi, assumptio^d est quæ affirmat conditionem: sed manifestum est, quod data conditionali consequentia necessa-

^d scilicet, absolute propositio ponit in esse conditionem.

ANNO
CHRISTI
1499.

ANNO
CHRISTI
1439.

rio sequitur, & si id quod per conditionem datum est, non est necessarium ad id quod sequitur, illud ex ordine necessitatis habet se. Nam si homo currit, neesse est moueri, licet non sit manifestum an homo currat: sic hic per conditionem concessit Basilius, tertium esse dignitate.

PROV. Addas in argumento, cum dicis, Si homo currit, ergo mouetur; & subiungas, Sed homo currit. Ita facit Basilius, quia ponit illam secundam certam.

EPHES. Dico, quod neque in exemplo necessarium est. Nam non est necessarium hominem currere, sed contingenter sibi inest currere: ergo si datur hominem currere, necessitate datur illum moueri. Redeo ad propositum, quod si per conditionem daretur tertium dignitate, non est neesse tertium natura.

PROV. Ad quid posita sunt exempla?

EPHES. Ideo data sunt exempla per conditionem, quod licet differrent dignitate & ordine, non tamen differunt natura. Est autem in exemplis assumptum per conditionem datum.

PROV. Consequens debet sequi absolute ex absolutis exemplis.

EPHES. Conditionaliter datum est, tertium esse dignitate: scilicet si hoc daretur, non necessario sequitur, quod sit tertius natura. Ego credo hac liquida esse omnibus.

PROV. Non respondetur obiectis per verbum credo. Secundo facit argumentum Basilius inconuincibile, quod tollitur, si apponitur conditio. Volens probare Spiritum secundum a Filio dignitate & ordine, facit similiter Filii ad Patrem ibi, vbi incipit ^a, *Quemadmodum*; dicens quod sicut est in Filio respectu Patris, ita in Spiritu respectu Filii: & ponit causas ibidem, quæ quidem erant notæ & manifestæ ex duobus libris precedentibus, in quibus ostendit contra Eunomium, quod si Filius est secundus ordine & dignitate a Patre, non tamen est secundus natura, vt dicebat Eunomius & Ariani. Modo volens hoc de Spiritu probare ex argumento a simili, ponit hoc quod probatum est de Filio. Modo regula est vniuersalis, cum fit argumentum a simili (& vocatur maxima) quod de similibus idem est iudicium: & in hac propositione dicit, quod

^a Lib. 1. contra Eunomium supra sæpe cit. circa princip. vers. Quemadmodum.

Concil. Tom. 33.

Ecc ij

ficut Filius se habet ad Patrem: & ponitur absolute sine conditione, quod Filius est secundus ordine & dignitate. Ergo si debet esse bonum argumentum a simili, oportet ut consequens sine conditione ponatur, alias non argueretur a simili. Item ego miror de eo, quod beatus Basilius in ⁶ antirrhesis dicit, quod ut Filius se habet ad Patrem, ita Spiritus ad Filium: & probat, quod ut Filius est Verbum Patris, ita quod Pater est causa Filii, ita Spiritus est verbum Filii; ita quod pro manifesto dicat, Filium esse causam Spiritus sancti, fundans ex illa auctoritate: *Portans omnia verbo virtutis suae.* Ergo apparet, ut habeat se ad Filium, ut causam a Filio: nec propter hoc sequitur, quod Spiritus sanctus sit a Patre & Filio, ut a duabus causis vel duobus principiis; quia forte videtur mihi, quod timeas confiteri veritatem, prout est in libro antiquo isto: quia si dicatur, quod Filius est causa Spiritus, sequatur ex isto, Spiritum habere duas causas: non oportet quod dubites in isto, quia nec Basilius hoc intendit, nec aliquis doctor Latinorum: imo ecclesia Romana quae semper immaculata permanfit a talibus erroribus, Domino operante, & beato Petro, profiteretur, quod Spiritus aeternaliter est a Patre & Filio, & procedit a Patre & Filio, non ut ex duobus principiis, sed ex vno; non ex duabus causis, sed ex vna: imo anathematizat quoscumque dicentes duas causas, quia hoc esset impossibile; & haec est ratio eidentissima. Nam Pater est principium Filii & Spiritus sancti, secundum essentiam diuinam quae est in Patre, uti communicabilis Filio & Spiritui sancto. At communicando essentiam Filio, Filius accipit essentiam, non ut communicabilem, sed ut acceptam, sed bene ut communicabilem Spiritui, quia non repugnat filiationi esse principium quo producit Spiritus, & quia est vnum numero principium, sicut est vna essentia; & ab hoc principio prouenit, ut Spiritus producat, & hoc scriptura testante. nam dicit: *Omnia quae habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, quia de meo accipit.* Hoc vnum principium numero facit non posse esse duo. Contradicens igitur Eunomio & Arianis qui sequebantur duo principia, vult vnum esse principium in duabus personis, & anathematizat contrarium dicentes. Et hoc ponit Basilius, dicens: ^a Ut se habet Filius ad Patrem ordine

Hebr. 1.

Iuan. 16.

^a Aduersus Eunom. lib. 3. initio.

ANNO
CHRISTI
1497.

ANNO
CHRISTI
1459.

& dignitate, nec sequitur quod sic sit secundus natura, quia natura eadem est in vtroque, nec Pater est causa Spiritus, nisi ratione essentiae; nec Filius, nisi ratione essentiae quae est communicabilis, & illa est vna numero, quamuis sit accepta a Filio: ita sequitur, quod nullo modo sint duo principia. & hoc volui dicere incidenter, vt confidentius confitearis veritatem libri nostri. Beatus Gregorius Dialogus^a dicit qualiter nos debemus habere, cum est diuersitas in libris. Quidam Narfes patricius Constantinopolitanus erat deuotus Gregorii, & cum fuisset ipse ibi legatus longo tempore, scripsit sibi sic: Quod in tertia Synodo inuenerat certos damnatos, & rogat, vt quid de eis sentiat, respondeat. Beatus Gregorius respexit ad Synodum quae erat Romae, & non reperit illa, & dicit sic: Dubito, quod factum sit in hac tertia Synodo, prout factum fuit in quarta Synodo, quia post illam quidam Timotheus & Acacius reuerfi sunt ad opinionem cum haereticis contra Concilium Calchedonense, & quod prius fecerant, raserunt de Calchedonensi Synodo, quod erat contra eos, & facta est dissensio vsque ad^b papam, quo tempore fuit reperta corruptio. Sequitur autem sanctus Gregorius: Consideret caritas vestra vetustos codices tertiae Synodi, & videatis, si quid tale reperitur: & si quid inueneritis, transmittatis, quia mox transmittam: nouis codicibus passim non credatis. Modo in hac controuersia etiam si essent mille volumina falsa, & essent aliqua pauca antiquissima, vt nostri libri sunt, debemus dare fidem huic antiquitati.

CARD. Quantum ad librum, si est corruptus, vel non, auditum est. Tres libri sunt, duo antiquissimi pro nobis, & vnus pro vobis. Satis pro nunc, quia dominus Ephesus fuit longus in responsione.

AND. His finis extitit huius^c concertationis.

NOTÆ AD VIGESIMAM
COLLATIONEM.

^a *Mittunt.*] Refert hanc eandem propositionem Ephesi Græcus scriptor sessione 23, quæ non subsistit. Nam Pater quamuis non mittatur, dicitur tamen venire, iuxta illud Ioannis 14. *Adeum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Vide Suarez de Trinitate lib. 12. cap. 2.

^b *Gregorio.*] Narrat sanctus Gregorius Nyssenus sanctum Grego-

^a Nominat eum, vt solent Græci, qui S. Gregorium Dialogum appellant, eo quod dialogos composuerit.

^b Vigiliam papam, vide Baron. tom. 7. anno 551. a num. 211.

rium cognomento Thaumaturgum, id est miraculorum patratores, iussu Dei genitricis a Ioanne euangelista accepisse professionem fidei, in qua hæc sunt verba: *Vnus Spiritus sanctus ex Deo ortum & existentiam habens, qui per Filium apparuit hominibus.* Vide Baronium tom. 2. anno 333. num. 17.

³ *Dixit.*] In actis Concilii Nicæni per Gelasium Cyzicenum lib. 2. cap. 20. tom. 1. Conciliorum, par. 2. in fine. quod idem habetur in actis eiusdem Nicæni ab Alphonso Pisano societatis Iesu collectis lib. 2. eodem tom. 1. Conciliorum par. 1. acta enim a Pisano translata sunt, quæ Gelasius Græce scripserat, vt obseruat Posselinus in App. ver. Gelasius. Vide responsonem prouincialis infra collatione 22. num. 1. vltra medium.

⁴ *Redeamus.*] Ad has auctoritates ab Ephesio adductas, vide, vt dixi, responsones prouincialis infra collatione 22. num. 2.

⁵ *A Deo.*] Græcus scriptor sessione 23. hanc auctoritatem sancti Pauli sic refert tamquam ex Theodoreto; *Sed qui ex Deo & Patre est;* quæ additio, *ex Patre,* habetur etiam in margine textus Græci Theodoreti in actis Concilii Ephesini par. 3. cap. 3. contra 9. anathematismum: quæ marginalis additio ad textum Græcum non recte fuit inserta in textu translationis Latinæ, ibi e regione posita. Ceterum vulgata bibliorum editio habet, *Sed Spiritus qui ex Deo est.*

⁶ *Antirrhefsis.*] Sic vocat Græco vocabulo responsones sancti Basilii ad auctoritates quas Eunomiani adducebant contra diuinitatem Filii, estque aduersus Eunomium lib. 5. capite quod incipit: *Nos igitur:* in cuius fine dicitur: *Quoniam nec sine Filio Pater operatur, nec Filius sine Spiritu, vnius deitatis testimonium est.* & sequitur in cap. sequenti: *Propterea & Dei quidem verbum Filius est, Filii autem verbum Spiritus. Portans enim, inquit, omnia verbo virtutis suæ.* Hebr. 1.

⁷ *Dicit sic.*] Sanctus Gregorius lib. 5. epistolarum. Ind. 14. epistola 13. Narfi comiti, in editione Romana, cuius hæc sunt verba: *Ephesinam autem Synodum perscrutatus, de Adelphio & Sava & ceteris aliis qui illic dicuntur esse damnati, omnino nihil inuenimus, & existimamus, quia sicut Calchedonensis Synodus in vno loco ab ecclesia Constantinopolitana falsata est, sic aliquid in Ephesina Synodo factum est. Caritas ergo vestra vetustos omnino codices eiusdem Synodi requirat, & illic videat, si quid tale inuenitur, mihique eundem codicem quem inuenierit, transmittat, quem mox vt legero, retransmittam: nouis enim codicibus passim non credat, ex qua re dubius factus sum, & nihil aliud volui de hac causa predicto fratri meo Ioanni episcopo rescribere. Romani autem codices multo veriores sunt quam Græci, quia nostri sicut non acumina, ita nec imposturas habent.* Hæc Gregorius.

⁸ *Concertationis.*] Græcus scriptor in fine sessionis 23. quæ correspondet huic collationi, ait, Græcos inter se conuenisse, & attulisse quamdam auctoritatem epistolæ sancti Maximi de processione Spiritus sancti, de cuius epistolæ auctoritate & intelligentia videndus Belsarion in oratione habita Florentiæ ad ipsos Græcos cap. 6. circa medium, quæ posita est in fine huius operis.

ANNO
CHRISTI
1419.

ANNO
CHRISTI
1459.

COLLATIO VIGESIMAPRIMA.

DIE XXI. MARTII.

Auctoritatibus sacrae scripturae & sanctorum patrum Latinorum probatur, Spiritum sanctum procedere a Patre & Filio.

AND. **D**IE vigesimaprima Martii cœpta est disputatio, qua respondendum est dictis Græcorum: incepit imperator.

IMPER. Nos & nostri non sumus parati, & dominus Ephesinus ex suo casu non potuit venire; nec potui loco illius deputare, quia non dictum fuit mihi. Feci ut venirent alii omnes, ne viderer fugere responsiones. Quidquid placuerit dicere, dicatis, quia nostri non sunt parati, & non respondebitur hodie.

CARD. Dominus provincialis prosequetur.

IMPER. Placet.

INTERPR. Placeat plane dicere, ut scriptores possint scribere.

PROV. Optassem supra modum isto die, ut dominus Ephesinus esset præsens, ut satisfaceret duabus auctoritatibus sibi propositis, & ut audiret responsa propositis per eum, sicut serenitas domini imperatoris promisit; & ipse sequendo ordinem inter me & ipsum inchoatum, quia intraveram inducere testimonia ad probandum hanc veritatem, ita processissem per omnia testimonia usque ad finem: & quia interceptam viam meam, inducendo quæ habebat, placuit dominis meis, ut ego sequerer primum ordinem, & postea venirem ad solutionem, ut primo inducantur testimonia singularia pro parte nostra pro hac veritate, quibus ut veris fundamentis accederem ad confutationem dictorum per eum: & hic est debitus ordo processus in hac materia. Primo secundum quod inchoavit, inchoabimus a fundamentis sacrae scripturae. Secundo inducentur quædam testimonia certorum nostrorum Latinorum doctorum, qui fuerunt cum magna veneratione recepti in antiquis Synodis. Tertio inducemus testimonia magnorum doctorum Græcorum, quorum auctoritas item fuit recepta in Synodis. Quarto respondebo ad obie-

Galat. 4.Rom. 8.Act. 16.

eta, quæ per eum deducta sunt. Quoad primum reperi-
 mus in sacris scripturis, quod Spiritus dicitur Spiritus
 Filii, iuxta illud: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda ue-*
stra: & alibi: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est*
eius. & in actibus apostolorum: *Tentaerunt ire Bithyniam,*
& non permisit Spiritus Iesu. & multa alia consimilia in scri-
 pturis. Ex his arguitur sic. Spiritus sanctus dicitur Spiritus
 Filii Dei: hoc importat habitudinem & quemdam respec-
 tum; nec potest dici, quod sit Spiritus Filii secundum
 humanitatem tantum, sed prout Christus est diuina per-
 sona. Ratio, quia si diceretur secundum humanitatem Spi-
 ritus Christi, non haberet in se Spiritum, nisi vt alii ho-
 mines sancti. Hoc autem falsum est, quia non solum fuit
 plenus Spiritu secundum humanitatem, imo vt Dominus
 dedit Spiritum aliis. Et hoc apparet ex scripturis sacris
 iuxta illud Ioannis: *De Spiritu suo dedit nobis*. Modo nul-
 lus vnquam sanctorum reperitur, qui dederit Spiritum
 sanctum: sed dicitur, quod illi imponebant manus, & alii
 accipiebant Spiritum. Dare igitur oportet, vt importet
 habitudinem & respectum ad personam diuinam: non
 ergo potuit dare Spiritum, nisi vt Deus. Cum ergo dicitur
 Spiritus Filii, aut hic respectus est originis, aut dicitur
 absolute Spiritus Filii sine ista habitudine. Istud secun-
 dum non potest dici, quia nihil dicitur esse alterius abso-
 lute, nisi vt eius possessio, quia scilicet habet dominium su-
 per illam rem; sicut dicitur de seruo absolute, quod est do-
 mini sui. Secundum quid bene potest dici aliquid esse al-
 terius, absque hoc, quod ille habeat auctoritatem super
 eum; sicut dicimus: *Iste est amicus meus, iste est frater*
meus. Sed quod dicatur absolute, *Iste est meus*, non dicitur,
 nisi de his quæ habentur vt possessa. Hoc autem non
 potest intelligi in diuinis, quia nulla persona est serua al-
 terius, nec altera habet dominium super alteram. Ergo si ha-
 bitudo est originis, ita vt dicatur Spiritus Filii, quia est se-
 cundus a Filio ordine & dignitate: ergo Filius est princi-
 pium, & secundus Spiritus. Et hæc est prima ratio ex scri-
 ptura, supra quam fundantur testimonia omnium sancto-
 rum doctorum tam Latinorum quam Græcorum, vt ap-
 parebit in testimoniis allegandis. Secunda ratio hæc est.
 Reperimus in sacris scripturis, maxime in euangelio Ioan-
 nis,

ANNO
CHRISTO
1439.

* Ioan. epist. 1.
cap. 4. quem
locum Cyril-
lus in Ioanne
lib. 2. cap. 74.
intelligit de
vniuerso Dei
Filio qui de
Spiritu suo de-
dit nobis.
Act. 8.

ANNO
CHRISTI
1439.

nis, quod Spiritus mittitur a Patre, iuxta illud: *Paracletus, quem mittet Pater in nomine meo.* Inuenitur etiam quod mittitur a Filio, ibi: *Cum venerit Paracletus, quem mittam vobis.*

Ex his fundatur hæc ratio: Nullus potest mitti ab alio, nisi mittens habeat auctoritatem super illum: discurrendo per omnia exempla, quia si dominus mittit vnum famulum, apparet quod dominus habeat potestatem super famulum. Item consiliatores mittunt ad prælium dominum, & in hoc apparet auctoritas maioris sapientiæ & maioris notitiæ, quia de consilio illorum dirigitur. Inuenimus arbores quæ emittunt flores & fructus, & in hoc apparet origo, quia arbor emittendo producit sibi simile, quia ex illis feminibus generantur similes arbores. Primi duo modi nullo modo reperiuntur in diuinis, quia vna persona non est potentior alia, nec sapientior altera; sed bene vna persona originatur ab altera. Cum ergo dicatur, quod persona Spiritus mittitur, oportet quod hæc temporalis missio de necessitate præsupponat originem ab illa persona, a qua mittitur. Et hæc est secunda ratio fundata in hoc textu scripturæ, & super hac ratione multa testimonia sanctorum doctorum ponuntur Græcorum & Latinorum. Tertia ratio scripturæ est: nos reperimus, quod per Spiritum configuramur ipsi Filio Dei: ista configuratio habetur in verbis Apostoli in secunda epistola ad Corinthios: *Vnxit nos & signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris:* hoc est, secundum quod facit nos Spiritus filios adoptiuos. Modo ex hac auctoritate sumitur talis ratio. Illud per quod aliquid alteri figuratur, oportet vt habeat esse ab eo cui figurat aliud. Et de hoc est exemplum in naturalibus, vt melius capiatis. Nos dicimus sic, quod semē animalis est id per quod generatum configuratur & efficitur simile ipsi generanti. Modo illud semen de necessitate est, vt sit decisum ab illo cui assimilatur res producta: & propter hoc semen hominis non producit leonem, sed solum hominem, a quo est decisum. Hæc sunt exempla, non tamen omnino similia, sed solum vt intelligamus, quod id per quod assimilatur, est decisum ab eo cui assimilatur. Cum ergo Spiritus habeat hoc, quod per ipsum figuramur Filio, necesse est dicere, quod Spiritus habeat esse a Filio. Et super hac ratione multum fundantur quidam doctores Græci, videlicet Ba-

Concil. Tom. 33.

Fff

filius & Athanasius, dicentes, quod sicut Filius est imago Patris, vt existens naturaliter a suo exemplari, ita Spiritus dicitur imago Filii. Et hoc apparet in² antirrheſis ex Baſilio clare, & ex Athanaſio in prima epiſtola ad Serapionem. Quarta ratio quæ ſumitur ex ſcriptura, eſt ibi, cum dicit: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*. Nam ſi Spiritus accipit a Filio, neceſſe eſt vt procedat ab eo. Non poteſt dici, quod Spiritus accipiat aliquid, quod prius non habuerit, quia eſſet indigentis & mutabilis naturæ, quod omnino abſurdiſſimum eſt dicere. Oportet ergo, vt quidquid Spiritus acceperit a Filio, ab æterno acceperit. Quod ſi ab æterno Spiritus accepit a Filio, tunc ſequitur, quod ab æterno proceſſit ab eo. Rationem huius dicti aſſignat Chriſtus, dicens: *Omnia quæ habet Pater, mea ſunt. Propterea dixi, de meo accipiet*. Ex hoc dicto habemus, quod omnia quæ Filius habet, accepit ab æterno a Patre: ergo naturam diuinam & virtutem ſpiratiuam, ſecundum quam ſpiratur Spiritus. Quia enim hæc virtus ſpiratiua nullo modo repugnat filiationi, ſicut vna eſt natura Patris & Filii, ita neceſſe eſt omnino dicere, quod virtus ſpiratiua ſit de natura & ſubſtantia Filii; nec eſt intelligibile oppoſitum, quia dicit: *Omnia quæ habet Pater, mea ſunt*: id eſt omnia quæ non repugnant proprietati ſuæ, quia relationes ſolum multiplicant in diuinis, & non aliter. Ex hoc verbo habetur, quod prima radix huius proceſſus eſt Pater, & quod Filius non habet ex ſe, vt producat Spiritum, ſed a Patre. Propter hoc doctores dicunt, quod principaliter procedit a Patre, quia Filius ex ſe non habet, niſi a Patre: & hoc beatus Auguſtinus declarat in 4. de Trinitate cap. 20. *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre*. Dicit Auguſtinus, quare dicit a Patre, & tamen ſupra dixit, *Paracletus quem mittet Pater in nomine meo*. Non dixit, a me: & dat Auguſtinus hanc cauſam, quia Pater eſt principium & fons totius deitatis, & propter hoc illa perſona quæ procedit a Patre & Filio, quandoque referatur ad Patrem, a quo eſt Filius, nulla facta mentione de Filio, quia ex hoc ſatis intelligitur, quod procedit a Filio: & cum Pater ſit primum principium & origo totius diuinitatis, non habet ab alio, quod producat perſonam in diuinis, ſed ex ſe habet, quia a nullo eſt: Filius autem ex

Ioan. 16.

Ibidem.

Ioan. 15.

ANNO
CHRISTI
1419.

ANNO
CHRISTI
1439.

se non habet, quia est persona quæ est ab alio. Modo Pater in quantum est Pater, non dicitur principium Spiritus, sed in quantum inest in eo natura diuina & virtus spiratiua: & ideo communicando naturam diuinam & virtutem spiratiuam Filio, non communicat paternitatem, secundum quam distinguitur a Filio; sed omnia illa secundum quæ est principium Spiritus, communicantur Filio: sed non potest communicari Filio, vt sit prima radix diuinitatis, quia repugnat proprietati Filii. Et sic est clarum, qualiter Spiritus dicatur principaliter a Patre, non quod sit plenius aut perfectius a Patre quam a Filio, quia Filius habet eandem naturam diuinam & virtutem spiratiuam, secundum quam Pater & Filius sunt vnum principium. Nec alio modo intelligi posse, vt sint vnum principium, patet ex his, quia Spiritus accipit a Filio, ex hoc quod Filius accipit a Patre, quia vnum & idem est numero, quod habet Pater & Filius, hoc vno excepto, quod Pater a nullo habet, & Filius a Patre, quod vnum & idem principium sit Spiritus: & tamen cum dicitur per Basilium ^a, quod Filius est secundus ordine & dignitate a Patre, & Spiritus secundus ordine & dignitate a Filio, non debetis intelligere, vt sint duæ causæ aut duo principia, quia illamet dignitas qua Pater producit Spiritum sanctum, est, qua Filius producit eundem Spiritum. Et hoc sufficit quoad hanc quartam rationem. Quinta ratio ex scriptura est hæc. Inuenimus quod Filius operatur per Spiritum, iuxta illud epistolæ ad Hebræos: *Per Spiritum sanctum semetipsum obtulit.* & ita inuenietis in testimoniis adducendis, quod per Spiritum operatur Filius. Modo formatur hæc ratio ex auctoritate. Quandocumque aliquis per aliquem dicitur operari, oportet quod operans det virtutem operatiuam ei per quod operatur. Verbi gratia, rex operatur per balium: clarum est, quod rex dat virtutem operatiuam balio: vel econtra, quando dicitur, Baliius operatur per regem: demonstratur enim, quod id per quod baliius operatur, dat virtutem ipsi operanti, scilicet balio: & hæc est vna maxima in philosophia naturali. Modo ex quo scriptura dicit, quod Filius operatur per Spiritum, quia multa miracula in virtute Spiritus faciebat Filius, oportet dicere, quod aut Spiritus dat virtutem operatiuam Fi-

^a Lib. 1. ad Eu-
nom. in princ.

Hebr. 9.

Concil. Tom. 33.

Fff ij

lio, vel e contra: & cum virtus operatiua nō sit aliud quam essentia diuina, prout omnes doctores volunt, ratio hęc necessario concludit, idem esse dicere, dare virtutem operatiuam, & essentiam: nullus autem doctorum dicit, quod Filius accipit essentiam a Spiritu, sed econtra. Sic ergo ex hac ratione, prout Christus est persona diuina, necesse est dicere, quod si operatur per Spiritum, quod det virtutem operatiuam & essentiam diuinam Spiritui: accipere autem essentiam & virtutem, est idem quod procedere. Ex hoc sequitur vltima ratio, quod quando doctores sancti & vestri Græci dicunt, quod Spiritus est a Patre per Filium, vel quod Pater spirat Spiritum per Filium, necesse est dicere, quod Spiritus accipiat esse a Filio. Ratio hęc est, quia semper id per quod operatur quis, est principium illius operationis: vt si rex per balium operatur, balium est principium & origo illius operationis, licet habeat virtutem operandi a rege. Et sic idem erit dicere, quod Spiritus sit a Patre per Filium, & quod sit a Filio. Et si quis vellet dicere, quod Filius accipit a Patre, quod sit principium Spiritus, & Pater a nullo accipit, ideoque non velit concedere, quod Spiritus sit a Filio, sed a Patre tantum, nihilo minus leuiter mouetur, quia si ego moueo lapidem per baculum medium, nullus dicet, quin lignum vel baculus moueat lapidem, licet baculus moueatur a manu: nec quis dicet, quod Iacob non venit ac sit ab Isaac, quia Isaac venit ab Abraham. Si hęc sunt in humanis, quanto magis in diuinis, vbi est vna & eadem natura, & virtus numero, secundum quam Pater & Filius producant Spiritum? Sicut ergo verissime dicitur, quod creaturæ sunt a Filio, non obstante, quod Filius sit a Patre, ita & Spiritus verissime & certissime a sanctis doctoribus & sancta scriptura dicitur accipere & procedere a Filio, non obstante, quod Filius sit a Patre: & dicentes esse a Patre per Filium, & negantes non esse a Filio, videntur negare propriam vocem. Hęc sunt paucae rationes pronunc, quæ fundantur in sacra scriptura, in quibus doctores Latini & Græci se fundant, vt apparebit in testimoniis, * vt dicit beatus Thomas in questionibus de potentia Dei, volens declarare opiniones sanctorum, ipse format rationes fundatas in scripturis. Veniamus ad secundam

* Id est, hoc ordine procedit beatus Thomas, qui ante opiniones sanctorum producit rationes fundatas in scripturis.

ANNO
CHRISTI
1499.

ANNO
CHRISTI
1439.

partem, ad testimonia patrum: inchoabimus a doctoribus nostris Latinis primo, quia alias inchoauimus a Græcis, & ideo a beatissimo Leone papa ratione quarti Concilii Calchedonensis; & vt omnes intelligant eius auctoritatem, aduertite. Omnes patres Calchedonensis Concilii^a, in illa allocutione habita ad Marcianum imperatorem, quæ incipit, Et hoc profecto vestrum decebat imperium, ita dicunt de Leone: Deus nobis inuulnerabilem errore propugnatorem prouidit, Romanæ ecclesiæ præfulem, & ad victoriam præparauit, doctrinis eum per omnia veritatis accingens, vt quemadmodum & Petrus affectu feruens, & is affectu feruentiore decertans, omnem ad Deum sensum intelligentiamque perducatur. Et sextum Concilium^b hoc dicit de Leone in sermone ad Constantinum imperatorem: Leonis, inquit, tuba, vt rugitus leonis viriliter ex Roma rugiens, archimandritam bestiam terruit, & a monastico grege deiecit, omnemque opinionem suam reprobauit. Hic sanctus doctor epistolam fecit, quæ columna fidei est, contra omnes errores aduersus scripturas sanctas, distinctam per 23. capitula. Quid dicat de processu Spiritus, audite eius textum antiquissimum ex originali.

^a Part. 3. init.

^b Act. 18. in Ene.

AND. Lectum est.

Leo episcopus Turribio Asturicensi^c episcopo Hispano. Demonstratur quam impie sentiant de Trinitate diuina, qui Patris & Filii & Spiritus sancti vnã atque eandem asserunt esse personam, tamquam idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus nominetur, neque alius sit qui genuit, alius qui genitus est, alius qui ab utroque procedit: quod blasphemix genus de Sabellii opinione sumpserunt.

^c Epist. 95. ca. 7.

PROV. Hic dicit Leo, quod impie sentiunt de Trinitate diuina, qui dicunt, tamquam nec alius sit qui genuit, & alius qui genitus est, & alius qui ab utroque procedit. Idem Leo papa in sermone de Pentecoste hæc ait^d: Siquidem cum & de Patre sit Filius vnigenitus, & Spiritus sanctus Patris Filiique sit Spiritus, non sicut quæcumque creatura, quæ & Patris & Filii est, sed sicut cum utroque viuens, & potens, & sempiternus, & ex eo quod est Pater Filiusque, subsistens. Ex hoc testimonio valde vnũ no-

^d Serm. 1. circa med.

Fff iij

tandum est propter sequentia, quia declarat manifeste, quomodo debeant accipi auctoritates scripturæ, cum dicit, quod Spiritus est Spiritus Filii & Spiritus Patris, quia ponit similitudinem, quia cum Filius sit vnigenitus, & Patris & Filii sit Spiritus, non debet intelligi vt creatura a Deo, sed sicut cum vtroque potens, & viuens, & sempiternus, ex eo quod est Patris Filiique subsistens. Esse ergo Patris & Filii est, *ex eo quod est Pater Filiusque subsistens, & hoc in diuinis est natura diuina: quasi dicat, quod Spiritus sanctus subsistit ex Patre Filioque. Secundum testimonium quod volumus adducere, vt ab antiquioribus inchoemus, est Damasus papa, de quo sic dicitur in Calchedonenſi Concilio.

* Et ex eo
quod est Pater
& Filius, Spi-
ritus sanctus
est subsistens.

ANNO
CHRISTI
1439.

GRÆCI. Nos admittimus; non commendatis.

PROV. Ego dico propter hunc librum Damasi, qui literis ad Paulinum datis, hoc sacramentum patefecit. Nos habemus illum librum, in quo Damasus papa confessionem suæ fidei, & anathematis omnium hæresum quæ præcesserunt, ponit: audiatis ex originali antiquissimo.

Confessio fidei catholicæ, quam papa Damasus misit ad Paulinum Antiochenum episcopum.

Credimus in vnum Deum Patrem, Filium & Spiritum sanctum, visibilem & inuisibilem factorem, per quem creata sunt omnia in cælo & in terra: hunc benedictum, & hanc esse vnam diuini nominis Trinitatem; Patrem non Filium, sed habere Filium qui Pater non sit: Filium non esse Patrem, sed Filium de Patris natura: Spiritum paraclerum qui nec Pater sit ipse, nec Filius, sed a Patre procedat & Filio. Est ergo ingenitus Pater, genitus Filius, non genitus Paraclerum, sed a Patre procedens & Filio. Item beatus Hilarius qui fuit tempore Athanasii vestri, & magnus propugnator pro fide vna cum Athanasio, qui passus est multa exilia ab Arianis, hic fecit librum de Trinitate tempore Athanasii distinctum in 12. libros: quid dicat in octauo libro, audite. Neque in hoc, inquit, calumnior libertati intelligentiæ, vtrum ex Patre, an ex Filio Spiritum paraclerum putent esse: non enim in incerto Dominus reliquit. Nam iisdem dictis ita locutus est: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed mo-*

Ioan. 6.

ANNO
CHRISTI
1439.

do non potestis portare. Cum venerit Spiritus veritatis, diriget vos in omni veritate: non enim loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet, loquetur, & futura annuntiabit. Ille me honorificabit, quia de meo accipiet, & enuntiabit vobis. Omnia quæ habet Pater, mea sunt: propterea dixi, De meo accipiet & annuntiabit vobis. Et interrogo, an idem sit a Filio accipere, quod a Patre procedere. Certe id ipsum atque vnum esse existimabitur a Filio accipere, quod sit a Patre procedere. Ipse enim Dominus ait: *Quod de meo accipiet.* Hoc quod accipit, siue potestas, siue virtus, siue doctrina sit, Filius a se accipiendum esse dixit. Et rursus hoc ipsum significat accipiendum esse a Patre. Non habet hæc vnitas diuersitatem, nec differt a quo acceptum sit, vt datum a Patre, datum referatur a Filio. In secundo libro dicit de Spiritu. Nec tacere oportet, neque loqui necesse est, quia a Patre & Filio auctoribus confitendus est, & quod spiratur a Patre & Filio, & ab vtroque procedit. Et in fine libri orat²: Conserua hanc, oro, fidei meæ incontaminatam religionem, & vsque ad excessum spiritus mei dona mihi hanc conscientia meæ vocem, vt quod in regenerationis meæ simbolo baptizatus in Patre & Filio & Spiritu sancto professus sum, semper obtineam, Patrem scilicet te nostrum, Filium vna tecum adorem, sanctum Spiritum tuum, qui ex te per vnigenitum tuum est, promerear, quia mihi idoneus ad fidem testis est, dicens: *Pater, omnia mea tua sunt, & tua mea.* Item beatus Hieronymus qui fuit eo tempore, in tribus epistolis ostendit, Spiritum procedere a Patre & Filio, in 1. epistola ad Damasum: Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, & vnum Dominum nostrum Iesum filium Dei, & in Spiritum sanctum Deum: non tres Deos, sed Patrem, Filium & Spiritum sanctum Deum colimus & confitemur, non vt vnum solitarium, non eundem qui sibi Pater sit, ipse & Filius, sed Patrem qui genuit, & Filium qui genitus est; Spiritum vero non genitum, non creatum, non factum, sed de Patre Filioque procedentem. Item Hieronymus scribens ad Augustinum & Alypium episcopos in expositione fidei ponit, quod procedit a Patre & Filio. Credamus, inquit, in Spiritum sanctum Deum verum ex Patre Filioque procedentem, æqualem per omnia Patri & Filio voluntate, aterni-

* Li. 12. in fine.

tate, substantia. In expositione Nicæni symboli sic dicit Hieronymus. Primo ponit symbolum, postea cum dicitur de Spiritu, exponit & dicit: Et in Spiritum sanctum qui de Patre & Filio procedit, qui est Deus verus, sicut & Filius. Hic Hieronymus fuit discipulus Gregorii Nazianzeni vestri, & ab eo habuit hanc doctrinam. Consequenter succedat Ambrosius archiepiscopus Mediolanensis qui fuit tempore Basilii, temporibus scilicet Valentis & Valentiniani & Gratiani imperatorum. Hic pater magnus doctor ad Gratianum tres libros scripsit. Primum contra Arianos de Trinitate. Secundum de Spiritu sancto contra Macedonios. Tertium de quæstionibus Spiritus ad eundem Gratianum imperatorem. Hic quantæ reputationis fuit in tertia Synodo^a, gesta sunt amplissima; & cum Theodosius reuersus est de Italia ad Constantinopolim, dixit Nazaceno^b: Præter Ambrosium non noui episcopum. Quid dicat in libro de Spiritu, audite^c: Non ergo quasi ex loco mittitur Spiritus, aut quasi ex loco procedit, cum procedit ex Filio, sicut ipse Filius, cum dicit: *A Patre processi, & ueni.*^d & infra. ^e Spiritus quoque sanctus cum procedit a Patre & a Filio, non separatur a Patre, non separatur a Filio. Quomodo enim separari potest a Patre, qui Spiritus oris eius est? Hoc est testimonium satis clarum, & accipit fundamentum ex scriptura, cum dicit: *Spiritu oris sui*: sicut & Basilius, & alii sancti ex hac auctoritate scripturæ: *Spiritu oris sui omnis uirtus eorum*: & aliis auctoritatibus concludunt, quod procedit a Filio. Item secundo libro ad Gratianum de Spiritu. Quid est ergo? Non enim a se loquetur, hoc est, non sine me loquitur, qui loquitur ueritatem, sapientiam spirat: non sine Patre loquitur, qui Dei Spiritus est: non a se audit, quia ex Deo omnia: omnia accepit a Patre Filius, quia ipse dixit: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo*. Omnia Patris habet Filius, quia dicit: *Omnia quæ habet Pater, mea sunt*. Et quæ accepit ipse per unitatem naturæ, ex ipso Filio per eandem unitatem naturæ accipit Spiritus sanctus, sicut Dominus Iesus declarat de Spiritu suo dicens: *Propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit uobis*. Hic aduertite, quia dicit, Non a se audit, quia ab eo omnia accipit, ponit ordinem a Patre in Filium: & quæ Filius accepit per unitatem

^a In Conc. Ephesi part. 1. act. 1. ex eius scriptis auctoritates adducuntur.

^b Corrigen- dum esset, Nazianzeno, sed legendum est, Nestario: ipsi enim sic dixit se Theodosium refert Theodoret. lib. 5. cap. 17.

^c Lib. de Spiritu sancto cap. 10.

^d Subdit S.

Ambr. quod Christus his uerbis omnes interficit opiniones, quæ ex loco ad locum possunt sicut in corporibus existimari.

^e Eod. lib. & ca.

Psal. 32. Cap. 12.

Joan. 16.

Ibidem.

ANNO
CHRISTI
1439.

tatem naturæ, per eandem vnitatem accepit & Spiritus:
& sicut Filius se habet ordine & dignitate, quia accepit, ita
dicit hic magnus doctor, quod Spiritus accipit a Filio. I-
tem dicit libro I. ad Gratianum de Spiritu sancto: Accipe Cap. 19.
nunc, quia sicut Pater fons vitæ est, ita Filius fons vitæ est,
eo quod apud te, inquit, Deus omnipotens, Filius tuus fons Psal. 35.
vitæ est, hoc est fons Spiritus sancti. Item hic clarus doctor
in secundo opere de Spiritu sancto, & in primo libro etiam
ostendit sic dicens: Quoniam de interioribus Dei progred-
ditur, non Dei creatura, sed Dei probatur esse substantia.
Legatis verba. Cur interrogas, quomodo sit socius & æ-
qualis regi, quem regii constat esse honoris & generis? Er-
go, quia Spiritus ex vtroque procedit, ideo dicit: Qui au-
tem Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Ex hac
auctoritate vnum debetis accipere, quia assignando cau-
sam, quare ab vtroque procedit, hoc solum dicit, quia scri-
ptum est: *Si quis Spiritum Christi non habet.* Et hæc habi- Rom. 8.
tudo Spiritus, quia dicitur Spiritus Filii, dicitur ex hoc,
quia ab vtroque procedit. Et hæc dixeram in prima ratio-
ne. Item eodem libro, vltimo capite: Quid est autem, quod
ex Deo Filius nasci dicitur, & Spiritus procedere signifi-
catur? Si quæras quid inter nascentem & procedentem
differat, euidenter hoc interest, quia iste ex vno nascitur,
ille ex vtroque progreditur. Et in eodem capite, mitti a
Patre & Filio dicitur, vt de ipsorum substantia procedere,
& vnum cum eis opus agere dignoscatur. Ex his duobus
est aduertendum primo, quod volens ponere differentiam
genituræ Filii & processionis Spiritus sancti, assignat hoc
pro ratione, quia Filius ab vno nascitur, & Spiritus ab vtro-
que. In secundo dat nobis vnum nobile documentum,
quod omnis missio temporalis præsupponit processionem
æternam a persona quæ mittit. Vnde cum dicitur mitti a
Patre & Filio, dicitur, vt de ipsorum substantia procedere,
& vnum opus cum eis agere dignoscatur. Sequitur Au-
gustinus regeneratus in Christo ab Ambrosio: quid dicat
attendite. & primo ad Petrum* de fide sic ait: Æternum
quippe & sine initio est, quod Filius de Patris natura exi-
stat, extitit, ac sine initio est, quod Spiritus de Patris na-
tura Filiique procedat. Et in eodem capite, vnus est Deus
Pater, qui solus essentialiter de seipso vnum Filium genuit,

* Cap. 1. inter
opera S. Au-
gust. tom. 1.
quem tracta-
tum tribuunt
S. Fulgentio
Louanenses
in edit. Parif. &
Policuin. in
apparar.

Cap. 2. & vnus Spiritus, qui solus essentialiter de Patre Filioque procedit. & infra: Neque enim in illa Trinitate proprium esset solius Patris, quia non est generatus ipse, sed vnum Filium genuit: neque proprium solius Filii, quia non genuit ipse, sed solus de Patris essentia natus est: neque proprium Spiritus sancti, quia nec natus est ipse, nec genuit, sed solus de Patre Filioque procedit. Item eodem libro,

* Vndecima. regula ^a: De fide firmiter tene, & nullatenus dubites, eundem Spiritum, qui Patris & Filii vnus Spiritus est, de Patre Filioque procedere. Dicit enim Filius: *Cum venerit Spiritus veritatis, qui a Patre procedit: vbi suum esse Spiritum docuit, quia ipse est veritas.* De Filio quoque procedere Spiritum sanctum, prophetia & apostolica doctrina commendat. Isaias dicit de Filio: *Percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum interficiet impium.* De quo Apostolus: *Quem interficiet Dominus Iesus spiritu oris sui.* quem etiam Dei Filius Spiritum oris sui esse significans, post resurrectionem insufflans, ait: *Accipite Spiritum sanctum.* De ore vero ipsius Domini Iesu ait Ioannes in Apocalypsi,

2. Theff. 2. *Quia gladius vtraque parte acutus procedebat.* Ipse ergo Spiritus oris eius, ipse est gladius qui de ore eius procedit.

Ioan. 20. Idem Augustinus ^b libro contra Maximinum hæreticum sic ait: Quæris si de substantia Patris est Filius, & de substantia Patris est etiam Spiritus sanctus, cur vnus Filius sit, & alius non sit Filius. Ecce respondeo, siue capias, siue non. De Patre est Filius, & de Patre est Spiritus sanctus: sed ille genitus, iste procedens. Ideo ille Filius Patris est, de quo est genitus: iste Spiritus vtriusque, quoniam de vtroque procedit. Sed ideo cum de illo Filius loqueretur,

Apoc. 1. dixit: *De Patre procedit:* quoniam Pater processionis eius est auctor, & genuit, & gignendo dedit vt etiam ex ipso procedat Spiritus sanctus: & nisi procederet & de ipso,

* Lib. 1. cap. 14. non diceret discipulis, *Accipite Spiritum sanctum*, eumque insufflando daret, vt a se quoque procedere significans. Et infra: Satis est nobis, quod non est a se Filius, sed ab illo a quo natus est: non est a se Spiritus, sed ab illo a quo procedit, & quia de vtroque procedit, sicut iam ostendimus; vnde & Spiritus Patris & Filii est dictus. Item idem in libro super Ioannem ^c, super illa verba, *Non enim loquetur a semetipso*, quærit hoc modo: Hic forte aliquis

Ioan. 15.

Ioan. 20.

* Cap. 16. v. 99.

ANNO CHRISTI 1419.

ANNO
CHRISTI
1439.

quæret, vtrum & a Filio procedat Spiritus sanctus. Filius enim solius Patris est Filius, & Pater solius Filii est Pater, Spiritus sanctus non est vnus eorum Spiritus, sed amborum. Habes ipsum Dominum dicentem: *Non enim vos estis* Math. 10. *qui loquimini, sed Spiritus Patris qui loquitur in vobis.* Habes & Apostolum: *Misit Deus*, inquit, *Spiritum Filii sui in* Galat. 4. *corda nostra.* Cum ergo sicut vnus Pater & vnus Filius, ita sit & vnus Spiritus sanctus, profecto amborum est, sicut ipse Dominus Iesus dixit: *Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* & Apostolus dicit: *Misit Deus Spiritum* Ibidem. *Filii sui in corda nostra.* Cur non credamus, quod etiam de Filio procedat Spiritus sanctus, cum Filii quoque ipse sit Spiritus? Si enim non ab eo procederet, non post resurrectionem se representans discipulis insufflasset, dicens: *Accipite Spiritum sanctum.* Ioan. 20. Quid illa insufflatio significat, nisi quod procedat Spiritus de ipso? Ad hoc etiam illud pertinet, quod de muliere quæ fluxum patiebatur, ait, *Tetigit me aliquis. Ego sensi virtutem ex me exiisse.* Luc. 8. Nam virtutis nomine appellari etiam Spiritum sanctum, ex eo clarum est, vbi angelus dicenti Mariæ, *Quomodo fiet istud,* Luc. 1. *quoniam virum non cognosco?* respondit: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* (& infra.) Si ergo de Patre & Filio procedit Spiritus, cur Filius dicit, A Patre procedit? Cur putas, nisi quemadmodum solet ad eum referre etiam quod ipsius est, de quo & ipse est? Vnde & illud est, quod ait: *Mea doctrina non est* Ioan. 7. *mea, sed eius qui misit me.* Si ergo intelligitur eius doctrina, quam dicit non suam, sed Patris, quanto magis intelligendus est & de ipso procedere Spiritus sanctus, vbi ait, De Patre procedit, ^a vt non diceret, De me non procedit? ^a id est, cum non dicat, A quo autem habet Filius vt sit Deus, ab illo habet vtique vt etiam de illo procedat Spiritus sanctus: & per hoc Spiritus, vt etiam de Filio procedat, sicut procedit a Patre, ab ipso habet Patre. Item idem Augustinus de Trinitate ^b: Sicut enim natum esse, est Filio a Patre esse; ita mitti est Filio cognosci, quod ab illo est: & sicut Spiritui sancto donum Dei esse est a Patre procedere, ita mitti est cognosci quod ab illo procedat. Nec possumus dicere, quod Spiritus a Filio non procedat: neque enim frustra idem Spiritus, Patris & Filii Spiritus dicitur: nec video, quod

Concil. Tom. 33.

Ggg ij

Ioan. 20.

aliud significare voluerit, cum insufflans ait: *Accipite Spiritum sanctum*. Neque flatus ille corporeus cum sensu corporali tangendi procedens ex corpore Christi, substantia fuit Spiritus sancti, sed demonstratio per congruas significationes, non tantum a Patre, sed a Filio procedere Spiritum sanctum.

Ioan. 14.

(& infra) Quod ergo ait Dominus, *Quem mittam vobis a Patre*, ostendit Spiritum & Patris & Filii: quia etiam cum dixisset, *Quem mittet Pater*, addit, *In nomine meo*. Non dixit, quem mittet Pater a me, quemadmodum dixit, *Quem ego mittam a Patre*: videlicet ostendens, quod totius diuinitatis, vel si melius dicitur, deitatis principium Pater est. Qui ergo ex Patre procedit & Filio, ad eum refertur, a quo natus est Filius. Item idem Augustinus de Trinitate libro 15.

Cap. 26.

Demum in illa summa diuinitate quæ Deus est, interualla temporum nulla sunt, per quæ possit ostendi, aut saltem requiri, vtrum prius de Patre natus sit Filius, & postea de ambobus processerit Spiritus sanctus, quoniam scriptura dicit sanctum Spiritum amborum. Ipse est enim de quo dicit Apostolus: *Quoniam autem estis Filii Dei, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra*. Et in alio loco: *Quem mittet Pater in nomine meo*, De vtroque autem procedere sic docetur, quia ipse Filius ait, De Patre procedit. Et cum resurrexisset a mortuis, & apparuisset discipulis suis, insufflauit, & ait: *Accipite Spiritum sanctum*: vt eum etiam de se procedere ostenderet. & infra. Quapropter qui potest intelligere sine tempore generationem Filii de Patre, intelligat & processionem Spiritus de vtroque. (& infra) Sicut habet Pater in semetipso, vt de illo procedat Spiritus sanctus; sic dedit Filio, vt de illo procedat idem Spiritus sanctus, & vtrumque sine tempore: atque ita dictum est Spiritum sanctum de Patre procedere, vt intelligatur, quod etiam

Galat. 4.

procedit de Filio, de Patre esse & Filio. Si enim quidquid habet, de Patre habet Filius, de Patre habet vtiq; vt de illo procedat Spiritus sanctus. Post beatum Augustinum ante tempora Gregorii Dialogi fuit Hormisda papa, qui fuit tempore Iustini imperatoris, qui præcessit magnum Iustinianum. Illo tempore erat turbata ecclesia Constantinopolitana propter Acacium patriarcham hæreticum, & nonnullos sequaces Eutychii post Concilium Calchedonense:

Ioan. 20.

procedere.

* procedere.

procedit de Filio, de Patre esse & Filio. Si enim quidquid habet, de Patre habet Filius, de Patre habet vtiq; vt de illo procedat Spiritus sanctus. Post beatum Augustinum ante tempora Gregorii Dialogi fuit Hormisda papa, qui fuit tempore Iustini imperatoris, qui præcessit magnum Iustinianum. Illo tempore erat turbata ecclesia Constantinopolitana propter Acacium patriarcham hæreticum, & nonnullos sequaces Eutychii post Concilium Calchedonense:

ANNO
CHRISTI
4439.

ANNO
CHRISTI
1439.

unde succedens Ioannes Constantinopolitanus dans operam concordia illius ecclesie cum ecclesia Romana, fecit tractatus magnos, quos habemus: & conuenit Iustinus cum Ioanne, vt tota illa ecclesia acciperet fidem quam Hormisda mitteret, vt ex conuentione fidei fieret conuentio obedientia. Fecit Hormisda tomum fidei, mittens Ioanni & Iustino; & in epistola ^a ad Iustinum imperatorem hæc verba sunt: Magnum est incomprehensibile mysterium Trinitatis, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus, Trinitas indiuisa: & tamen notum est, quia proprium est Patris, vt generet Filium; proprium Filii Dei, vt ex Patre Patri nasceretur æqualis; proprium est Spiritus sancti, vt de Patre Filioque procederet sub vna substantia deitatis. Nunc sequuntur auctoritates Gregorii Dialogi, qui fuit post quintam Synodum tempore Mauriti imperatoris; quid dicat ^b in symbolo, audite: Credo in Deum vnum, oro Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, tres personas, vnã substantiam, Patrem ingenitum, Filium genitum, Spiritum sanctum nec genitum, nec ingenitum, sed coæternum, de Patre & Filio procedentem. Item in libro dialogorum ^c: Ipsa veritas vt fidem auget discipulis dixit: *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Cum enim constet Paraclitum ex Patre & Filio procedere, cur se Filius recessurum dicit, vt ille veniat, qui a Filio nunquam recedit? Item libro 1. Moralium: Paratissime conuiniis, holocaustum Iob pro filiis exhibuit, quia pro apostolis de prædicatione redeuntibus redemptor orauit. Bene autem mittendo sanctificare dicitur, quia dum Spiritum qui ex se procedit, discipulorum cordibus tribuit, quidquid culpæ inesse potuit, emundauit. Item idem secundo Moralium libro: In cunctis fidelibus Spiritus venit, sed in solo mediatore semper singulariter permanet: illum in humanitate non deseruit, ex cuius diuinitate procedit. Item tertio libro Moralium: Venit hora cū iam in prouerbis non loquar, sed palam de Patre nuntiabo. Palam de Patre annuntiare asserit, quia per Patrem patefaciet tunc suæ maiestatis speciem, a quo gignente ipse non impar oriatur: & quomodo ab vtroque Spiritus vtrique coæternus procedat, ostendit. Temporibus Iustini imperatoris floruit quidam doctor Boetius, qui scripsit librum in theo-

^a Epistola 79. inter Conclia generalia Constantinopolitana tom. 1. par. 1.

^b In symbolo quod recitatur in eius vita lib. 2. cap. 1.

^c Lib. 2. cap. ultimo.

logia de Trinitate contra Arium, alium de duabus naturis in Christo, contra Nestorium & Eutychem, & vnum de fide catholica, & multa alia in philosophia & theologia; dicit sic in libro de fide & Trinitate: Hæc autem religio vna, quæ vocatur Christiana & catholica, his fundamentis nititur, asserens ab æterno, id est, ante mundi constitutionem, ante esse, videlicet quod temporis potest retinere vocabulum, diuinam Patris ac Filii & Spiritus sancti extitisse substantiam, vt Deum dicat Patrem & Filium & Spiritum sanctum, non tamen tres Deos, sed vnum: Patrem habere Filium ex sua substantia genitum, nota sibi ratione coæternum. (& infra) Spiritum sanctum neque Patrem, neque Filium, ac ideo in illa natura neque genitum, neque generantem, sed a Patre & Filio procedentem. Item in libro de Trinitate in fine. Ac si meminimus omnium in prioribus de Deo sententiarum, ita cogitemus processisse quidem ex Deo Patre Filium, & ex vtroque Spiritum. Etiam de tempore beati Gregorii Dialogi floruit Isidorus nomine in Hispania: vnum eius testimonium dicam. Fecit librum etymologiarum diuisum in 22. libros, in 12. libro capite 3. sic ait: Hoc autem interest inter nascentem Filium & procedentem Spiritum, quia Filius ab vno nascitur, & Spiritus ab vtroque procedit. ideo dicitur: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Ex hoc dicto & omnibus præmissis testimoniis potestis concludere, quod omnia testimonia quæ dicunt, Spiritum procedere a Filio, faciunt fundamentum in auctoritatibus scripturæ dicentis, quod est Filii, intelligentes per illud, est, processionem Spiritus. Et quia post istum doctorem tota patria Hispanorum cum rege Reccaredo^a, qui fuerat Arianus cum prædecessoribus suis, confutata hæresi Arianorum, & ea anathematizata, receperunt fidem, & fuit necesse plura Concilia in suo loco fieri, vt illa gens ex frequenti celebratione Conciliorum imbueretur in fide: & hæc Concilia fuerunt magnæ auctoritatis, in quibus aliqua de fide dicta sunt contra hæreticos: & ecclesia vniuersa Græca & Latina cum magna veneratione receperunt illa Concilia, & ibi fuit facta regula fidei hoc modo.
^a Regula fidei catholicæ, quam episcopi Tarraconenses, Carthaginenses, & Lusitani, & Bætici fecerunt, & cum

Rom. 8.

^a Alias Torisundo.
Vide Baron.
tom. 6. anno
447. num. 17.

ANNO
CHRISTI
1419.

ANNO
CHRISTI
1439.

præcepto papæ Leonis vr̄bis Romæ ad Balconium episcopum Gallæciæ miserunt. Credimus in vnum verum Deum Patrem omnipotentem, & Filium, & Spiritum sanctum, visibilem & inuisibilem factorem, per quem creata sunt omnia in cælo & in terra: Patrem autem non esse Filium, sed habere Filium qui Pater non sit: Filium non esse Patrem, sed Filium de Patre natum: Spiritum, qui nec Pater sit, nec Filius, sed a Patre Filioque procedens. Item in tertio Concilio ^a sic dicitur: Spiritus sanctus confitendus est a Patre & Filio procedere, & cum Patre & Filio vnus esse substantiæ. Item in alio Concilio vbi anathematizantur hæretici, dicunt: Quicumque Spiritum non credit a Patre & Filio procedere, eumque non dixerit vnum esse Patri & Filio, & consubstantialem, anathematizetur. Item in alia Synodo: Credimus Spiritum sanctum viuificantem ex Patre Filioque procedentem, & consubstantialiter vnum, qui ab vtroque procedit: Patrem a nullo factum, Filium a Patre non factum, sed genitum: Spiritum nec creatum, nec genitum, sed procedentem ex Patre Filioque profiteamur. Item in sequenti Synodo: Spiritum sanctum neque genitum, neque creatum, sed a Patre Filioque procedentem. Item in alia Synodo: Credimus Spiritum sanctum viuificantem, a Patre & Filio procedentem, cum Patre & Filio adorandum & glorificandum. Item in duodecima Synodo Toletana: Fons est Pater totius diuinitatis: ipse quoque Pater, qui ineffabili substantia sua Filium ineffabiliter genuit, nec aliud quam ipse est, genuit: Spiritum quoque sanctum qui est tertia in Trinitate persona, non tamen genitus vel creatus, sed ab vtroque procedens. Item in decimatertia Synodo: Credimus Spiritum sanctum viuificantem, a Patre & Filio procedentem, cum Patre & Filio conglorificandum. Omnes istæ Synodi ante sextam Synodum fuerunt cum magna veneratione susceptæ, & si ecclesia in his quæ fidei sunt, dat auctoritatem doctoribus particularibus, vt apparet in multis colloctionibus quartæ Synodi, a fortiori dedit talibus Synodis auctoritate sedis apostolicæ congregatis, & per eandem sedem firmatis, in quibus magni doctores fuerunt. Multi sunt in ecclesia nostra doctores, qui clare hanc

^a Scilicet, Toletano.

materiam declararunt, quos pro nunc omittimus, ut omnes conveniamus in illis notoriis tam Græcis quam Latinis, qui fuerunt ante septimam Synodum. Sic secunda pars est expedita, in qua dixeram, quod aliqua testimonia Latinorum doctorum adducerem pro veritate. Dixeram in tertio loco intrare doctores Græcos, etiam eorum qui sunt in magna veneratione, qui ut fulmina hanc veritatem declarant; & ideo intrabimus hanc tertiam.

NOTÆ AD VIGESIMAM PRIMAM
COLLATIONEM.

¹ *Venire.*] Græcus scriptor in fine sessionis 23. sic ait: *Conuenimus rursus ad locum consuetum, domino Marco Ephesio & domino Antonio Heracleensi absentibus. Præceperat enim imperator, ne conuenirent: namque modum unionis reperire volebat ad abeundem, non sermones contentiosos.*

² *Antirrhesis.*] Sic vocat Græco vocabulo responsiones sancti Basilii contra Eunomium. Estque lib. 5. aduersus Eunomium in capite cuius titulus est, *Quod participant de creatore, &c.*

³ *Damasus.*] In epistola Damasi ad Paulinum Antiochenum, quam refert Baronius tom. 4. anno 373. num. 10. inter alia fidei dogmata hæc non leguntur, sed nec hodie extant alia fidei dogmata, & damnationes hæresum ab eodem Damaso factæ, de quibus Iustinianus imperator in epistola ad Ioannem papam mentionem facit, de qua Baronius vbi supra num. 13. In altera igitur harum epistolarum Damasi olim extitisse hanc regulam fidei, quam refert hic provincialis, dicendum est, ex qua eam desumpsisse videtur Leo papa, ex cuius præscripto in Concilio Toletano I. eius tempore celebrato, ut tom. 3. Conciliorum, hæc eadem regula fidei fere ad verbum statuitur. Vide Baron. tom. 6. anno 447. num. 18. & sequentibus. Quam regulam fidei ex prædicto Concilio Toletano iterum infra hac eadem collatione refert provincialis.

⁴ *Regula.*] Habetur in Concilio Toletano I. tom. 3. Conciliorum. Vide Baronium tom. 6. annal. anno 447. num. 18. & sequentibus. Hanc eandem regulam tamquam ex Damaso attulit supra provincialis, de qua in antecedenti nota diximus.

COLLA-

ANNO
CHRISTE
1439.

COLLATIO VIGESIMASECVNDA.

DIE XXIV. MARTII.

Probatur auctoritatibus sanctorum patrum Græcorum, Spiritum sanctum procedere a Patre & Filio: & respondetur in contrarium allatis.

AND. DIE vigesimaquarta Martii facta est conuentio Num. 1.
alia publica, inchoavit prouincialis.

PROV. Sequentes ordinem primo institutum, transimus ad auctoritates sanctorum Græcorum, vt ex illis testimoniis innotescat concordia sanctorum Latinorum & Græcorum. Post auctoritates allegatas magni Basilii sunt & alia eiusdem magni Basilii, quibus ostendit, quod idem est ordo Spiritus ad Filium, qui est Filii ad Patrem. nam in libro dicto de antirrhesis: Quod participant de creatore, dicit, quod imago Dei est Filius, & quod imago Filii est Spiritus, & qui participes illius sunt, Filii conformes fiunt, iuxta illud Apostoli: Quos prædestinauit fieri conformes imaginis Filii Dei. Ex hoc habetur, quod sicut Filius dicitur imago Patris, ita Spiritus Filii. Imago autem iuxta doctrinam omnium sanctorum patrum, importat processionem in similitudinem alterius. Et hoc constat ex textu diuinæ scripturæ, vbi sapientia, vel scriptura loquens de sapientia diuina, ita dicit: Emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei, & imago bonitatis illius. Emanatio importat processionem: ergo impossibile est aliquid esse ad imaginem, quin procedat ad eius similitudinem. Id a quo procedit imago, vocatur exemplar. Non potest esse Filii imago in diuinis nisi naturalis: ergo accipit per hoc naturam a Patre: ergo quia accipit naturam, dicitur imago eius. Cum ergo Spiritus etiam naturaliter procedat, quia natura diuina sibi communicatur & datur, & dicitur imago Filii: ergo oportet, quod accipiat naturam & esse a Filio. Et cum Basilius hic nullam ponat conditionem, sequitur manifeste, quod nec in primo libro debuit poni conditio. Item Basilius in iisdem antirrhesis sic dicit. Sed legatur in Græco auctoritas primo.

* Lib. 5. ad Euanoniam cap. quod incipit, Propterea.

AND. Lecta fuit in Græco.
Concil. Tom. 33.

Hh h

^a Antecedenti
collat.

Heb. 1.

PROV. Capitulum est, de quo proxime ^a dicebam, quod ut Filius se habet ad Patrem, ita Spiritus ad Filium: idcirco sequitur statim, & Filius dicitur verbum Patris, & Spiritus verbum Filii, iuxta illud Apostoli: *Portans omnia verbo virtutis suæ*. Cum autem verbum Patris procedat ab ipso, & accipiat esse ab eo, ut a causa & principio suo: eodem modo verbum Filii ab ipso Filio, scilicet Spiritus, qui est verbum Filii, ut ipse probat, nec ponit hic aliquam suppositionem. Si hoc ¹ concedamus, ergo concedit, quod Spiritus sanctus a Filio procedat, & quod Filius sit causa.

AND. Fuit lecta auctoritas hæc in Græco.

PROV. Multa alia essent testimonia Basilii magni, sed quia alii multi sunt, sufficiant hæc de Basilio. Et quia in principio nos fecimus mentionem de illo sancto patre Epiphonio, & duo adduximus testimonia, restat ut adducamus duo alia eiusdem testimonia in opere anchorato, quod alias allegauimus. Post illa testimonia hæc infert: Itaque & Pater erat semper, & Filius erat semper, & Spiritus sanctus ex Patre & Filio spiratus. Modo cum spiratio Spiritus in diuinis non sit aliud quam processio Spiritus, imo est actus notionalis respectu Spiritus, & hic dicat, quod spiratur a Patre & Filio, sequitur, quod procedat ex Patre & Filio.

AND. Fuit lecta in Græco hæc auctoritas.

^b Adversus
hæreses lib. 3.
hæresi 54. alias
74. num. 7. 8.
9. & 10.

PROV. Item iste pater Epiphanius in quodam libro qui intitulum contra hæreticos ^b, ita inquit: Si autem Christus ex Patre creditur Deus ex Deo, & Spiritus ex Christo, siue ab utroque, quia Christus ait: *De meo accipiet*: ex hoc apparet clara similitudo ad dicta Basilii sine vlla conditione penitus, ut nil clarius esse possit. dicit: Quod sicut Christus dicitur ex Patre Deus ex Deo, ita dicit: Oportet ut credamus Spiritum ex ipso, ita ut Deus ex Deo siue ab utroque, quia idem est dicere apud eum, quod Spiritus sit ex ipso Filio, Deus ex Deo, & quod sit ab utroque. Et quod hoc sit, probat duabus auctoritatibus sacrae scripturae. Prima, quod sit ex Patre Deus ex Deo, per illud, *Qui ex Patre procedit*. Secundo quod sit Spiritus ex ipso Christo Deus ex Deo, probat ex illo, *De meo accipiet*; & ponit sine conditione. Et hic sanctus pater bene debuisset

ANNO
CHRISTI
1419.

ANNO
 CHRISTI
 1459.

vidisse magnum Basilium, aut si præcessit Basilium, Basilium debuit eum vidisse. Ergo de necessitate oportet dicere, quod illa conditio non potest stare in libro illo.

AND. Fuit lecta in Græco.

PROV. Vt nos procedamus secundum ordinem temporum, cum multæ aliæ possent adduci auctoritates ex sancto Epiphanio, credimus hæc sufficere de eo, & transeamus ad alios. Habemus apud Latinos translatum per beatum Hieronymum librum magni Didymi de Spiritu sancto. Hic Didymus fuit præceptor Hieronymi, & ipsemet Hieronymus de se dicit in epistola^a, quod iam canis eius spargebatur caput, & magistrum magis decebat esse, quam discipulum; tamen perrexit Alexandriam, ut Didymum audiret: & vestri historici, videlicet Theodoretus & Socrates immensam laudem de scientia sua dicunt. Iste sic dicit: Spiritus quoque sanctus cum sit Spiritus veritatis, Spiritusque sapientiæ, non potest Filio loquente audire quæ nescit, cum hoc sit quod profertur a Filio. & modicum infra dicit ita: Neque aliud quid est Filius, exceptis his quæ ei dantur a Patre: neque alia substantia est Spiritus sanctus, præter id quod ei datur a Filio. Ex hac auctoritate primo apparet, quod talis est habitudo Spiritus ad Filium, qualis Filii ad Patrem, quia dicit, quod Filius nil aliud est, exceptis his quæ dantur sibi a Patre: nil modo datur Filio a Patre, nisi æternum, quia alias daretur ex tempore, & esset mutabile. Et hoc habetur in sancto Ioanne euangelista, declarans quid est, quod datur Filio a Patre, dicit in capite 10. *Oves meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est, & nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego & Pater unum sumus.* Id autem quod est maius omnibus, ratione cuius nullus potest rapere oves suas, neque a se, neque a Patre, & secundum quod unum sunt Pater & Filius, non est aliud quam substantia & essentia diuina, ut omnes sancti doctores exponunt. Dicit hic Didymus, quod Filius non est aliud quam quod datur sibi a Patre, & Spiritus non est alia substantia præter id quod datur sibi a Filio. Hic ergo nulla est conditio; & credendum est Basilium etiam vidisse hoc opus de Spiritu san-

^a Epist. 64. ad Pachomium & Oceanum.

Ioan. 10.

Concil. Tom. 33.

H h h ij

* In dictis Ba-
silijs, de qualia-
tis supra.

Ioan. 16.

cto: ergo non debuit poni illa conditio dubitativa. In prima auctoritate dicit, quod non potest audire Filio loquente quæ nescit, cum ex hoc subsistat Spiritus, quod profertur a Filio. Ex quo apparet quod audientia Spiritus ab intra nil aliud est, quam acceptio scientiæ: & cum scientia in Deo & essentia sint vnum, hæc audientia & essentia erunt vnum. Et ideo Christus dicebat in euangelio: *Non enim loquetur a se*: quia scilicet non est a se. Ergo oportet, vt capiat esse ab illo, a quo audit: ab illo audit, a quo procedit, secundum Augustinum qui dicit: Audire illius est scire, & scire idem est quod esse. Ex quo sequitur, quod ab illo, a quo audit, ab illo habeat esse: sed a Filio audit, vt concessum fuit per vos: ergo a Filio accipit esse. Quia tempore Didymi floruit Athanasius, ideo veniam ad testimonia magni & beatissimi Athanasii. Dicit in 3. libro contra Arianos^b de Filio loquens: Ipse, vt dictum est, Spiritum dat, & quæcumque habet Spiritus, hoc a Verbo habet. Et cum non habeat nisi æternum, & istud habet Spiritus a Filio: ergo sequitur necessario, quod procedit a Filio.

AND. Fuit lecta auctoritas Athanasii.

PROV. Hic doctor Athanasius in 2. libro contra Arianos ita dicit: Nam alia quidem omnia Spiritus participantia sunt, ipse autem Filius, secundum vos, cuius erit particeps? (loquitur Arianis) Spiritusne? Sed Spiritus a Filio potius accipit, & irrationabile est dicere, hunc ab illo sanctificari. Hæc Athanasius. Ergo apparet, quod Spiritus accipit a Filio, & quod nullo modo Filius potest sanctificari a Spiritu, quia ipse Filius est Deus, & producit Spiritum sanctum: & quidquid Spiritus sanctus operatur, operatur vt productus a Filio: & hoc est quod dicit. Legatis.

AND. Fuit lecta hæc auctoritas in Græco.

PROV. Item hic doctor Athanasius in quadam epistola^c, in qua exponit illa verba: Quicumque dixerit verbum contra Spiritum sanctum, ita dicit: Docuit enim, quod omnia quæ habet Pater, Filii sunt, & quod non Spiritus daret Filium, sed Filius Spiritum discipulis præberet. Ex hac auctoritate colligitur, quomodo debet intelligi, Ex Filio accipiet. Legatis,

AND. Fuit in Græco lectum.

^c Ad Serapionem tom. 3. in edit. Parisien. anno 1771.

ANNO
CHRISTI
1439.

ANNO
CHRISTI
1439.

PROV. Item iste doctor in epistola ad Serapionem, cuius initium est ^a, Versatus sum, ita dicit: Filii est Spiritus, & a Filio accipit omnia, vt ipse ait; & insufflans dedit eum discipulis. Dicit primo, quod est Spiritus Filii, & ex illa habitudine dicit, quod accipit omnia a Filio per processionem æternam, quia alio modo nil potest accipere. Secundo dicit, quod temporaliter dat eum discipulis: ergo omnis processio temporalis præsupponit processionem æternam. Legatis.

AND. Lecta fuit in Græco.

PROV. Item in epistola ad Serapionem circa principium, cuius initium est: Miraberis fortasse: ita dicit: *Quia, vt dicit Dominus, non loquetur a se Paracletus, sed quæcumque audierit loquetur, quia de meo accipiet & annuntiabit vobis.* & insufflans dedit eum discipulis. Sic illum effudit Pater super omnem carnem iuxta scripturam: & idcirco igitur prius de ipso Filio Dei merito mihi tum dictum, tum scriptum est, vt ex cognitione Filii agnitionem quoque ipsius Spiritus recte habere possimus. In hoc videtis qualiter Basilius imitatur formam Athanasii, quia Athanasius dicit his verbis, quod prius tractandum erat de Filio propter causas dictas, vt ex veritate eorum quæ de Filio essent dicta, clarescerent quæ dicenda essent de Spiritu. Ita fecit Basilius contra Eunomium, & ponit comparisonem valde nobilem. Quantam enim nouimus habitudinem Filii ad Patrem, hanc habere Spiritum ad Filium inuenimus. Et declarat quomodo debent intelligi hæc habitudines, dicens: *Quemadmodum Filius dicit, Omnia quæ habet Pater, mea sunt:* ita inuenimus hæc omnia esse per Filium. Ecce comparisonem acceptionis, ostendens, Filium omnia capere a Patre, quia secundus est ordine & dignitate. Hæc omnia non possunt esse in Spiritu, nisi per Filium, quia apud eum ex Filio vel per Filium accipere idem est, licet sit varius modus loquendi. Ponit aliam comparisonem, sicut Pater ostendit Filium, dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Ita Spiritus Filii est, vt ait Apostolus: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem, Abba Pater.* Vnde omnes doctores Latini, vt audistis, dicunt, quod ex quo dicitur Spiritus Filii, habetur habitudo Spiritus naturalis, sicut per

* End. edit.
tom. 4.

Isel. 5.

Ioan. 16.

Matth. 3.

Galat. 4.

Hhh iij

hoc quod dicitur Filius Patris, importatur habitudo originis naturalis a Patre; & hoc idem dicit hic Athanasius. Legatis.

AND. Lecta est in Græco auctoritas.

PROV. Hic beatus Athanasius in alia epistola ad Serapionem, cuius initium est; ^a Literæ sacræ dilectionis tuæ; ita dicit: Spiritus autem a Filio accipit. ait enim; *De meo accipiet*: & Filius in nomine Patris venit. De Spiritu vero sancto inquit: *Quem mittet Pater in nomine meo*. In his auctoritatibus fundat ordinem sequentem, & subdit ibi tria. Primum est, quod accipit Spiritus a Filio: postea dicit, quod Filius non venit in nomine suo. Hoc est verum, quia Filius dicit in scriptura, *Non enim a meipso veni*. Deinde dicit: Spiritus Dei in nomine Filii mittitur. Hæc est modo similitudo in hoc, venire, quia sicut Filius venit in nomine Patris, ita Spiritus in nomine Filii: & sicut Filius veniendo in nomine Patris accipit a Patre, ita Spiritus veniendo in nomine Filii accipit a Filio. Modo ex hoc ordine scripturæ infert Athanasius, & dicit: Cum igitur talem ordinem & naturam habeat Filius ad Patrem, qualem Spiritus ad Filium, quomodo qui hunc creaturam dicat, non idem de Filio necessario sentiat? Ergo tota ratio ordinis & naturæ pendet ex illis auctoritatibus scripturæ, & ita debent intelligi, & non aliter, cum dicitur, talem ordinem habet & naturam, quia Spiritus venit in nomine Filii, & accipit a Filio, qualem habet Filius ad Patrem, quia etiam Filius venit in nomine Patris, & accipit a Patre. Modo vnam personam accipere ab alia nil aliud est, quam vnam personam habere ordinem originis naturalis ab alia, quia per hoc quod originatur ab alia, datur sibi natura diuina, & communicatur, & illa accipit: nec possumus dicere aliter in diuinis, quia ponendo originem secundum relationes, habemus dicere his terminis, dare & recipere; quia Christus in euangelio dedit nobis formam, quia non communicatur, vel datur, nisi eadem natura: ideo oportet vt accipiatur & detur. Ergo ex hoc videtur, quod talis est ordo Spiritus ad Filium, qualis Filii ad Patrem. Legatis.

AND. Fuit lecta in Græco.

PROV. Athanasius paulo ante hanc auctoritatem in ea-

^a *Alias, Literæ
vni sanctissimi
affectus, ead.
edit. tom. 3.
Ioan. 16.*

Ioan. 14.

ANNO
CHRISTI
1419.

ANNO
CHRISTI
1439.

dem epistola dicit: Vnus enim cum sit Filius viuens verbum, vnā esse oportet perfectam & plenam sanctificationem illuminatiuamque vitam, quæ est operatio ipsius & donum quod etiam procedere a Patre dicitur, quoniam a verbo, quod ex Patre fatemur, fulget, mittitur & datur. Ecce ex hac auctoritate dicit nobis aperte, quod ex Filio est ipsa operatio & donum; ex hoc capite & ratione, quia effulget & mittitur ab illo verbo quod habet esse a Patre. Ergo apparet, quod non potest esse a Patre, nisi a verbo. Legatis.

AND. Fuit lecta auctoritas in Græco.

PROV. Item Athanasius in eadem epistola sic ait: Cum dicit Paulus, *Testificor coram Deo in Christo Iesu*, sentiebat, 2. Tim. 4. non esse diuisum a Filio Spiritum, sed in Christo erat ipse, vt Filius in Patre. sic Athanasius. Modo Filius est in Patre vt in principio & causa sui: ergo Spiritus est in Christo, vt in principio & causa sui. Legatis.

AND. Lecta fuit in Græco.

PROV. Item iste doctor in libro de incarnatione^a Verbi ita dicit: Idcirco Dauid psallens canebat: *Quoniam apud te fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*. Sciebat apud Patrem esse Filium Spiritus sancti fontem. Itaque vult Athanasius, quod sicut fluuius procedit a fonte, ita Spiritus sanctus a Filio. Legatur primo auctoritas in Græco.

^a De incarnatione, seu de humana natura Christi, in editione Parisiensi 1572. tom. 3. initio. Psalm. 35.

AND. Lecta fuit in Græco.

PROV. Item dicit in dialogo habito in Nicæa contra Arium: Si enim non est de substantia Patris & Filii Spiritus, cuius gratia connumeravit eum Filius in symbolo sanctificationis, dicens: *Euntes baptizate in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*? Ergo ex hac auctoritate habetur manifeste, & ex his quæ diffuse sequuntur, quod Spiritus est de substantia Patris & Filii. Et pridem dominus Ephesinus ita respondebat^b, Est de substantia Patris & Filii, id est vnus substantiæ cum Patre & Filio: & sic volebat excludere ordinem originis naturalis, & solum in verbis ponere ordinem. Hæc expositio nullo modo potest stare, quia si dicimus quod Spiritus sanctus est de substantia Patris & Filii, quia est vnus in substantia, pariformiter possemus dicere, quod Filius est de substantia Spiritus sancti, quia est

Math. 28.

^b Supra collat. 18. non longe ab initio.

vnus substantiæ cum Spiritu. Modo hoc esset absurdissimum, & omnes doctores abhorrerent, nec vnquam fuit repertum, quod quis diceret, Patrem esse de substantia Spiritus, aut Filium. Hæc propositio, de, importat principium & consubstantialitatem, & tantum est dicere de substantia Filii, quantum est de Filio substantialiter, vel quod Filius substantialiter producit eum. Legatis auctoritatem.

AND. Fuit in Græco lecta.

PROV. Multa alia testimonia possent induci de beato Athanasio, & ex his libris antiquissimis & vetustis. Sed vt alii doctores locum habeant, succedat beatus Cyrillus, qui, meo iudicio, fuit valde eleuatus in Græco: & inchoemus a sua epistola, quam fecit in Synodo Alexandrina, & postea in Synodo Ephesina fuit approbata. Ira etiam in Calchedonenfi fuit recepta, cuius initium est*: Cum Saluator noster. Hæc epistola tota est contra Nestorium, qui in duobus maxime peccabat. Primo circa incarnationem Filii, quia non dicebat vnã personam diuinã in duabus naturis. Secundo in Spiritum peccabat, quia, vt apparet in symbolo transformato, dicebat, quod Spiritus non esset Filii, nec acciperet essentiam a Filio: & cogebatur ad sic dicendum, quia id per quod apparet in mundo, quod Christus esset Deus, fuerunt magna miracula supra omnem potentiam naturalem: & ideo isti Nestoriani, qui dicebant purum hominem, dicebant, quod faciebat aliena virtute, & per consequens, quod Spiritus non caperet essentiam a Filio, quia si cepisset essentiam a Filio, tunc Filius non fuisset operatus per virtutem alienam, sed per suammet, quæ ex ipso procedebat, iuxta quod dicit euangelium: *Virtus ex illo exibat, & sanabat omnes.* Hic Cyrillus nedum fecit vnum capitulum ex illis duodecim contra opinionem Nestorii de Spiritu, vt apparebit in solutionibus vltimæ rationis Ephesini: sed in epistola, Cum Saluator noster, multum fortiter arguit contra Nestorium, & inchoat de Spiritu, & dicit, quod recte intelligentes non debemus intelligere glorificatum a Spiritu, vt aliena virtute, quia nec Spiritus potior Filio est, nec vltra quam erat essentia sua. Postea declarat, quomodo debeat intelligi, confutans opinionem Nestorii, dicens, quod ad

* In act. Conc. Ephes. part. 1. c. 16. num. 10.

Luc. 6.

demon-

ANNO
 CHRISTI
 1459.

demonstrationem suæ diuinitatis utebatur suo Spiritu in magnis, vt si quis nostrum de sua fortitudine, aut cuiusuis rei scientia dicat: Mea me virtus, aut scientia glorificabit. Ita debemus intelligere, quod Spiritus erat virtus insita naturaliter ipsi Filio, & ab eo naturaliter exiens, secundum quam glorificabatur Christus faciendo miracula: & dicit, quod quamuis in sua subsistentia sit Spiritus, & intelligatur prout Spiritus, non Filius; non tamen est alienus ab eo. Et notandum est, quod in alia epistola quam scripsit Ioanni Antiocheno, cuius initium est, Exultent cæli, ita dicit^a: Est a Filio non alienus secundum vnus essentia rationem. Modo beatus Cyrillus non intendit solum hoc dicere, quod non sit alienus, per hoc quod est vnus essentia cum eo, prout Ephesinus visus est exponere, sed annectit statim, quo modo est principium Spiritus, assignans causam quare non est alienus ab eo, dicens ex apostolo Paulo, Spiritum sanctum esse Spiritum Christi. Et clarius in epistola^b ad Nestorium dicit, quod Spiritus sanctus Spiritus veritatis nominatur, & Christus est veritas, & quod ex hoc dicitur non alienus, quia dicitur Spiritus veritatis; & intelligit habitudinem genitiui casus pro origine naturali a Patre, & statim subdit: Et profluit ab eo, prout ex Deo Patre, quia non alia causa est Spiritus veritatis, nisi quia ab eo profluit vt a Patre. Et hoc est ita clarum testimonium, sicut posset esse in mundo, quia profluit a Christo, vt a Patre. Et sic quemadmodum procedit a Patre naturaliter, imo mittitur temporaliter: ita a Filio mittitur temporaliter, & illo modo necessario procedit ab eo Spiritus æternaliter. Et si quis dicat, quod^c profluere non est idem quod procedere, non debetis vlli magis credere quam Cyrillo, quia ipsemet declarat, quod profluere idem est quod procedere, Et hoc ipse ostendit in quodam^d opere super symbolo Concilii Nicæni, vbi in verbo, Et in Spiritum, sic dicit: Peracto de Christo sermone, beatissimi patres de Spiritu meminerunt, credere in ipsum dixerunt, vt in Patrem & in Filium: consubstantialis est enim, & profluit quidem^e, videlicet procedit veluti ex fonte Deo & Patre. Declarat ergo, procedere & profluere idem esse. Et cum dicat in hac epistola, Cum Saluator noster, profluere a Filio, necessario oportet dicere

^aIn actis Concilii Ephes. part. 3. c. 34. in fine. Incipit ibi, Exultent cæli, & exultet terra.

^bQue incipit, Cum saluator, in act. Concilii Ephes. part. 1. cap. 26. c. 10. vbi sic ait: Nō est tamen alienus a Filio nam Spiritus veritatis nominatur, & Christus est veritas, & perinde quoque ab illo atque a Deo Patre profluit.

^cGræce enim in ea epist. legitur πρὸς τὸν υἱόν, & Latinus interpres vertit, Procedit: quam veritatem probat hic promine.

^dIn actis Concilii Ephes. part. 3. cap. 43. circa finem.

^eGræce ibid. πρὸς τὸν υἱόν ὡς πρὸς τὸν πατέρα.



secundum eius opinionem (quæ fuit in tertia Synodo recepta, & in Calchedonenſi) quod Spiritus ita procedat a Filio, ſicut a Patre. Legatis.

AND. Fuit lecta in Græco.

PROV. Modo facio hanc concluſionem. Patres ita concluſerunt contra hæreſim Neſtorii, qui dicebat, quod Spiritus non capiebat eſſentiam a Filio. Modo in Calchedonenſi Concilio ^a habetis teſtimonium patrum illorum, quod magnus Leo papa per omnia fuit inſtructus doctrinis veritatis, & in illa columna fidei contra Priſcillianiſtas dicit: Alius qui genuit, alius qui generatus, alius qui ab utroque procedit: & totum Concilium Calchedonenſe approbavit doctrinam Leonis; approbavit & hanc epiſtolam Cyrilli, Cum ſaluator noſter, &c. contra errorem Neſtorii. Ergo poſſumus concludere, vt verum, per duas Synodos œcumenicas fuiſſe ſtabilitum & firmatum, quod Spiritus accipiat eſſentiam a Filio, & quod procedat ab utroque, quia idem eſt procedere & capere eſſentiam a Filio, vt dixi ſæpius. Item Cyrillus in opere ad Hermiam ^b, vbi oſtendit proceſſionem diuinarum perſonarum adintra, ſic dicit: Supremam denique radicem, vltra quam nemo, Patrem intelligas: eum vero qui ex ſuprema radice procedit, Filium accipies, qui in omnibus pari meſura præpolleat, præter gignere: ſolum enim hoc eſt proprium & particulare ipſius Dei Patris. Spiritum ſanctum dices eum qui ex Patre per Filium naturaliter profluit, ac velut in figura ſpirationis ex ore, propriam ſubſtentionem nobis inſinuat. Legatis.

AND. Lectum eſt in Græco.

PROV. Modo in hac nobili auctoritate cum ponit productionem Filii, dicit, quod in omnibus quibuſcumque pari meſura præpolleat, præter gignere ſolummodo: in Patre vero ſunt duo. Eſt ſpiratio quæ ſpirat Spiritum, & eſt generatio. Modo dicit Cyrillus, quod in omnibus eſt æqualis Patri, & in eadem meſura reſpectu cuiuſcumque, excepto hoc, quod eſt generare. Cum ergo ſit aliud relatio proceſſus & generationis, ergo neceſſario tenet, quod ſpiratio communicatur Filio, & quod ſit omnino æqualis Patri in ſpiratione Spiritus. Item ſecundo dicit, quod hic Spiritus ſanctus profluit naturaliter a Patre per

^a Conc. Calched. act. 5.

^b Lib. 1. ante med.

ANNO
CHRISTI
1439.

ANNO
CHRISTI
1439.

Filium, & iam dudum monstratum est, quod impossibi-
le sit procedere per Filium, quin procedat ex Filio. Imo
omnes nostri doctores rarissime, vel nunquam dicunt
per Filium, sed semper ex Filio: & est ratio, quia licet sit
idem in significatione, est differentia in modo significan-
di, & ne aliquis vnquam posset ex hoc credere, quod Fi-
lius est organum, per quod Pater produceret Spiritum,
vt Ariani dicebant. Ideo cauent doctores, ne occurrat
aliqua declarationis necessitas, vt tunc temporis contra
Arianos erat necesse. Modo profluxus hic est naturalis,
sed secundum viam omnium sapientum & theologorum,
id quod procedit naturaliter ab aliquo, procedit in simi-
litudinem naturæ ab eo, & accipit ab eo naturam: & sic
hic terminus, Profluit, sumitur pro æterna processione,
secundum quam Spiritus accipit naturam a Filio & a Pa-
tre. Et Cyrillus ad Hermiam^a volens ostendere, quod o-
pera diuinitatis ad extra sunt indiuisa, & quod opera Spi-
ritus in creatura, operantur & Filius & Pater, inducens
auctoritatem: *Omne datum optimum*: & aliam Christi, cum
dixit discipulis: *Sanate infirmos, mortuos resuscitate*: ita in-
quit: Confessus est Ioannes: *De plenitudine eius nos omnes*
accepimus. Subdit interrogans Hermiam: Datum opti-
mum, & donum perfectum erit aliud quidquam, iuxta
quod tibi videtur, quam participatio Spiritus? Respondit
Hermias: Nequaquam. Cyrillus subdit: Inspice amice Fi-
lium ex plenitudine sua producentem proprium ipsius, &
immobiliter insitum Spiritum sanctum, per quem omne
datum optimum. Legatis.

^a Lib. 3. vita
med.

Jacob. 1.

Matth. 10.

Ioan. 1.

AND. Lecta est in Græco per generalem Camaldulen-
sem, qui has omnes auctoritates hoc die in Græco legit.

PROV. Modo si producit Filius Spiritum, nescio quæ
auctoritas possit esse magis, quod Spiritus procedat ab
eo. Item Cyrillus in thesauris suis per multa testimonia
approbat hanc rem, ex quibus pauca dicam propter tem-
poris breuitatem. Dicit quodam loco^b sic: Dixit Spi-
ritus sanctus: *Segregate mihi Paulum & Barnabam ad*
opus, ad quod assumpsi eos. Si ergo a Spiritu sancto ad
apostolatum vocatus, a Iesu Christo vocatus dicitur, hic
aperte docetur, Spiritum non esse alienum a substan-
tia Filii, sed esse in ipso Filio, & ex ipso, sicut operatio

^b Theaur.
lib. 1. cap. 1. in
fine.
Act. 13.

Concil. Tom. 33.

lii ij

quædam naturalis in propria hypostasi, omnia implere va-
lens quæ ipse vult, sicut & Filius. Ex hac auctoritate ha-
betis vnum singulare contra expositionem domini Ephe-
fini, quia Cyrillus dicit: Spiritus non est alienus a sub-
stantia Filii. & infert, quod Filius est principium, cum di-
cit: Et in ipso, & ex ipso manifestum est ipsum esse. Et sic
cum Cyrillus ponit, quod Spiritus non est alienus a Filio
in substantia, semper intelligit sic, quia est ex ipso Filio
substantialiter: & hoc dictum est in multis supra, & hoc
apparet. Legatis.

AND. Legit in Græco.

* Lib. 11. cap. 1.
in fine.

PROV. Idem sanctus dicit in eodem opere in thesauris:
Quoniam igitur vita secundum naturam est Filius & Spi-
ritus etiam sanctus, quam ipse largitur, viuificat, necesse
est fateri ipsum de substantia Patris & Filii esse, ac omnem
ipsius virtutem & operationem habere, sicut cum ex aqua
vapor ascendit. Legatis.

AND. Fuit lecta in Græco.

PROV. Ex hac auctoritate duo sunt singulariter notan-
da, quod per hoc, quod Spiritus largitur a Filio, necesse
est fateri, ipsum esse de substantia Filii, eo modo, quo
declaratum est supra: & ponit vnum notabile exem-
plum, quod in scriptura ponitur. Nam diuina scriptura
volens ostendere processionem æternam sapientiæ diui-
næ æternaliter a Patre, vtitur hoc verbo, *vapor*, dicens:
Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis.
Dicit quod est vapor, ad ostendendum esse naturaliter,
quia vapor qui ascendit, est eiusdem naturæ aquæ, a qua
procedit: & ideo hic magnus doctor notabiliter facit hanc
comparationem, quod vt Filius est vapor virtutis Dei, ita
fit Spiritus vapor Filii, & ex ipso procedat. Item idem do-
ctor in eisdem thesauris^b volens ostendere, quod geniti-
uus Filii importat habitudinem originis naturalis, ita di-
cit: Bene in euangelio saluator dicit de se: *Ego sum veritas.*
Deinde docens, ex Patris & ex Filii substantia Spiritum esse,
Spiritum, inquit, *veritatis, qui a Patre procedit.* In epi-
stola vero Ioannes ait: *Spiritus ipse est veritas.* Itaque di-
cit Spiritum esse de substantia Patris, & quia Christus di-
cit Spiritum veritatis, colligit Spiritum de substantia
Filii. Legatis.

Sap. 7.

* Lib. 13. cap. 3.
circa med.

Ioan. 14.

Ioan. 15.

1. Ioan. 5.

AND. Lecta est auctoritas in Græco.

PROV. In eisdem thesauris dicit sic^a: Quod Spiritus sanctus Deus sit, ostendit Apostolus dicens: *Lex spiritus vitæ* & quod hæc vita non est nisi Christus, qui ait: *Ego sum veritas & vita*. Christo igitur legem ponente, Spiritus ipse, vt in ipso & ex ipso naturaliter existens, legem ponit. Legatis.

AND. Lecta est in Græco.

PROV. Hæc auctoritas est multum clara de illa habitudine, quia ex eo quod dicitur Spiritus vitæ & Spiritus veritatis, concludit necessario habitudinem originis naturalis. Ideo subdit: Spiritus ipse vt in ipso & ex ipso. Et hoc est verissimum, quod id quod est naturaliter ab aliquo, necessario accipit naturam & esse ab illo. Item in thesauris^b dicit sic: Filium quidem Dei ex ipso & in ipso Patre naturaliter esse intelligimus, ex Filio autem naturaliter Spiritum sanctum, sicut ex Patre, prodire credimus, per quem Filius omnia sanctificat. Legatis.

AND. Lecta est in Græco.

PROV. Modo quod prodire sit idem quod procedere, probatur ex diuina scriptura de sapientia æterna quæ procedit a Patre, & dicit: *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita*. Vltimo dicit Cyrillus in iis thesauris^b: Quoniam igitur renouare Spiritus dicitur, dicitur iuxta illud quod in psalmis tangitur: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ*. Neesse est fateri, ipsum esse de substantia Filii, & ex ipso naturaliter existere, & quod ab ipso ad creaturam missus, renouationem operatur, complementum sanctæ Trinitatis existens. Legatis.

AND. Legit in Græco.

PROV. Ex hac auctoritate sunt aliqua multum notanda. Primo quod cum dicit, quod Spiritus mittitur ad renouationem creaturæ, infert neesse esse fateri, ipsum esse de substantia Filii: quasi velit dicere, quod non mitteretur ad renouationem creaturæ, nisi haberet procedere. Et hoc declarat de processione a Filio, quia mittitur, ait, ex ipso naturaliter existens. & subdit: Oportet intelligere, quod naturaliter existat a Filio in hac missione temporali, quia mittitur ad renouationem a Filio: & in hoc existere naturaliter a Filio, dicit quod est comple-

mentum sanctæ Trinitatis. Ergo apparet, quod substantiam habet a Filio. Expletis testimoniis Latinis & Græcis, & omissis multis rationibus, quæ possent necessario induci, concludentibus hoc quod sancti patres dixere, veniam ad solutionem domini Ephesini^a. Tria dixit. Nam primo videbatur dubitare ex hac propositione, *Qui a Patre procedit*; & dicebat se habere a beato Gregorio Theologo in fermone de Pentecoste, quod hæc processio erat sibi propria, quod nullo modo poterat competere nisi Patri: & si fuisset communis Filio, non tacuisset. Ad id quod dicit, Filius non fecit mentionem de se, ita respondemus, quod propter vnitatem naturæ in tribus personis iuxta regulam omnium theologorum, quidquid de vna persona dicitur, necessario habet intelligi de alia, vbi non obuiat oppositio relatiui, quia nostri & vestri doctores dicunt, quod substantia continet vnitatem, & relatio multiplicat, etiam si ponatur ad vnam personam dictio exclusiua, vt apparet in scriptura, vbi dicitur: *Nemo nouit Patrem, nisi Filius*: sequitur quod Spiritus non noscat Patrem, nec Pater seipsum? certe non. Et cum dicit, *Nemo nouit Filium, nisi Pater*, numquid Spiritus non nouit Filium, aut Filius non nouit se? certe nouit. Ita de Spiritu sancto in prima ad Corinthios, capite 2. cum dicitur: *Nemo nouit quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei*. Et patet quod loquitur de Spiritu sancto, vt statim dicit, Spiritus qui ex Deo est. Ergo concludit, quod nemo nouit nisi Spiritus? Volumus dicere, quod Pater & Filius non cognoscant quæ Dei sunt? Ita cum dicit, *A Patre procedit*, & non ponitur dictio exclusiua (quod est magis) non potest inferri: Igitur non procedit a Filio. & multa alia exempla sunt. Dicit Christus Patri suo: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum*. Numquid Filius & Spiritus non est verus Deus? certe sic. Hæc est regula, quod propter vnitatem substantiæ, quidquid dicitur de vna persona etiam cum dictione exclusiua, oportet quod non exclusæ videantur aliæ personæ, nisi sit oppositio relatiua: sicut dicimus, quod Pater generat, hoc non potest communicari Filio, quia solus generans Pater est, & Filius generatus. Modo actiua spiratio nullo modo repugnat Filio, quia Pater & Filius sunt vnum principium. Sic non sequitur, quod hæc spira-

^a Hic respondet prouincialis omnibus auctoritatibus adductis ab Ephesino supra collat. 20.

Matth. 11.

Ioan. 17.

ANNO
CHRISTI
1439.

tio non communicetur Filio, vt textus declarat, cum dicit: *Cum venerit Paracletus, quem mittam vobis a Patre* Ioan. 15.
Spiritum veritatis, qui a Patre procedit: dixit se principium, cum dixit Spiritum veritatis^a: & cum dixit, *mittam*, expressit processionem a Patre, vt etiam ostenderet se habere a Patre esse principium Spiritus sancti. Dicit, *quem mittam vobis a Patre*, sicut semper consuevit Patri referre omnia, quia omnia habet a Patre, vt ibi: *Doctrina mea non est mea*: vt dicit ibi Augustinus. Si ergo in his verbis, licet dicat doctrinam non suam, sua intelligitur, quanto magis per illa verba, *procedit a Patre*, intelligetur procedere a Filio, cum non dicat, Non procedit a Filio? Ad id quod dicebat de proprietate, nescio vbi ipse inuenerit in sermone Gregorii, quia semper facit consequentiam quando documque reperit, *procedit a Patre*; ipse infert: Ergo non procedit a Filio. Quantum valeat ista consequentia, quilibet patrum potest iudicare: quinimo nullus nec Græcus, nec Latinus ausus est dicere, quod non procedat a Filio, & tamen Ephesus semper intulit: Ergo non a Filio. Cum beatus Gregorius tradit notitiam proprietatum, ita dicit in dicto sermone Pentecostes: Omnia quæcumque Pater habet, sunt Filii: omnia quæcumque Filii, Spiritus sancti sunt, si generationem exceperis. Nonne videtis quomodo bene ordinat has proprietates? Si Spiritus non haberet ordinem ad Filium, postquam dixit: Omnia quæ Pater est, hoc est Filius; statim dixisset: Omnia quæ Pater est, hoc est Spiritus tamquam accipiens a Patre, & non a Filio. Modo quia abhorruit hunc ordinem, posuit ordinem conformem aliis doctoribus, & eo modo comparauit Spiritum ad Filium, vt Filium ad Patrem, sine vlla ambiguitate. Modo de proprietate nunquam dixit, quod esset ita proprium Spiritus sancti, quod non procederet nisi a Patre: imo apparet quod proprium est Spiritus procedere a Patre & Filio, & hoc proprium proprie est Spiritus sancti, quod procedat a Patre & Filio: sed illa proprietas quæ est in Patre & Filio respectu Spiritus, quæ dicitur spiratio, vel virtus spiratiua, illa non est ita proprie proprium Patris, quin conueniat Filio: & si bene studuisset in theologia, dixisset sic, quod est^b differentia inter proprietates personales, & proprietates personarum, quia

^a Supra enim ex auctoritate Cynili probant illud, veritatis, intelligi, id est Christi.

Ioan. 7.

^b De qua S. Thomasi par. q. 31. art. 3.

proprietates personales sunt quibus constituuntur personæ; non est autem proprietas qua constituatur Pater, vis spiratiua: tamen dicitur proprium largo modo, & hoc oportet ponere in diuinis, quia omnes doctores dicunt, quod esse ab alio competit Filio & Spiritui sancto, & nullo modo competit Patri. Ita dicimus quod vis spiratiua competit Patri & Filio, & non Spiritui sancto, & est proprietas quædam. Introducit secundo Ephesinus aliam auctoritatem, vbi adducit, quod Spiritus dicitur ex Deo, iuxta Paulum, & quod nullo modo est a Filio, cum dicit: *Nos accepimus spiritum, non qui ex mundo, sed qui ex Deo est.* Et ad probandum hoc induxit auctoritatem Dionysii & Athanasii, quod Pater est fons deitatis. Sed si bene considerasset intentionem auctoritatis Apostoli, inuenisset solutionem. Nam primo dicit Apostolus, quod est Spiritus Dei: & volens hoc ostendere, dixit, quod ex Deo est. Ita omnes doctores per hoc, quod dicitur Spiritus Filii, semper concludunt secundum modum Apostoli, quod est ex Filio. Certe non sequitur, quod non sit a Filio, per rationes iam dictas, nec secundum Athanasium & Gregorium tenendo Patrem fontem deitatis, sequitur quod dicit Ephesinus. Et quidem prima radix, nempe Pater, non est ab alio, & est principium, sed non producit Spiritum in quantum est Pater, sed in quantum habet vim spiratiuam, & hanc communicat Filio: & secundum hoc ita est fons Spiritus sancti Filius, sicut Pater: nec sunt duo fontes, sed vnus, quia fons secundum quod est fons Spiritus sancti, communicatur Filio: & hoc dicit Athanasius, quod Filius est fons Spiritus: sed ideo dicitur prima radix Pater, quia hoc, quod Filius sit fons Spiritus, habet a Patre. Postea intrauit materiam Concilii Nicæni, & dicit, quod ibi fuit quidam episcopus, qui respondit cuidam philosopho, quod Spiritus procedit a Patre, & est proprius Filii. Quid sequitur ex isto? Concedimus, quod procedit a Patre, & est proprius Filii: & omnes doctores concludunt, quod procedat a Filio, quia est Spiritus Filii: & si produxisset librum originale, diffusius fuisset responsum. Quidquid sit in facto, ego relinquo, quia non vidi originalia. Legatis in Græco.

AND. Legit in Græco.

PROV.

ANNO
CHRISTI
1439.

PROV. Deinde adducit auctoritatem Cyrilli in epistola quæ incipit, ^a Exultent; ad ostendendum, quod non sit ex Filio, cum dicit, Meminimus dicentis: *Noli transgredi terminos*, &c. Postea dicit, quod illi patres, scilicet Nicæni, loquebantur de Spiritu sancto qui ex Patre procedit, & non est alienus a Filio secundum vnius essentia rationem. Et per hoc volebat dicere, quod Cyrillus intendebat hoc, quod esset solum vnius essentia cum Filio, & quod nullo modo esset ab eo. Sed patenter supra ostendi, quod vbiicumque dicitur, Non est alienus secundum vnius essentia rationem, semper subdit, quod Filius est principium Spiritus sancti: & patet, quia subdit duas auctoritates Pauli apostoli ^b. Postea adducit Ephesinus auctoritatem Basilii dicentis, Spiritum accommodatum Filio secundum naturam. De hac accommodatione non potui reperire ^c, quia idem est dicere, esse accommodatum, quod datum Filio, quia Pater producendo naturaliter Filium, dedit ei vt ex eo procederet Spiritus sanctus. Postea adducit auctoritatem Basilii contra Sabellianos, vbi dicebat, Proprietatem familiaritatis Spiritus ad Patrem intelligo, cum ait, *Ex Patre procedit*. proprietatem Spiritus ad Filium, cum audio, *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius*. Hæc auctoritas de qua fecit festum, clarissimum est fundamentum opinionis nostræ. Hæc enim est proprietas vna, per quam Filius est secundus a Patre: & quoniam voluit intelligere proprietatem Spiritus ad Filium, secundum quam originatur, fundavit se in isto, in quo omnes sancti doctores fundant, quia dicitur Spiritus Christi. Ita dicunt omnes doctores vestri, ita quod hæc auctoritas facit pro nobis: & do illi gratias, quia ex ore suo protulit veritatem huius rei. Postea introducit Concilium Constantinopolitanum, dicens ibi dictum ^d, quod ex Patre procedit, & quod Gregorius sanctus Theologus ibi fuit, & quod dixerunt processionem a Patre, & non a Filio: & non adducit aliquam probationem, & ea facilitate qua dixit, eadem facilitate contemnitur, quia non valet consequentia ^e, vt probavi multis auctoritatibus. Adducit demum tertium Concilium, & dicit, quod patres huius Concilii postquam fecerunt diffinitionem, nulli alii licere aliam fidem proferre, & dixerunt etiam in

Concil. Tom. 33.

Kkk

^a Alii, Exultentur caeli, & exultet terra. in act. Conc. Ephes. par. 1. cap. 34. in fine.

^b Vocatis Spiritum sanctum, Spiritum Iesu, & Spiritum Christi. Sed auctoritatem aliam evidentem sancti Cyrilli de processione a Filio vide supra ex eiusdem epist. Cum Saluator noster: hac eadem collat. ^c Quid scilicet voluerit velle inferre Ephesinus, qui hac auctoritatem supra collatione 20. retulerat. Rom. 8.

^d In simbolo Concilii.

^e Scilicet, dicitur esse a Patre, ergo non est a Filio.

^a Conc. Ephes.
par. 2. act. 6.

^b Scilicet Charisius exposuerat, & denuntiauerat Synodo hereses Nestorii, eumque acculaerat.
^c pro, id est.

^d In actis eiusdem Concil. Ephes. par. 2. act. 6. in symbolo deprauato.

^e Supra hac eadem collat. Cyrilli scilicet, in actis Conc. Ephes. par. 1. cap. 26.
^f Quae scilicet sunt in eadem Cyrilli epist.

^g In actis Concil. Ephes. par. 1. cap. 1. anathematismo 9. in eius declaratione.

fine^a symboli hoc modo: Si qui deprehensi fuerint aut episcopi, aut clerici, aut laici credentes, vel dicentes quae scripta sunt in expositione quam protulit Charisius^b presbyter de incarnatione filii Dei, siue scelerata & peruersa Nestorii dogmata quae subscripta sunt, sententiae huius sanctae Synodi subiaceat. Modo ipse fecit mirabilem intelligentiam, & dixit, quod hic non fit mentio nisi de iis quae ibi scripta sunt in symbolo transformato de incarnatione Filii Dei, & non fit mentio de illa particula quae erat in eodem symbolo, quae dicit^d, quod Spiritus non est Filius, neque a Filio essentiam habens. Inde intulit, quod propter hoc illi patres non reprobauerunt illam particulam. Si bene legisset epistolam illam, Cum Saluator noster, quam ego allegaui^e, bene intellexisset, quomodo illa particula fuit reprobata. Item si intellexisset nonum capitulum de duodecim^f, quod est contra illam particulam, cum dixit: Si quis autem Christum, quasi ex aliena virtute glorificatum a Spiritu, & ab ipso accipere, posse operari contra immundos Spiritus, & adimplere in homines miracula, & non magis proprium eius Spiritum dicit, per quem operatus est, anathema sit. Hoc dicebat Cyrillus contra illud symboli Nestoriani, quod Spiritus sanctus non habebat essentiam a Filio; quia dicebat, quod aliena virtute operabatur: & hoc ponitur in decimatertia blasphemia & decimasexta, & propter hoc sic apertissime damnatur talis opinio. Et hoc declarat ipsemet Cyrillus in apologia contra Theodoretum & contra orientales, qui impugnabant sua capitula; & in ipsamet Synodo Ephesina, vbi fuit dictum, vt declaret quomodo intelligebat, ita dixit^g, in breui exponens nonum caput: Homo factus vnigenitus Dei Filius permansit & Deus. & subdit: Omnia existens quae & Pater, praeter solum Patrem esse, & proprium habens Spiritum qui ex ipso est, & substantialiter sibi innatus operabatur diuina miracula. Declaratque omnia quae Patris sunt, in Filio esse, & quod habet proprium Spiritum qui ex ipso est, & substantialiter sibi innatus. & subdit: Qui autem dicunt illum tamquam vnum hominem Spiritus operatione clarificatum, eaque non vt diuina & propria, sed tamquam aliena vtentem, nec non quasi Spiritus gratia in caelum esse assumptum, anathemati subiaceant. Legatis.

AND. Fuit lecta auctoritas in Græco.

PROV. Modo quia hic pater Ephesinus allegavit, quod sanctus Cyrillus fecerat quamdam reuocationem, allegans epistolam Theodoret: dico, quod magis debemus credere Cyrillo, qui dicit, quod hoc illi opponebatur, in epistola quam scribit ad Acacium^a in fine, vbi sic ait: Si qua vero epistola a quibusdam circumferatur, tamquam a me de iis quæ Ephesi acta sunt, iam dolente & poenitentiam agente perscripta, id quoque contemnatur: nam per gratiam Saluatoris nostri sana mente sumus, neque vsu rationis excidimus. Et sic remansit pura veritas Cyrilli, prout ipse exposuerat, & prout illa sancta œcumenica Synodus^b approbauerat. Modo nil plus pridie produxit Ephesinus, & sic non habeo aliis satisfacere, ex quo satis aperte & manifeste ex testimoniis scripturæ primo, deinde ex testimoniis tantorum patrum Latinorum & Græcorum qui fuerunt eodem tempore, & vno & eodem Spiritu illuminati; & quod mirandum est in hoc negotio, quod illamet fundamenta quæ habuerunt doctores Latini, illamet patres Græci acceperunt, ad probandum quod Spiritus esset a Filio, vt a Patre, & quod sunt vnum principium: alias poneretur distinctio in natura inter Patrem & Filium, vt Ariani volebant. Et quia quantum Spiritus sanctus concessit, & vt ab hominibus quales sumus, apertissime declarata sunt omnia, in quibus Ephesinus dubitabat, non restat aliud, nisi quod dixit Marcianus imperator in Calchedonenſi Concilio, vbi visa & declarata veritate per Leonem papam & totum Concilium Calchedonenſe, quod eam suscepit, ita dixit: ^cExtremæ dementiæ est, in medio & perspicuo die commentitium lumen quærere. Quisquis post veritatem repertam aliquid vltius discutit, mendacium quærit. Nobis videtur, quod hæc testimonia rem claram faciant, & si vellemus cum facibus diem clarificare, esset ridiculosum. Ita videtur, vltra hanc tantam lucem & tam clarum sensum doctorum allegatorum, nil aliud sit quam mendacium quærere. Quidquid tamen sit, pro mea satisfactione functus officio meo in hac responsione, si quid restat apud aliquem ex vobis, quod sit dubitatum, & velitis declarari, offero me & omnes patres meos

^a In act. Conc. Ephes. par. 1. cap. 15.

^b In supra citata declaratione in actis Conc. Ephes. par. 1. cap. 1. anathemat. 9.

^c In suo edicto ad fauorem eiusdē Conc. in actis Conc. par. 1. cap. 1.

paratos ad satisfaciendum de ea veritate quam tenemus.

AND. His expositis, silentium maximum perceptum est locutione finita: fuerat namque, loquente magistro, ad eius verba quisque intentus. Deinde his verbis expositis, metropolitanus Russiae hæc inquit.

R V S S. Quoniam reuerendus pater in his duabus congregationibus multa dixit & diuersa, & a diuersis patribus orientalibus Græcis & Latinis, ac amplificando potius: nam vestra paternitas vere locuta est in iis congregationibus per octo horas, & plus, ex quibus omnibus partim erant auctoritates sanctorum, quæ pro nobis faciebant, partim occidentalium communium: quoniam anima nostra accipit per sensus, præsertim ea quæ dicuntur, per auditum; ea autem quæ prolixè dicuntur, adducunt satietatem ad aures, quia infesta est auribus satietas verborum, quia sensus auditus læditur, nec potest omnia transmittere ad animum, quæ prolixè dicuntur. Propterea volumus, quæ per vestram paternitatem dicta sunt, vt in scriptis etiam detis nobis eas auctoritates allegatas in iis libris qui fuerunt Latinorum, vt partim nos possimus conferre cum auctoritatibus quæ apud nos reperiuntur, partim vt legamus in iis libris, vt melius intelligamus. Postea circa ista omnia diligenter considerabimus.

CARD. Non currit solus in stadio, tamquam velit currere sine disputante: imo desiderauissemus, vt Ephesinus principaliter adfuisset, & nescimus qua de causa abfuerit. Iustum fuisset, sicut prouincialis eum audiuit, ita ipse audisset: & licet dominus Ephesinus non fuerit, fuerunt alii socii, & dominus prouincialis dixit se paratum satisfacere, & rogauit imperatorem, vt venire faceret Ephesinum. Quantum ad exhibitionem scripturarum, vestri scriptores scripserunt, & nostri: cum dominus Ephesinus dixit, prouincialis non distulit responsionem propter habendas copias. Ita rogamus, vt responsio non differatur: & si scriptores non plene recollegerunt omnia quæ nolumus occultare, sed dicere super tecta, sumus contenti, vt nostri scriptores & vestri conueniant in sancto Francisco, & portabimus libros, & faciemus fieri copiam de libris nostris: & rogamus vt ipsi veniant, & die Iouis vos expectamus.

ANNO
CHRISTI
1439.

Omissis disputationibus, exhortante summo pontifice, dogma processionis Spiritus sancti a Patre & Filio describitur in cedula. Interim patriarcha Græcorum moritur. Et cum sint potius tractatus de modo terminandi & perficiendi unionem, quam disputationes publicæ, ideo non amplius in collationes diuiduntur.

AND. His dissoluta est diei illius conuentio. Superue- Num. II.
nerunt festa paschalia, visumque est sancto illo tempore disciplinis solennitatibusve vacandum. In octauis paschalibus cum per Latinos fieret instantia, vt ad proposita responderent, instatum est per Græcos, vt media tractarentur concordia: si hoc responsionum defectu actum sit, cogitet qui intelligit. Cœpit imperator singulis quasi diebus cum papa & certis aliis conuenire, multaue adinuicem tractata sunt, quæ quia publice gesta non fuerunt, non aliter referenda duxi. Audio ab his qui interfuere, multa quæ fuisse media, vt absque eorum rubore componeretur conclusio processus Spiritus sancti, vt non viderentur a veritate absque colore alieni fuisse. Sic per totum Aprilis & Maii menses decursum est. Spe igitur concludendæ rei, diffidentibus Latinis patribus, summus pontifex vt Latinorum honori consulere, vt cunctis innotesceret, Græcorum causâ a veritatis cognitione discessum, separatim ab imperatore, metropolitans aliosve Græcorum patres conuocauit prima Iunii, patribusve Latinis & Græcis præsentibus, his verbis allocutus est.

PAPA. Venerabiles fratres, & dilecti filii, tot animi corporisve angustiis, terræ marisve per vestrum quemlibet laboribus superatis, non consideratis sumptibus, pro veritatis indagine, dimissa ciuitate nostra Bononiensi, ad Ferrariensè Concilium personaliter me contuli, ne quid deficeret; solennibusque ibidem disputationibus habitis, necessitate suadente, transalpinas ad has Tusciæ partes media hieme, vt sanctum hoc vnionis opus complementum suscipere, venimus, ætatis, temporis, intemperiei, viarum discrimini minime parcentes, hoc demum in loco de processione Spiritus sancti grauibus piisve disputationibus auditis, miramur, quod res hæc conclusionem non capiat. Adducta est statera de scripturis sanctis, vt iusto libramine, priuatis seclusis affectibus, veritatem inda-

garemus, & sanctis auctoritatibus auditis, nulla per vos orientales patres respondebantur; nec veritatem sole clarius apparentem profiteremini? Oro per misericordiam Dei nostri, ut veritatem amplectamini, & si facere desistitis, ut causas detis, quare hoc non intenditis facere. Requiro vos presentibus & specialiter requisitis notariis nostris, offerentes nos, ut si quid responsionum offertis, illas benignissime audire, & eisdem clarissima per nos dare responsa.

AND. Aderant specialiter accersiti die illa protonotariorum plurimi, tantaque verbis iis Græcorum astantium mentibus reuerentia allata extitit, ut ad lacrymas plurimos deuotione venisse conspectum sit: Russiæque metropolita respondit vice orientalium patrum hoc modo.

R v s s. Beatissime pater, audiuius quæ sanctitas vestra protulit: cogitabimus, ut veritati locus sit, & sanctitati vestræ responsum dabimus.

AND. De proximo irrepfit fama, quod plurimi ex Græcorum patribus, qui hæcenus nil expresserant, ad imperatorem Græcorum & patriarcham accesserunt, asserentes quod postquam Deus veritatem eisdem patefecerat, illam sequi intendebant, & quod patriarcha gratissime eisdem hoc optasse professus est. Erat namque pater venerabilis ad hanc sanctam vnionem summe intentus. Dietim in publicum prodibant patrum sententiæ, sicque imperatore id pariter asserente, omnium orientalium consensu (Ephesino quodam, quem disputantem adduximus, excepto) accersitis Latinorum patribus in hanc cedula pariter conuenere.

QUONIAM in hoc sacro œcumenico Concilio, omnipotentis Dei gratia, nos Latini Græcique conuenimus pro sancta vnione inter nos assumenda, & studiose inuicem curauimus, ut articulus ille de processione Spiritus sancti magna cum diligentia & assidua inquisitione discuteretur; prolatis vero testimoniis de diuinis scripturis, plurimisque auctoritatibus sanctorum doctorum orientalium & occidentalium, aliquibus quidem ex Patre & Filio, quibusdam vero ex Patre per Filium procedere di-

ANNO
CHRISTI
1459.

centibus Spiritum sanctum, & eandem intelligentiam aspicientibus omnibus sub vocabulis variis: Nos Græci affirmavimus, hoc quod dicimus, Spiritum sanctum ex Patre procedere, non hac mente dicere, ut excludamus Filium; sed quoniam opinati sumus Latinos dicere Spiritum sanctum ex Patre & Filio, tamquam a duobus principiis & duabus spirationibus, abstinuimus a dicendo, quod Spiritus sanctus procedat ex Patre & Filio. Nos autem Latini asserimus, quod id quod dicimus, Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere, non hac mente dicimus, ut excludamus Patrem, ut non sit principium totius deitatis, Filii scilicet, & Spiritus sancti; aut quod id quod Spiritus sanctus procedit a Filio, Filius a Patre non habeat; siue quod duo asseramus esse principia, siue duas spirationes, sed quod vnum tantum asserimus esse principium, vnicamque spirationem Spiritus sancti, prout hactenus asseruimus.

IN nomine igitur sanctæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus sancti, in hac demum sancta ac Deo cara vnione eodem sensu, eadem anima, eademque mente nos Latini & Græci consentimus & concordamus, ut ab omnibus Christianis hæc fidei veritas credatur & suscipiatur: & ita profiteamur, quod Spiritus sanctus ex Patre & Filio æternaliter est, & ex utroque æternaliter tamquam ab vno principio & vnica spiratione procedit. Declarantes, quod id quod sacri doctores & patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, Filium quoque esse secundum Græcos quidem causam, secundum Latinos vero principium subsistentiæ Spiritus sancti, sicut & Patrem; & quoniam omnia quæ patris sunt, Pater ipse vnigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse patrem: hoc ipsum quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre æternaliter habet, a quo etiam æternaliter genitus est. Lætata sunt illico omnium mentes, rem iam desperatam & naufragam ad salutarem veritatis portum deductam, de miraculo peruenisse prædicantes. Et vere non hominis opus extitit, sed veritatis ipsius. Anhelabat pater ille antiquus aspectu venerabilis, infirmitate grauatus, Constantinopo-

litanus patriarcha, vt sessio fieret; sed aderant ex nostris plures, qui asserebant, & primatus papæ, & consecrationis, & purgatorii dogmata esse primitus profitenda per orientales patres, antequam ad ecclesiæ Romanæ vnionem accederent. Sicque hac difficultate stante, decima Iunii post solis occasum dolor maximus patriarcham inuasit, quo demum ea nocte decessit: sed ante obitum cedula præmissæ processionis Spiritus sancti propria manu subscripta, ac regulæ sanctæ matris ecclesiæ se humiliter submittens, interiit. Tot tantaque visa sunt totalis reductionis signa, quod summus pontifex, sacro Latinorum approbante cœtu, ad ecclesiæ communionem admissum iniunxerit, magnoque cum prælatorum comitatu, astantibus singulis reuerendissimis cardinalibus, Græcis eorum more sacris indutis vestibus funeralibus, decantantibus in ecclesia sanctæ Mariæ Nouellæ, vbi palatium apostolicum est, sepultura conditus est, vbi & hi versus tumulo adscripti sunt.

*Ecclesiæ antistes fueram qui magnus Eoæ,
Hic iaceo magnus religione Ioseph.
Hoc vnum optaram, miro inflammatus amore,
Vnus vt Europæ cultus & vna fides.
Italiam petii, sædus percussimus vnum;
Iunctaque Romanæ est me duce Graia fides.
Nec mora; decubui, nunc me Florentia seruat,
Qua nunc Concilium floruit vrbe sacrum.
Felix, qui tanto donarer munere viuens,
Qui morerer voti compos & ipse mei.*

Dogma de purgatorio, quod etiam auctoritatibus sanctorum patrum comprobatur, describitur in cedula.

Num. III.

Mors hæc rem longius protulit, volentibus Latinis patribus dubia cuncta discuti: vtque purgatorii doctrinam reciperent, 1º repetierunt eisdem cedulam quamdam Ferrariæ eisdem deductam, purgatorii normas continentem.

LVD. Quis erat tenor cedula?

AND. Continebat sanctorum dicta, quibus purgatorium esse probabatur. Cedula continentia hæc extitit.

Deputa-

ANNO
CHRISTI
1439.

Deputatorum cedula de purgatorio.

QVIA circa purgatorii veritatem Romanae ecclesiae fidei exprimi postulastis, in his scriptis breuiter respondemus, quod si vere poenitentes^a in caritate decesserint antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint & omisissis, eorum animae post mortem purgantur, & ad poenas huiusmodi releuandas profunt eis fidelium viuorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynae, & alia pietatis officia. Illorum autem animae, quae post sacrum baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illae etiam quae post contractam peccati maculam, vel in suis manentes corporibus, vel eidem exuta, prout superius dictum est, sunt purgatae, in caelum mox recipiuntur. Illorum autem animae, qui in mortali actuali peccato, vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendunt, poenis tamen disparibus puniendae: & nihilo minus in die iudicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt reddituri de factis propriis rationem.

^a In hanc cedula, vt dicit Andreas, conuenerant Ferrariae, postmodum fuit firmata Florentiae, vt istum hic subdit, & tandem inserta diffinitioni, vt suo loco.

DICENTIBVS autem illis nobis hoc non esse dogma orientalis ecclesiae, & audire cupientibus, quibus auctoritatibus sacrae scripturae ac sanctorum patrum, quae ratione hoc esset fundatum: nos deputati^b iuxta doctrinam beati Petri, parati reddere rationem omni petenti de ea quae in nobis est fide, vestrae postulationi quae principaliter de purgatorio esse videtur, hac satisfactionis responsione pro nunc satisfaciendum duximus: si autem de reliquis per nos modo dictis rationem poposceritis, illis etiam, Spiritu sancto nos instruente, cum caritate fraterna satisfacere curabimus. Declaratur primo ex veteri testamento in libro Machabaeorum, vbi dicitur: *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt a peccatis soluantur.* Sed pro defunctis qui sunt in paradiso, non opus est orare, quia nullo indigent; nec pro illis qui sunt in inferno, quia a peccatis solui aut purgari non possunt. Sunt igitur aliqui, qui post hanc vitam mundanam a peccatis solui aut purgari possunt. Declaratur per id quod in nouo testamento Saluator inquit Marci tertio: Si quis

^b Dixit collat. I. Andreas fuisse deputatos sexdecim ex Latinis, & alios ex Graecis, qui de his dogmatibus disputarent. In quibus igitur conuenerant, vt tunc fuerat descriptum in cedula, modo recenset Andreas.

^{2.} Mach. 6. 12.

blasphemauerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei nec in hoc sæculo, neque in futuro. Et per Apostolum Paulum in prima epistola ad Corinthios capite 3. vbi tractat de ædificante supra fundamentum, quod est Christus, aurum & argentum, lapides preciosos, lignum, fenum, stipulam; & tunc subdit: *Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur; & vniuscuiusque opus quale fuerit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Hæc verba de igne purgante in futuro sæculo intelligi, seipsa declarant. Nam verbum illud, *saluus erit, sic tamen quasi per ignem*, de damnatis intelligi non potest, quia salui non erunt, sed in æternum peribunt. Neque de illis intelligitur, qui sine peccato decedunt, quia de his proxime dixerat, *Si cuius opus manserit*: qui autem sine peccato moriuntur, nihil est, propter quod eos igne purgari oporteat. Restat, vt de aliis purgandis in alia vita, qui tamen saluabuntur, intelligatur. Declaratur etiam consuetudine vniuersalis ecclesiæ, tam Latinæ quam Græcæ, quæ pro defunctis orat, & orare semper consueuit: cuius oratio profecto inutilis est, si purgatorium post mortem non ponatur: frustra enim oraret pro his qui iam sunt in gloria cælesti, vel in inferno. Auctoritate * sacræ Romanæ ecclesiæ doctæ & instructæ a beatis apostolis Petro & Paulo, & ab aliis sanctis pontificibus, qui innumeris fulserunt miraculis, quosque tam Græci quam Latini vt sanctos venerantur: ipsa sic semper tenuit, sic semper prædicauit, etiam tempore vnionis, & continue ante præsens exortum dissidium. Declaratur huius fidei nostræ veritas auctoritate sanctorum patrum Græcorum & Latinorum, & præsertim illorum, quos tam Latini quam Græci in vniuersali Concilio^b receperunt, cuius verba sunt hæc: Sequimur per omnia sanctos patres & doctores ecclesiæ Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Ioannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Leonem, Proculum; & suscipimus omnia quæ de recta fide & condemnatione hæreticorum exposuerunt. Ex aliquibus ipsorum doctorum, & quibusdam aliis pauca quidem breuitatis cau-

1. Cor. 3.

* Scilicet declaratur auctoritate.

^b In Concil. Lateran. sub Martino papa I. consultatione 5. Concil. no. 2. par. 2. edit. Colonien. & in 5. Synod. act. 1. eodem tomo.

ANNO
CHRISTO
1497.

ANNO
CHRISTI
1419.

sa referemus. In primis beatus Augustinus in homilia de igne purgatorio exponens verba illa Apostoli; *Fundamentum nemo aliud potest ponere, quam id quod positum est, quod est Christus Iesus*; ita ait: Multi sunt qui lectionem istam male intelligentes, falsa securitate se decipiunt, dum credunt, quod etsi super fundamentum Christi crimina capitalia ædificant, peccata ipsa per ignem transitorium possint purgari, & ipsi postea ad perpetuam gloriam peruenire. Intellectus iste, fratres carissimi, corrigendus est, quia ipsi se seducunt, qui sic de talibus blandiuntur. Illo enim transitorio igne, de quo dicit Apostolus; *Ipsæ autem saluus erit; sic tamen quasi per ignem*; non capitalia, sed minuta peccata purgantur. Idem Augustinus in vigesimoprimo libro de ciuitate Dei, capite decimotertio: Temporarias pœnas alii in hac vita tantum, alii post mortem, alii & nunc, & tunc, verumtamen ante iudicium illud seuerissimum nouissimumque patiuntur. Et in vigesimo capite inquit: Non enim de quibusdam veraciter diceretur, quod non eis remitteretur neque in hoc sæculo, neque in futuro, nisi essent, quibus etsi non in isto, tamen remitteretur in futuro. Idem Augustinus in libro de cura pro mortuis gerenda: *Cap. 2.* In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium, sed etsi nusquam in scripturis veteribus omnino legeretur, non parua est vniuersæ ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas, vbi in precibus sacerdotum, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet commendatio mortuorum. Idem Augustinus in eodem libro: Non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana & catholica societate defunctis, etiam tacitis nominibus eorum sub generali commemoratione suscipit ecclesia: vt quibus ad ista desunt parentes aut filii, aut quicumque cognati vel amici, ab vna his exhibeantur pia matre communi. Idem Augustinus in libro de pœnitentia dicit: Purgandus est igne purgatorio ille, qui in aliud sæculum distulit fructum conuersionis: hic autem ignis etsi æternus non sit, miro tamen modo est grauis. Idem Augustinus in quodam sermone de mortuis, qui incipit, Omnium Christianorum spes: Itaque, inquit, orationibus ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis quæ pro eo-

Concil. Tom. 33.

LII ij

rum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis misericorditer agatur a Domino. Hoc enim a patribus traditum vniuersa obseruat ecclesia, vt pro eis qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur. (Et infra) Non enim ambigendum est ista prodesse defunctis, qui ita vixerint ante mortem, vt possint hæc eis esse vtilia post mortem. Sanctus quoque Ambrosius exponens verbum illud, *Ipse autem erit saluus*: per hoc enim dicit illum saluum futurum, sed penas ignis passurum, vt per ignem purgatus fiat saluus. Beatus Gregorius summus pontifex in quarto libro dialogi sui plurima exempla ac reuelationes adducit, probans esse purgatorium, & inter alia inquit: *Qualis hic quisque egreditur, talis in iudicio præsentatur*; sed tamen de quibusdam culpis esse ante iudicium purgationis ignem, credendum est, pro eo quod veritas dicit: *Quia si quis in Spiritum sanctum blasphemias dixerit, neque in hoc sæculo, neque in futuro remittetur ei.* In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in futuro posse relaxari. Quod enim de vno negatur, continenter intellectu patet, quia de quibusdam conceditur. Magnus etiam sanctus Basilius in orationibus, quæ in vigilia Pentecostes genu flexo dici solent, in vna earum, cuius principium est, *Æternaliter fluens, &c.* sic pro mortuis orat: *Exaudi nos deprecantes, & da requiem animabus seruorum tuorum prædormientium patrum nostrorum ac fratrum, ceterorumque cognatorum, omniumque in fide nobis coniunctorum.* In sequenti vero oratione, cuius principium illud est, *Domine omnipotens Deus pater misericordiæ*, sic ait: *Exaudi nos humiles supplicantes, & supplices tuos deprecantes, & da requiem animabus seruorum tuorum prædormientium in loco lucido, in loco viuenti, in loco refectiois, vnde dolor, gemitus & mœstitia longe depulsa sunt, & statue spiritus eorum in tabernaculis iustorum pacis atque remissionis.* In exequiis vero mortuorum ^b sic vice defuncti Saluatorem alloquitur: *Imago sum tuæ ineffabilis gloriæ, quamuis feram stigmata peccatorum figmenti tui, Domine miserere, & pietate tua me purga, patriamque desideratam largire, & iterum paradisi curiæ restitue.* Gregorius

* 1. Cor. cap. 3.

Matth. 12.

^b Habentur
in Eucol.

ANNO
CHRISTI
1439.

Nyssenius in dialogo ^a de consolatione & statu animarum post mortem, introducit loquentem & dicentem Marcinam sororem beati Basilii & suam, post ipsius Basilii mortem. Neque enim odio aut vindictæ studio dolores infert Deus his qui male viuendo peccauerunt. (& infra) Et quemadmodum immixtam auro materiam expurgantes per ignem, non solum quod adulterinum est, igne liquefaciunt, sed purum quoque aurum necessario vna cum mixto liquatur, & remanet quod purum est, adulterino consumpto: ita cum vitiositas purgatorio igne assumitur, necesse est vt anima quæ cum vitiositate est vnita, in igne sit, donec insita omnis adulterina materia atque commixtio auferatur igne consumpta. Idem Gregorius in libro quem de his qui dormiunt, scripsit, sic inquit: " Donec igitur potestas manet in natura, vt euitetur malum, hoc adinuenit diuina sapientia consilium, vt hominem sineret in his quæ vellet, vt gustatis quæ concupierat malis, expertusque ex quibus commutasset, sponte ad priorem beatitudinem ac desideranter accurreret, vitiosum atque omne irrationabile veluti graue pondus excutiens, siue in vita præsentis summa intentione ac sapientia expurgatus, siue post huius vitæ per ignis purgatorii expiationem. Huius etiam purgatorii, de quo nunc nobis est sermo, testis est etiam beatus Dionysius in capite 7. ecclesiasticæ hierarchiæ, vbi de oratione loquens, quam hierarcha super eo qui dormit, facit, ita dicit: Postea procedens diuinus hierarcha orationem sanctam facit super eo qui dormit. (& infra) Oratione quidem precatur hierarcha diuinam bonitatem, vt dimittat ei qui dormit, omnia quæ per humanam fragilitatem peccauit, & deducat ipsum in lucem & regionem viuentium, in sinus Abraham, Isaac & Iacob, vnde aufugit dolor, tristitia & gemitus. Accedat & sanctus Epiphanius. Contra Arium blasphemantem ^b, ac inter cetera dicentem, non prodesse defunctorum recitamus nomina, quid eo vtilius potuit fieri, quid eo opportunius & mirabilius, quam si credamus, qui hic stamus, eos qui hinc defuncti sunt, viuere, neque eorum interiisse substantiam, sed esse eos & apud Dominum viuere, vt religiosum dogma prædicetur, quo qui pro

^a Alias, de anima & resurrectione, ultra medium.

^b Adversus hæres. lib. 1. hæres. 77. alias 77. num. 7.

fratribus precantur, bene de illis sperare constat, quasi peregre profectis. Nam & iustorum memoriam facimus, & peccatorum: peccatorum quidem, vt iis a Domino misericordiam imploremus. Consonat prædictis Damascenus in quodam sermone de suffragiis mortuorum dicens: Mysteriorum conscii discipuli Saluatoris & sacri apostoli, in tremendis & viuificis mysteriis memoriam fieri eorum qui fideliter dormierunt, sanxerunt. Quem refert beatus

^a Quæst. 1.

Thomas in 4. sentent. dist. 45. ^a in primo art. Septimo declaratur præfata veritas ratione diuinæ iustitiæ, quæ nihil inordinate factum impunitum relinquit, & quæ iuxta mensuram delicti, vt inquit scriptura, ^b constituit plagarum modum. Cum ergo pro quolibet peccato homo certam mereatur pœnam, si hanc in isto sæculo non soluit, exigit diuinæ iustitiæ ordo, vt in futuro satisfaciat; alioquin impunitus remaneret: sed si quis contritus decedat, huiusmodi pœnam non satisfaciet in inferno, iuxta illud:

^b Deuteron. 25.

Peccator in quacumque hora ingemuerit, vita viuet, & non morietur. quod de vita æternali intelligere oportet.

^c Ezechiel 33. Sic a doctoribus passim citatur hic locus, & intelligitur de gemitu contritionis. Ceterum iuxta vulgaram & lxx. legitur, *In quacumque die conuersus fuerit ab impietate sua.*

In cælo autem pœnam peccatorum non soluet, quia repugnat munditiæ cælesti: domus enim est gaudii, non luctus. Restat igitur, vt præter paradysum & infernum aliquis alius assignetur locus, in quo huiusmodi exerceatur purgatio: qua facta cum desinit esse pollutus & inquinatus, mundusque efficiatur, ad Deum videndum & fruendum confestim euolat.

AND. Hæc fuere quæ de purgatorio prodita sunt, diebus certis adinuicem discussa, & Græci cum Latinis patribus in hanc cedula conuenere.

Si vere pœnitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint & de omnis, eorum animas pœnis purgatoriis post mortem purgari, & ad pœnas huiusmodi releuandas prodesse eis fidelium viuorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus fieri consueuerunt, secundum ecclesiæ instituta; illorumque animas, qui post sacrum baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurserunt, illas etiam quæ post contractam peccati maculam,

ANNO
CHRISTI
1459.

vel in suis corporibus, vel eisdem exuta, prout superius dictum est, sunt purgata, in caelum mox recipi, & intruere clare ipsum Deum trinum & vnum, sicuti est, licet alius alio perfectius: illorum autem animas, qui in mortali actuali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.

Describitur in cedulis, licitam fuisse additionem, Filioque; & corpus Christi siue in azymo, siue in fermentato pane triticeo veraciter confici. Item summum pontificem esse totius ecclesiae caput, & de ordine patriarcharum.

AND. **E**T quia circa primatum & consecrationem sanctissimi corporis Domini nostri Iesu Christi supererant dubia; & quia quaestio, an licuerit Romanae ecclesiae addere symbolo, in suspenso remanserat, Latini patres cedulas has Graecis exhibuere. Prima huius continentia fuerat. Num. IV.

Diffinimus insuper, explanationem verborum illorum, Filioque, veritatis declarandae gratia, imminente tunc temporis necessitate, licite & rationabiliter symbolo fuisse appositam. Alia vero hoc modo erat.

Item in azymo, siue fermentato pane triticeo corpus Domini veraciter confici; sacerdotes quoque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, iuxta suae Latinae vel orientalis ecclesiae consuetudinem.

Item diffinimus, sanctam apostolicam sedem, & Romanum pontificem successorem esse beati Petri verticis apostolorum, & verum Christi vicarium, & totius ecclesiae caput, & omnium Christianorum patrem & doctorem existere, & in vniuersum orbem tenere primatum, & ipsi in beato Petro pascendi, regendi & gubernandi vniuersalem ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur.

Renouando insuper etiam ordinem traditum a Canonibus ceterorum venerabilium patriarcharum^a, vt pa-

^a Hae & alia omnia contenta in cedula probantur infra.

triarcha Constantinopolitanus secundus sit post summum papam Romanum; tertius vero Alexandrinus, quartus vero Antiochenus, & quintus Hierosolymitanus, saluis videlicet priuilegiis & iuribus eorum.

ANNO
CHRISTI
1459.

Quibus exhibitis, quia Græci nondum aliqua super his vltimis conclusionibus a nostris senserant, petiere, vt aliqua super his audirent: deputataque extitit dies, quo die summo pontifice, imperatore Græcorum, ceterisque orientalis occidentalisque ecclesiæ patribus præsentibus, deputati fuere duo, qui super his Romanæ ecclesiæ præcepta breui sermone differerent, prouincialis videlicet, & dominus de Turrecremata, ambo Prædicatores fratres.

AND. Venit prouincialis, & dominus de Turrecremata; & incepit prouincialis hoc modo.

PROV. De mandato sanctitatis vestræ, pater beatissime, & benedictione, quia iubet sanctitas vestra circa materiam articuli primatus vt dicam aliqua propter terminos & verba propofita in cedula nostra, vt veritas domino imperatori pateat, & alii patres ecclesiæ orientalis manifeste intelligant, quod omnia illa verba sunt bene fundata in sanctis doctoribus ab ecclesia approbatis, secundum ordinem illorum verborum, breuibus pertransibo. Sic in fine cedulæ dicebatur: Item similiter diffinimus sanctam sedem apostolicam, & Romanum pontificem successorem Petri. Ista est prima conditio quæ attribuitur Romano pontifici, quia est successor Petri: & quod sibi succedat eadem auctoritate & potestate, sic ostendimus. Nam in septima Synodo œcumenica, prout recitatur in 2. act. illius Synodi, sanctissimus^{us} Hadrianus papa scribens Constantino & Irenæ, & toti Concilio^o, in ea decretali epistola, vbi inducit plures auctoritates pro veneratione imaginum, inter cetera de beato Petro sic ait: Nam ipse princeps apostolorum beatus Petrus, qui primitus apostolicæ sedi præfedit, sui apostolatus principatum, ac pastoralis curæ, successoribus suis qui in sua sanctissima sede perenniter sessuri sunt, dereliquit, quibus auctoritatis potestatem, quemadmodum a Salvatore nostro Domino Deo ei concessa est, ipse quoque contulit, ac tradidit diuino iussu successoribus suis. Ex quibus verbis euidentissime constat

Roma-

* In quo fuit
lecta & appro-
bata, vt infra
dicit etiam
cardinalis.

ANNO
CHRISTI
1439.

Romanum pontificem in eadem potestate Petro succedere, quam & Petrus a Salvatore nostro habuit: & quia multæ aliæ auctoritates circa hoc possent adduci, & in probandis reliquis particulis adducentur, venio ad aliam partem. Sequitur in cedula, Et vicarium Iesu Christi. Hæc particula in se non habet difficultatem, quia clarum est, quod ille dicitur vicarius alterius, qui super aliqua recipit vices eius. Quod Petrus remanserit vice Christi in terris, patet ex euangeliiis. Nam Christus fundavit ecclesiam super Petrum, quæ super se fundata erat, eique contulit claves vniuersaliter & generaliter, cum dixit: *Tibi dabo* Matth. 16. *claves regni cælorum*: neminem exceptit de toto mundo. Ex quo sequitur, quod ipse potest omnes ligare, & a nemine ligari. Cum ergo vices Christi habeat in terris, sequitur quod est vicarius: & cum Romanus pontifex succedat in eadem potestate, vt probatum est, sequitur quod est vicarius Christi. Ideo dicunt sancti doctores, quod Christus Petrum principem apostolorum constituit, vt ecclesia ipsa vnum principalem Christi haberet vicarium, ad quem vniuersa membra recurrerent, si forte inter se dissentirent. Quod si diuersa capita essent, vnitatis vinculum rumperetur. Sequitur in cedula, totius ecclesiæ caput, omnium Christianorum patrem & magistrum existere. Quod sit caput, ita ostenditur, & primo ex ipsa vniuersali Synodo, ^a vbi dicitur in epistola Hadriani ad ipsum Tarasium, quod ipse omnium ecclesiarum caput existit. Et probatur ex quarta Synodo Calchedonenſi in principio Synodi, cum Paschasius ^b & Lucentius aperirent mandatum eorum, dixerunt: Leo episcopus omnium ecclesiarum. Item in epistola orbiculari, quam totum Concilium Calchedonenſe misit ad papam Leonem, in qua petebant confirmationem eorum quæ facta fuerant in Concilio Calchedonenſi, inter cetera de beato Leone ita ^c dicunt: Dominicam agnitionem, quam nobis Dominus Saluator contulit ad salutem, vt catenam auream venientem vsque ad nos conseruasti, vocis beati Petri omnibus interpretis constitutus, quibus tu vt caput membris præpositus præeras, per eos qui tuam continebant vicem, rectum ^d consilium demonstrans. Item circa finem ipsius epistolæ ita dicunt: Rogamus igitur, & tuis decretis honora no-

^a A. B. 1.

^b Alias Paschasius.

^c Concil. Calched. par. 1. c. 1.

strum iudicium, & vt nos consensum bonum capiti contulimus, ita & caput filiis, quod decet, adimpleat. Multæ sunt aliæ auctoritates & plura testimonia sanctorum, quibus hoc idem probari potest: sed breuitatis causa, cum hæc probatio concludat, ad alia venio: ex qua auctoritate etiam probatum constat manifeste, quod vniuersalis ecclesia quomodocumque consideretur, siue sit congregata, vel non, habet rationem membrorum respectu Romani pontificis, & semper Romanus pontifex præponitur vt caput membris. Quod sit omnium Christianorum pater, patet ex Calchedonensi Concilio. Nam circa finem quinti actus, cum debebat diffinitio concludi, cum magnificentissimi iudices instarent pro parte Marciani imperatoris, vt additio^a fieret secundum sententiam Leonis papæ, omnes episcopi Synodi clamarunt, acceptare quod dixerant iudices^b, & quod iuxta omnium nostrum patris Leonis sententiam terminatam hoc tenemus, & credimus, quod patris omnium Leonis confessio habet. Et sic habetur, quod si erat pater omnium existentium in Calchedonensi Concilio, quod sit pater omnium, quia ibidem omnes Christiani repræsentabantur. Sequitur in cedula, Atque eidem^c.

^a Duae scilicet naturas esse in Christo inconfuse & inseparabiliter.
^b Iudicium verba hæc fuere: Ergo addite diffinitioni secundum iudicium patris nostri Leonis.

^c Præcipue transibat ad probationem verborum cedulæ & ipsi in beato Petro pascendi, &c. & omittit probationem verborum Christianorum doctorum, &c. Ideo cardin. supplet.
^d Act. 4.

AND. Interposuit cardinalis sancti Angeli, quod Chrysostomus super Ioannem 29. capite, super verbo, *Sequere me*, dicit sic: Si autem quis dicat, quomodo Iacobus accepit solus Hierosolymam, dicam quod istum Petrum orbis ordinauit doctorem. Et in epistola Agathonis synodica recitata in sexto Concilio^d dicitur, quod præcepto Dei habet papa imbuere & instruere populum Christianum: & in eadem auctoritate Ioannis Chrysostomi sequitur, quod magna prædixit Dominus, & orbem Petro commisit, & martyrium prædixit.

PROV. Quod ipse sit doctor totius fidei Christianæ, ostenditur ex epistola beatissimi Athanasii synodica, quam scripsit beatissimo Felici papæ, dicens sic inter cetera: Tu profanarum hæresum atque omnium imperitorum depositor, vt princeps & doctor & caput omnis orthodoxæ doctrinæ & immaculatæ fidei existis. Cum omnes Christiani in fide conueniant & conuenire debeant, ipse ponitur doctor immaculatæ fidei propter priuilegium

ANNO
CHRISTI
1439.

concessum Petro. Sequitur in cedula: Atque ipsi in beato Petro principe apostolorum.

CARD. Omisit, in orbemque omnem tenere primatum.

PROV. Verum est, & hoc ostenditur. Nam in epistola Hadriani ad Tarasium patriarcham Constantinopolitanum inter cetera, vt patet in septimæ Synodi actione secunda, sic dicitur: Sedes beati Petri in omnem terrarum orbem primatum tenens refulget, & caput omnium ecclesiarum Christi existit. Item sanctus Anacletus papa ordinatus presbyter a sancto Petro, in tertia sua decretali epistola, quam omnibus episcopis scripsit, inter cetera sic dicit: Sacrosancta Romana ecclesia non ab apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro primatum obtinuit, sicut ipse Petro dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.* Matth. 16. Ex quo patet, quod sedes Petri & Romana ecclesia dicitur habere primatum ratione Petri, quia per hoc quod dixit, *Tu es Petrus, &c.* omnis potestas deriuatur in sedem apostolicam per successionem sedentium in ea. Hoc idem sanctus Iulius papa scribens omnibus orientalibus episcopis, ita inter cetera dicit ^a: Dudum a sanctis apostolis successoribusque eorum in antiquis decretis statutum est, & sancta apostolica ecclesia tenet (& loquitur de Synodo Nicæna, cum ipse fuerit secundus a Siluestro ^b papa) non deberi Concilia celebrari absque sententia Romani pontificis, neque episcopos damnari, quoniam sanctam Romanam ecclesiam omnium ecclesiarum primatum habere voluerunt, vt Dominus ait: vnde omnibus ecclesiis prelata est. Multæ alia sunt auctoritates, sed causa breuitatis hæc sufficiant. Sequitur in cedula (atque eidem sedi, & Romano pontifici in beato principe apostolorum, pascendi, regendi & gubernandi vniuersalem ecclesiam, plenariam traditam esse potestatem.) Et quia primus punctus est, pascendi, hoc probatur verbis euangelii ita clare, vt non egeat probatione. Nam cum actus pascendi sit actus pastoris, cum Petro fuit dictum, *Pasce* Ioan. 21 *oues meas*, absolute factus est pastor omnium ouium: & non distinguens has oues & alias, intelligitur vniuersas ei esse commissas. Cum ergo & apostoli sint oues Christi, nullus est, qui insignitus nomine Christiano possit di-

Concil. Tom. 33.

Mmm ij

^a Epist. 1. tom. 1. Concil. Coloniæ, impress. in Iulio, quam iterum refert infra prouinc.

^b Cuius tempore celebrata fuit Synod. Nic. & sic Iulius habebat plenam notitiam Canon. Synod. Nic. de quibus supra diximus.

ANNO
CHRISTI
1419.

cere, quod non sit constitutus sub prælatura Romani pontificis: & vt sequamur formam, volo probare duobus testimoniis. Beatus Hadrianus in epistola^a ad Tarasium sic ait: Vnde & idem beatus Petrus voce Domini pascens ecclesiam, nil dissolutum reliquit, sed tenuit semper & retinet principatum. Cum dicat, Nil dissolutum^b reliquit, sequitur, quod sub eius cura omnes includere voluit. Item in sexta Synodo in epistola Agathonis papæ, quam Constantinopolim destinavit^c, in qua tomum fidei scripsit contra errorem eorum qui dicebant vnam voluntatem & operationem in Christo, in ea ponit multa dicta sanctorum, quæ extensis manibus a tota Synodo cum multa veneratione suscepta est; inter cetera sic dicit: Adnitate præsidio beati Petri apostoli, qui spirituales oues ecclesiæ ab ipso redemptore omnium æterna dispositione pascendas suscepit, hæc apostolica eius ecclesia nunquam ad aliquam erroris partem deuiavit, cuius auctoritatis sanctionem, vtpote apostolorum omnium principis, semper catholica Christi ecclesia, & omnes vniuersales Synodi amplexæ sunt, omnesque venerabiles patres apostolicam eius doctrinam amplexi. (& infra.) Hæc est spiritualis mater vestri imperii apostolica ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam a tramite apostolicæ veritatis nunquam errabunda succubuit, sed vt a principio Christianæ fidei percepit ab apostolorum Christi principibus, illibata sine tenus manet, secundum ipsius Saluatoris pollicitationem, quam suorum apostolorum principi in sacris euangeliiis factus est, dicens: *Petre, Petre, ecce satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, vt non deficiat fides tua; & tu conuersus confirma fratres tuos.* Consideret tua clementia, quod ipse Dominus, cuius fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit: quod apostolicos pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum. Et in hac auctoritate tria manifeste asseruntur. Primo, quod pascere omnes oues sit commissum Petro & successoribus suis. Secundo, quod sedes apostolica nunquam in aliqua erroris parte depressa est, sed semper mansit immaculata in fide. Tertio, quod tanta est eius auctoritas, quod

^a Paulo supra citata.^b Id est nullam omnem liberam abire permisit, sed omnes sub eius cura inclusit.^c Sexta Synodus act. 4. Constantin. Heracl. & Tiberio Augustis incipit, Consideranti.

Luc. 22.

ANNO
CHRISTI
1459.

vniuersalis ecclesia & vniuersa Synodi semper fideliter
secuta sunt, & patres catholici semper susceperunt eius
apostolicam doctrinam, & quod illa verba (vt non defi-
ciat fides tua) intelliguntur de sede apostolica, & quod sit
immunis ab hæresi, atque confirmationem omnium fra-
trum titubantium in fide ad ipsam sedem & Romanum
pontificem pertinere. Sequitur in particula, pascendi,
conuocandi. Quod actus hic spectet ad Romanum pon-
tificem, probatur etiam ex illa epistola orbiculari, quam
patres Calchedonensis^a Concilii scripserunt ad Leonem
papam, in qua sic dicunt, loquentes de Dioscoro & de
malis per eum factis: Super hæc omnia, & furorem suum
contra eum qui custodiam vineæ suscepit, dicimus de san-
ctitate vestra, excommunicationem excogitauit, qui cor-
pus ecclesiæ adunare festinauit. Si ergo Leo, qui erat suc-
cessor Petri, habebat adunare corpus ecclesiæ, ergo con-
uenienter ponitur, conuocandi. Sequitur verbum, regen-
di. Ista particula satis constat ex dictis, quia si est princeps,
si est caput, si est rector; ergo habet regere, quia ad pasto-
rem spectat regere oues. Et breuitatis causa vnum testi-
monium deduco Anacleti papæ, qui^b in epistola sic dicit:
Apostolica sedes caput ecclesiæ, vt præfatum est, a Domi-
no & non ab alio instituta: & sicut cardine ostium regitur,
sic huius sanctæ sedis apostolicæ auctoritate omnes eccle-
siæ, Domino disponente, reguntur. Et Leo papa in ser-
mone suæ consecrationis^c sic dicit de hoc regimine: De
toto mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniuersarum gen-
tium vocationi, & omnibus apostolis, cunctisque eccle-
siæ patribus præponatur, vt quamuis in Christi ecclesia
multi sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen Pe-
trus regat, quos principaliter regit Christus. Magnum &
mirabile, dilectissimi, huic viro consortium potentia suæ
tribuit diuina dignatio, & si quid cum eo commune cete-
ris voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit,
quidquid aliis non negauit. Sequitur particula, guber-
nandi. Quod hoc spectet ad Romanum pontificem, pro-
bo testimonio Leonis in alio sermone^d, vbi sic dicit: Soli-
ditas illius fidei quæ in apostolorum principe est laudata,
perpetua est: & sicut permanet quod in Christo Petrus
credidit, ita manet quod in Petro Christus instituit. Et in-

^a In act. Conc.
Calched. part.
3. cap. 2. de hoc
iterum infra
num. 7.

^b Epist. 3.

^c Serm. 4.

^d Serm. 1.

fra. Manet ergo dispositio veritatis, & beatus Petrus in accepta fortitudine perseuerans, suscepta ecclesie gubernacula non reliquit. Et sic accepto gubernaculo per Petrum, & Romano pontifici eius successori actus gubernationis verissime competit. Sequitur (plenam potestatem traditam) quod hoc sit, apparet verbo Saluatoris Matth. 16. quoad omnes casus indiffinite & vniuersaliter, cum dixit: *Tibi dabo clauis; & quodcumque ligaueris.* Quod etiam sit plena quoad territoria & omnia supposita, apparet ex illo: *Pasce oues meas.* Ex quo nullum suppositum excipitur, & vno testimonio deduco. Nam beatissimus Leo in sermone allegato ita sequitur^a: Sic enim praeter ceteris Petrus ordinatus est, vt dum petra dicitur, dum fundamentum pronuntiatur, dum regni caelorum ianitor constituitur, dum ligandorum soluendorumque arbiter, mansura etiam in caelis iudiciorum suorum defunctione praeficitur, qualis ipsi cum Christo esset societas per ipsa appellationum eius mysteria nosceremus, qui nunc plenius & potentius ea quae sibi commissa sunt, peragit, & omnes partes officiorum atque curarum in ipso, per quem est glorificatus, exequitur. Si quid ergo a nobis recte agitur recteque discernitur, illius est operum atque meritorum, cuius in sede sua viuit potestas, & excellit auctoritas. Si ergo in sede apostolica sedet potestas, apparet quod est super omnes ecclesias. Et haec sufficiant quoad declarationem verborum.

Ioan. 21.

* Serm. 1.

^b Scilicet in 7. Synodo act. 1. ex versione Anastasii. Nam intentio card. est ostendere quod epistola Hadriani papae & Agathonis, e quibus supra desumpterat auctoritates prouinc. fuerant approbatae in Synodo orientali-bus.

CARD. Lectis epistolis Hadriani, legati sedis apostolicae in Synodo^b dixerunt: Dicat Synodus, si admittit epistolas patris senioris Romani pontificis. Responderunt: Sequimur, & admittimus literas. Deinde nominati 330. episcopi, qui in Synodo erant, approbant dictas epistolas Hadriani papae, quae non fuerunt solum Hadriani, sed synodicae orientalium, quoniam in illis est diffinitio vniuersalis Concilii: & ita de epistolis Agathonis, quae fuerunt approbatae in sexta Synodo.

PAPA. Dicatis.

AND. Incepit dominus de Turrecremata, qui secundus erat dispositus ad loquendum, hoc modo.

ANNO
CHRISTI
1459.

Ioannes de Turrecremata demonstrat confici eucharistiæ sacramentum, siue in azymo, siue in fermentato; affirmans verius esse, Christum Dominum consecrasset in azymo. Item verbis Saluatoris tamquam forma, & non aliis fieri transubstantiationem.

TURRECR. **I**VSSV & ordinatione sanctitatis vestræ, pa- Num. V.

ter beatissime, dicam aliqua cum benedictione sanctitatis vestræ. De duabus particulis locuturus, quæ respiciunt sacramentum sacratissimæ eucharistiæ, paucissimis agam, quia omnia quæ dicturus sum, ita puto clarissima omnibus catholicis Christianis, vt non expediat abundare sermone. Prima particula est, quod in azymo conficitur sacramentum, & in fermentato. In eucharistia duo sunt consideranda. Primum est materia, secundum est forma consecrationis: & de istis duobus duæ sunt particulae situatae in præsentî cedula. Prima particula respicit materiam, cum dicit in azymo pane, siue in fermentato. In hac particula duo sunt consideranda. Primum id quod est necessarium. Secundum quod est conueniens, siue rationabile: quoniam est necessarium in materia huius sacramenti, quod panis sit de frumento. Quod autem sit azymus vel fermentatus, non est de necessitate sacramenti, sed in vtroque potest consecrari: & ideo dicitur in cedula, Siue in azymo, siue in fermentato. Ideo beatus Gregorius loquitur in regesto, quod Romana ecclesia offert azymos, quia corpus sumpsit purissimum ex virgine: aliquæ autem ecclesiæ offerunt fermentatum, quia verbum carne indutum sicut fermentum vnitur farinæ. Et circa primum considerandum, quod de necessitate sacramenti non est, quod sit in azymo, vel in fermentato. Secundo consideranda est conuenientia, siue rationabilitas: & secundum hoc dicimus, quod maiori conuenientia, siue rationabilitate conficitur in azymo, quam in fermentato: & ideo hanc consuetudinem tenuit & obseruauit sancta Romana ecclesia. Hæc conuenientia colligitur ex tribus. Primo ex institutione vel practica Christi, quia Christus legitur in azymo confecisse: quod ex quatuor ostendam. Ista quatuor sunt quatuor auctoritates sacri euangelii. Prima est, quam habet Matthæus 16. capite, vbi dicitur. *Prima die*

azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum, dicentes: Vbi vis paremus tibi paſcha? Sed in die azymorum non fiebat fermentum in domibus Hebræorum. Ita habet lex Exodi 12. capite, vbi dicitur, quod in die azymorum non fit fermentum in domibus. Secunda auctoritas eſt Marci euangeliftæ capite 14. vbi dicitur ſic: *Prima autem die azymorum, cum Iudæi paſcha immolabant, dicunt diſcipuli ad Ieſum: Vbi vis paremus tibi, vt manduces paſcha?* Ex hac inferitur prout ex prima. Tertia auctoritas eſt Lucæ 22. vbi pariter loquitur: *Venit autem dies azymorum, in quo neceſſe erat occidi paſcha: & miſit duos, ſcilicet Petrum & Ioannem, dicens: Euntes parate, vt manducemus paſcha.* Sed dies in qua erat neceſſe occidi paſcha, erat luna 14. in qua cum azymis panibus agnus erat manducandus. Ergo manifeſte ſequitur, quod Chriſtus in ſua cœna pane azymo uſus eſt, & in eodem confecit quem comedit. Ergo ſequitur, quod in pane azymo confecit hoc ſanctiſſimum ſacramentum. Quarta auctoritas eſt Matthæi 5. *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere.* Sed lex ſingulariſſima veteris legis fuit, quod agnus paſchalis comederetur cum pane azymo, vt clare apparet capite 12. libri Exodi. Ergo ſequitur, quod Chriſtus qui legem impleuit uſque ad mortem, in azymis confecerit. Nec dicendum, nec a quocumque fideli credendum, quod beatus euangelifta Ioannes ſit ^ſ contrarius tribus euangeliftis: abſit hoc ab omni corde Chriſtiano, quod in ſacra ſcriptura ponatur falſum: & inconuenientiſſimum eſſet dicere, quod diſcipuli Chriſti, quibus ait; *Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus ſanctus qui loquitur in vobis;* inueniantur contraria dixiſſe in materia Saluatoris. Eſt ergo dicendum, quod in eodem ſenſu & ſententia euangeliftæ loquuntur, & ſolum ad aliquam vocis differentiam referendum ſit, ſi aliqua videatur differentia, quæ tamen nulla eſt, cum ex intelligentia dicentis ſumenda ſit virtus ſermonis. Eſt ergo ſciendum pro concordia euangeliftarum, quod dies feſtus, quem beatus Ioannes dixit, erat luna 15. & eſt notandum, quod conſuetudo erat legis antiquæ, quod in ſolennitatibus computabatur a vefpera ad vefperas diei feſti. Igitur vefpera decimæ quartæ lunæ, in qua Chriſtus comedit agnum & confecit ſacramentum, computabatur cum die feſto. Quando ergo dicit,

Math. 10.

ANNO
CHRISTI
1457.

ANNO
CHRISTI
1439.

cit, *Ante diem festum*, hoc modo intelligenda est intelligentia Ioannis cum aliis; quod beatus Ioannes vesperam, in qua fiebat coena, dixit quod erat ante diem festum, propter distinctionem dierum naturalium. Alii vero euangelistae eandem vesperam vocant primam diem azymorum, propter ritum Iudaicae solennitatis, qui diem festum a vesperis sumunt: & ita patet, quod nulla est diuersitas, nulla contrarietas inter hos doctores ecclesiae & organa Spiritus sancti. Haec videntur mihi sufficere, nisi quis aliqua diceret contraria, quibus paratus sum respondere: ego enim, vt dixi, paucis contentus sum. Consequenter venio ad particulam, vbi tangitur forma consecrationis, vbi dicitur sic in cedula, quod verba Saluatoris in confectione ¹⁶ prolata, &c. Pauca dicam, quia neminem credo virum sapientem, qui non debeat suscipere haec verba plena fide. Tangam auctoritatem ad probandum, quod per sola verba Saluatoris conficiatur corpus Christi. Prima auctoritas est beatissimi Chrysostomi in sermone de prodicione, post multa verba sic dicit ^a: Non est homo, qui proposita munera facit corpus, sed qui pro nobis crucifixus est Christus, figuram adimplens: adstat sacerdos verba proferens, sed virtus & gratia est Christus. *Hoc est corpus meum*, inquit. Hoc verbum proposita munera transmutat: & sicut vox illa quae dixit, *Crescite & multiplicamini, & replete terram*, &c. semel quidem dicta per omne tempus fit, opere nostram naturam corroborans ad procreationem filiorum: ita & vox, *Hoc est corpus meum*: gratia vero & potentia Dei est, quae omnia operatur. Secunda est auctoritas Damasceni Graeci sapientis viri, qui in quarto sententiarum suarum dicit, quod sola operatione Spiritus sancti ex pane fit caro Christi. Si ergo sola operatione Spiritus formae sacramentales sunt operatiuae, ergo solius Dei verbum potest hoc facere. Item ad hoc videtur facere, quod Dionysius Graecus ponit in fine ecclesiasticae hierarchiae, qui dicit, in consummativis formis sacramentorum virtutes operatiuas esse ex Deo. Quarta est auctoritas beatissimi Ambrosii in vtraque ecclesia clarissimi, qui in libro de sacramentis ^b ita loquitur: Panis in altari visitatus est ante verba sacramentorum; vbi accedit consecratio, ex pane fit caro Christi.

^a Homilia de prodicione Iude, quem locum vide etiam apud Arcudium in concordia ecclesiarum orientalis & occidentalis lib. 3. cap. 31. Luc. 22.

Gen. 1.

^b Lib. 4. de sacram. cap. 4. tom. 4.



Et infra quærens cuius verbis & sermonibus fit consecratio, respondet, quod Domini nostri Iesu Christi. Nam, inquit, per reliqua verba quæ dicuntur, laus Deo offertur. Oratione petitur pro populo, pro regibus, pro ceteris: vbi autem sacramentum conficitur, non sermonibus suis vtitur sacerdos, sed sermonibus Iesu Christi. Hæc Ambrosius. Item beatissimus Augustinus in libro de Trinitate sic inquit: Non omnis panis, sed qui accipit benedictionem Christi, corpus Christi efficitur. Nunc venio ad aliquas rationes, quæ videntur dare conuenientiam cedulæ nostræ. Illius verbis sacramentum conficitur, cuius virtute panis transubstantiatur in corpus Christi. Ista propositio est manifesta verbis beatissimi Dionysii, qui, vt supra iam tetigi, dicit quod in verbis sacramentorum sunt virtutes operatiuæ: sed impossibile est, quod virtute cuiuscumque creaturæ fiat transubstantiatio de pane in corpus Christi: igitur impossibile est, quod ex aliis verbis quam Saluatoris fiat transubstantiatio. Secundo arguo sic. Christus instituit hoc sacramentum aut perfectum, aut imperfectum: non est autem dicendum, quod imperfectum fecerit, Deuteronomii 32. *Dei perfecta sunt opera*: perfectio autem consistit in materia & forma: ergo Christus conficiendo sacramentum dedit perfectam materiam & perfectam formam. Vterius forma verborum perficit sacramentum, sicut dicimus in naturalibus, quod forma perficit materiam: ita forma sacramentalis cadens super debita materia, perficit sacramentum. Vnde beatus Augustinus dicit, quod forma verborum accedit ad elementum, & perficitur sacramentum: sed verba nullius sancti possunt hoc facere, sed Christi solum: ergo sequitur de necessitate, quod in solius verbis Saluatoris perficiatur sacramentum. Quarto ita arguo. Christus & apostoli qua forma vsi sunt in hoc sacramento? Clarum est quod non verbis in orationibus Basilii, sed verbis Christi, qui hanc imitationem & exemplum reliquit. Ergo solius Saluatoris verbis nos debemus vti. Item quinto sic arguo. Vnitas ecclesiæ necessario fundatur in vnitate fidei & vnitate sacramentorum, in iis quæ sunt de substantia sacramenti. Hanc non potest mutare ecclesia, nec totus mundus, nisi Dominus mandaret: ergo necesse est,

ANNO
CERLITI
149.

ANNO
CHRISTI
1459.

vt omnes fideles conueniant in hoc sacramento, quod est consummatiuum omnium sacramentorum, vt dicit Dionysius. Ergo necessarium est, quod eadem verba substantialia sint apud omnes, quoniam addens aliqua ad verba Christi tamquam de substantia consecrationis, iam mutat speciem formæ ecclesiæ: & sicut vnitas addita numero mutat speciem numeri, ita quælibet additio, si dicatur quod est de substantia formæ, facit mutationem formæ; & sic non erit vnitas in sacramento. Notanter dico de substantia, quia varietas in aliquibus verbis, quæ non creduntur de substantia, non diceretur scindere vnitatem sacramentorum. Sic est de forma baptismi inter nos & vos, quia quidquid est de substantia baptismi, vos & nos habemus. Ita necesse est, vt in nostra cedula, si debeat dari doctrina omnibus fidelibus, & maxime simplicibus qui possent dubitare, an alia verba sanctorum quæ apponuntur, sint verba de substantia consecrationis, vel non, quod ponatur hoc, quod verbis Saluatoris fit consecratio: nec aliquis debet moueri per hoc, quod quis dicit, quod missale est scriptum manu magni sancti. Aliud est dicere, hoc missale est vnus sancti; & aliud, quod sanctus dicit, quod omnibus contentis in hoc missali conficiatur corpus Christi. Non est credendum beatum Basilium, nec alium doctorem dixisse, quod aliis verbis quam Christi conficiatur corpus, quantumcumque sunt multæ orationes & preces ibi. Hoc pro nunc sufficiat.

AND. His dictis, papa his verbis vsus est.

Summus pontifex hortatur Græcos ad unionem.

PAPA. **A**VDIVISTIS quæ dicta sunt ad complacenciam vestram, vobis morem gerendo, non autem vt credamus, vos omnes non ea tenere, vt nos, specialiter in consecratione corporis Domini nostri Iesu Christi, quod perficitur verbis Christi. Nec est credendum, quod aliquis doctor possit dare formam ex verbis suis consecrationi corporis Christi. Viri sanctissimi ^a non aliter crediderunt quam alii, qui omnes tenuerunt, quod solis verbis Domini conficeretur: nec propter hoc ponitur in illa cedula, vt credamus, id vos non credere, sed propter rusticos. Materiam azymorum audistis, sicut dictum

^a Qui scilicet composuerit orationes precedentes & subsequentes consecrationis verba.

Concil. Tom. 33.

Nnn ij

est: non negamus etiam in fermentato posse confici; & quamuis multi orientales faciant in fermentato, & aliqui in azymis, ecclesia Romana facit in azymis: nec dubitamus, quod Dominus noster Iesus Christus sicut nos concordavit in materia processione, quod convenimus etiam in ista. Ad perfectionem igitur huius operis videtur necessarium, ut super illis quatuor articulis fiat diffinitio, scilicet de processione Spiritus sancti, de azymo & fermentato, de primatu Romani pontificis, de materia purgatorii: & quia inducta est materia additionis, licet suffecisset solum discuti veritatem, & diu in Ferraria de hoc disputatum est, an illa verba, Filioque, essent ^a addita, & si licuerit. In omnibus disputationibus introductis excommunicationem super ecclesiam Romanam propter additionem: & licet multa fuerunt clare responsa, & ultimo per cardinalem sanctae Sabinae; visum est, quod illa verba fuerint per viam declarationis adiecta, & iustum propter hoc ad perfectionem sanctae unionis videtur, ut fiat diffinitio, quod licite fuerit factum, & servatur honor per hoc Romanae ecclesiae, & servatur honor vester. Et ideo rogamus caritates vestras, ut hanc cedulam cum omni caritate factam placeat acceptare, quia in his non debet attendi nisi honor Christi; & causabit gratiam & concordiam & salutem omnium animarum Christianorum, & speramus per ista, quod Dominus noster Iesus Christus dabit voluntatem Christianis, ut relevent illos Christianos qui diu ab infidelibus fuerunt oppressi. Ex hac cedula fiet sessio, & postea cum Dei gratia possumus suam excellentiam ^b expedire. Dedimus cedulam Russiae, Nicarno & Mitylenensi, qui eam retinuerunt: si est publicata omnibus, placet: si non, faciemus omnibus publicari: & ea visa, speramus quod omnes erunt contentissimi & in eadem opinione nobiscum; & intendimus in omnibus conservare honorem vestrum, sicut nostrum.

^a id est, An essent additio, vel solum declaratio eius quod implicite continebatur, & verum hoc fuerit licitum Romanae ecclesiae.

^b Alloquitur imperatorem.

AND. Imperator annuit praelatis & nobilibus, ut ad eum accederent, & adinvicem collocuti sunt diu: deinde imperator.

IMPER. Beatissime pater, audiimus quae dicta sunt ab illis patribus, quae ipsi nimis prolixè dixerunt, quibus

ANNO
CHRISTI
1439.

ANNO
CHRISTI
1459.

respondere necessarium non videtur, nec in præsentī, nec in futurum.

PAPA. Nec fuit dictum, vt responderetur.

IMPER. Quia si vellemus particulariter respondere, egeremus tanto tempore, sicut in præterito: & tempus non permittit mihi stare hic, quia statui recedere cum istis galeis, quia videtur tempus meæ absentiā satis sufficiens, etiam cum credam, quod Deus dederit mihi gratiam fecisse id propter quod veni. Ideo patres sciunt, quomodo reuerendissimus dominus cardinalis vna cum certis ad me venerunt, satisque conuenienter respondi: nihilo minus hoc quod requisitum est a sanctitate vestra, potero cum meis consulere; licet non videatur aliter posse deliberari, quam quod dixerim. Hæc pro nunc videntur sufficere; considerabimus deinde cum nostris. Quod autem tradatur illa cedula mihi, non videtur mihi necesse tradi aliam cedulam, quia sum bene de illa informatus, de quibus contentis in illa cedula locuti sumus cum cardinalibus, & habuimus informationem a nostris metropolitānis.

PAPA. Illa dicta sunt, non vt fiat responsio, & placet mihi vt non respondeatur. Quod festinetis ad recessum cum galeis, etiam placet mihi, expedita materia vnionis ecclesie: & ipse^a bene dicit, quod multum stetit, imo nimis. Et sciatis, & omnes sciunt, quod ita voluistis. Ante recessum galearum est mensis cum dimidio, & sunt tresdecim menses, quod potuissent se expediuisse vt nunc; & nos desideramus vt reuertatur cum pace & gloria: & placet vt consideret cum suis super illa cedula, & si quid voluerint dicere, respondebitur, & compatior sibi & aliis antiquis^b.

^a Conuertit sermonē modo ad imperatorem, modo ad alios præsentēs.

^b id est, senioribus.

IMPER. Video quædam mutata a dictis nunc, & per reuerendissimos dominos cardinales: & miror, quod credatis nos velle suscipere illam cedulam sine discussione: & quoniam sanctitas vestra dixit, quod vsque ad recessum galearum est terminus vnus mensis cum dimidio, si videtur quod fieret aliqua prouisio mei recessus ad Venetias, satis esset: sed si non fiat hæc prouisio, omnino videtur aliter prouidendum.

PAPA. Etiam non facta vnione, nisi nobilem de domo

Nnn iij

mea ad parandas galeas : & dixit metropolitus , sperans omnia parata , & cum gloria & honore posse redire. Po-
testis dare operam ad cedula[m] , exinde nil deficiet.

IMPER. Tempus est nimium breue , cum prouiso facta per sanctitatem vestram non videatur sufficiens , quia forte ille nobilis non iuit plene munitus : tamen hæc sufficiant.

Prouincialis primatum & potestatem papæ doctissime demonstrat : agitur de conuocandis Conciliis , & de priuilegio Constantinopolitanæ ecclesiæ post Romanam.

Num. VII. AND. **D**IE vigesima Iunii facta est præcedenti more conuentio , vbi cunctis conuentis , imperatore dempto , cœpit dominus cardinalis.

CARD. Sanctissimus dominus noster dixit , vt exponerem causam huius congregationis. Pridie , reuerendissimi domini mei , dominus Firmanus & Venetiarum , & alii patres fuerunt ad dominum imperatorem , & inter alia sua serenitas dixit , & per se , & verbo domini Nicæni , quod volebat informari de quibusdam facientibus ad potestatem Romani pontificis : quia hora erat tarda , & oportebat habere consilium sanctissimi domini nostri ; ideo respondimus , quod oportebat papæ referri. Sanctissimus dominus noster habito consilio cardinalium & Concilii , deliberauit , vt hoc mane imperator & alii audirent ; & ideo prouincialis incipiet dicere.

PROV. Multum carum haberet sanctissimus dominus noster , vt imperator adesset : ex quo non est , rogamus vt patienter audiatis , & audita referatis eidem , quia re vera omnia dicuntur cum magna caritate & ad optimum finem. De mandato & benedictione sanctissimi domini nostri , quia pridem cum reuerendissimi domini cardinales & alii deputati coram domino imperatore essent , super terminis positus in materia primatus sedis apostolicæ , petiit serenitas sua habere declarationem : & vt declaratio possit esse amplior , commisit domino Nicæno , vt quædam moueret in contrarium , quibus responderemus. Et quia more disputantium res hæc est introducta , iuxta propositionem , respondebo ad motiua paternitatis suæ , ex quibus apparebit declaratio eorum quæ imperator pete-

ANNO
CHRISTI
1439.

bat : & si post mea verba paternitas sua quid voluerit replicare, semper nostra ecclesia & ego paratus ero declarare. Sed antequam incipiam responsum primi motui, oportet inter paternitatem suam & me vnum firmare fundamentum, ex quo patebit solutio ad vnum suum quaesitum : & quia hoc est principaliter ponendum, ideo primo pono. Pridie declarando particulas positas in illo capitulo^a, ego adduxi testimonia ex certis epistolis quae fuerunt directae a sede apostolica, & fuerunt susceptae cum magna veneratione ab illis oecumenicis Conciliis : inter quas tres singulariter epistolae fuerunt adductae, epistola Calchedonenensis Synodi ad papam Leonem, & epistola Hadriani papae directae illis imperatoribus, quae fuit recitata in Concilio ; & alia beatissimi Agathonis papae : & quoad has epistolas ita dicebatur^b, quod illa quae nos inducebamus ex his epistolis, videbantur verba per modum honoris posita, & videbantur, vt non facerent auctoritatem quam voluissent ; sed voluissent videre Canones aut capitula Conciliorum, ex quibus ea possent colligi quae ponuntur in cedula & capitulo primatus. Ad hanc objectionem sic respondeo, quod epistolae illae decretales, cum omnes essent epistolae synodicae, non minorem habent auctoritatem quam ipsi Canones : imo videntur habere maiorem auctoritatem, quia bene nouit paternitas tua, quod in omnibus oecumenicis Synodis, in quibus factae sunt definitiones fidei, antequam definitiones promulgarentur, oportebat adducere testimonia & epistolas sanctorum, ex quibus patres Conciliorum promulgabant definitiones & Canones ; ita quod id definitionum sumebatur ex virtute testimoniorum. Et scitis, quod in tertia Synodo pro soliditate definitionis, in epistolis Cyrilli, & illorum duodecim capitulorum, inter alios sanctos ibi adductos, adducitur epistola beati Iulii papae missa orientalibus, & Felicis papae epistola : & si non fuissent auctoritatis vt Canones, non fuissent adductae : & cum essent epistolae synodicae^c, erant maioris auctoritatis quam Canones qui fiebant in Synodis, quia Spiritus sanctus operatur in ecclesia Romana, vt in aliis Conciliis. Epistola Agathonis papae fuit magnae auctoritatis, & fuit necesse, vt ipse declararet auctoritate sedis apostolicae, vt daret au-

^a Scilicet cedula, de quibus epistolis etiam paulo ante dictum est.

^b Scilicet a Graecis.

^c Scilicet Romanae Synodi, vt statim infra.

toritatem confirmationis fidei quam fecerant: imo tantæ fuit auctoritatis, quod Synodus sexta œcumenica non fuit ausa addere ad diffinitionem factam in Synodo Romana. Et hoc apparet ex epistola^a, quam vos Ferrariæ sapius allegastis, vbi dans potestatem suis apocriphariis dicit: Licentiam dedimus & auctoritatem apud tranquillissimum vestrum imperium, dum iusserit tua clementia, simpliciter satisfaciendi in quantum dumtaxat eis iniunctum est, vt nil præsumant augere, mutare, vel minuere; sed traditionem apostolicæ sedis, vt a prædecessoribus pontificibus instituta est, simpliciter enarrare. Modo hanc commissionem dedit: ergo apparet, quod diffinitio facta in sexta Synodo fuit primo diffinita in Synodo Romana, vt habetis in epistola Agathonis, quæ nomine suo & totius Synodi scribebatur. Apparet etiam quod Martinus papa^b in sua Synodo præcedenti, quam integram habemus, primo damnauerat, qui tenerent vnâ voluntatem in Christo. Cum ergo hæc epistola sit tantæ auctoritatis, quod habeat diffinitionem contentam, nullo modo dicendum est, quod sit minoris auctoritatis quam Canones: imo ex hac epistola multa colliguntur testimonia.

^a Relata in 6.
Synodo act. 4.

^b Conc. Lateran. sub Martino I. Concilior. tom. 2. par. 2. edition. Coloniens.

^c Sexta Synodo act. 18. in sermone reclamationis ad Cōstant. imp. post melium.

Dicit tota Synodus Constantinopolitana^c: Summus concertabat nobiscum apostolorum princeps; ipsius enim imitatore & sedis successorem habuimus fautorem, & diuini sacramenti mysterium per literas illustrantem. Confessionem tibi a Deo scriptam illa antiqua Romana ciuitas obtulit, & dogmatum diem a vespertinis partibus extulit: charta & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur. Ergo dicendum est, quod decretales epistolæ hæc quæ in tantis negotiis fidei missæ sunt, veritatem contineant, & quod nil contineant falsitatis, & sint magnæ auctoritatis. Et vt finem faciam, quia paternitas tua est mecum concors, vt quæ dicimus ex testimonio sanctorum magnorum patrum confirmemus, duo testimonia magna adduco ad ostendendum quod decretales epistolæ quæ a summis pontificibus diuersis temporibus scriptæ sunt, venerabiliter susceptæ sunt, & quod a principio nascentis ecclesiæ vsque ad Nicænum Concilium, & Clementis & Anacleti, & vsque ad illa tempora fuerunt, quorum auctoritas tanta est, vt cuiuslibet sancti doctoris.

ANNO
CHRISTI
1439.

doctoris; & ideo Augustinus in libro de doctrina Christiana sic dicit: In canonicis scripturis, catholicarum ecclesiarum quamplurimum diuinarum scripturarum solertissimus indagator auctoritatem sequatur, inter quas sane illæ epistolæ sunt, quas sedes apostolica habere, & ab ea alii meruerunt accipere. Ita quod hæc epistolæ secundum Augustinum inter catholicas ponuntur scripturas. Imo plus dicitur, quod contra auctoritatem harum epistolarum nec Augustinus, nec Ambrosius, nec alius doctor suam sententiam defendunt. Hæc volui dicere vt fundamenta dicendorum, vt cognoscatis, quod ecclesia Romana fundata in Petro per Christum, magna cum grauitate semper processit, & ex solidis fundamentis suas declarationes firmavit. Hoc quoad illud obiectum. Modo in tuo primo motiuo sic respondeo. Cum dicitis quod sedes apostolica, & Romanus pontifex dicitur successor Petri, & vicarius Christi, & pater, & doctor, & magister Christianorum, prout deductum est in præcedenti disputatione, quod hæc verba reperiuntur in epistolis, & non expedit amplius declarare, sed solum vim vocabulorum dicere, dicebat imperator verbo Nicæni: Dicitis quod est pater & doctor & magister Christianorum; vellemus intelligere, an per hæc verba denotetur quædam reuerentia, quia sit primus inter omnes patriarchas, vt nos vni magno domino exhibeamus honorem: vel inducatur aliqua potestas vltra reuerentiam, quia dicitur in cedula, Caput ecclesiæ. Respondeo cum correctione sanctissimi domini nostri & aliorum, quod hæc præeminentia non solum denotat reuerentiam, sed potestatem quamdam cuiusdam obedientiæ: & demonstratur per scripturam diuinam, & per textus vestros. Quicumque enim præficitur alicui multitudini, siue vocetur caput, siue magister, siue doctor, dummodo prælatus multitudini fiat, semper datur potestas quædam: & quod Petrus fuerit positus super omnes apostolos, clarum est. Primo auctoritate ipsius gloriosissimi viri^b, qui exponens auctoritatem Ioannis; *Pasce oues meas* (& habemus originale Græcum) ita dicit: Præteriens alios, Petro de talibus loquebatur: eximius enim apostolorum erat Petrus, & os discipulorum, & vertex collegii: & negatione deleta, committit ei

^a Lib. 1. cap. 8. relar. c. in canonicis, distin. 19.

^b B. Chrysostomum intelligit.

Concil. Tom. 33.

O o o

Ioan. 21.

prælationem fratrum, dicens: *Pasce oves meas*. Si ergo committit prælationem apostolorum, & facit eum præfidentem omnium; ex hoc fundamento sequitur ut sit obedientia ad eum, ut ad prælatum. Item quantæ auctoritatis sit beatissimus Leo papa & apud ecclesiam orientalem & occidentalem, satis constat, de quo dicit Concilium Calchedonense^a: Nobis enim impenetrabilem omnis erroris propugnatorem Deus providit Romanæ ecclesiæ præfulem, & ad victoriam præparavit doctrinis veritatis, ei per omnia assistens. Hic in primo sermone a-

^a In allocutione ad imp. par. 3. cap. 1.^b Serm. 1. c. 1.

scensionis^b, cuius initium est, Post beatam resurrectionem, dicit: Dies qui inter resurrectionem ascensionemque fluxerunt, non otioso transiere decursu, sed magna in eis confirmata sunt sacramenta: in his omnibus apostolis per insufflationem Domini infunditur Spiritus sanctus, & beato Petro apostolo super ceteros, post regni claves, ovilis dominici cura mandatur. Ecce quomodo Petrus factus est prælatus omnium apostolorum, & super omnes, in

Matth. 16.

illis verbis, *Tibi dabo claves*: & illis, *Pasce oves meas*. Ita dicunt hi doctores. Et quod per hoc quod dicitur caput, denotet superioritatem respectu aliorum membrorum, volo deducere ex vestris libris. Reperio in sexta Synodo, quod beatus Agatho papa in suggestione sua^c postquam adduxit testimonia multorum patrum, vltimum testimonium est Iustiniani imperatoris, qui multas leges edidit in fauorem fidei, & illas leges posuit in voluminibus suis, & fecit aliquos titulos de ecclesia & contra hæreticos & Manichæos, qui sunt positi in libris suis. Ex illis habetis, quod Iustinianus intelligebat pontificem Romanum caput omnium ecclesiarum. Nam in libro de summa Trinitate^d sic ait: Omnes sacerdotes vniuersi orientalis tra-

^c Sexta Synodo act. 4.^d Est epist. Iustiniani ad Ioan. papam I. Nos reddentes, C. de sum. Trinit.

ctus subiicere & vnire sedi vestræ sanctitatis properauimus. & subdit: Vestræ sanctitati, quæ caput est omnium ecclesiarum. Si ergo Iustinianus ita dicit; ergo hac ratione quia dicitur caput, denotatur prælatio in eo, & obedientia in aliis. Ideo in eodem titulo scribit Ioannes Iustiniano, dicens^e: Inter claras sapientiæ mansuetudinis vestræ laudes, clariore luce tamquam aliquod sidus irradiat, quod amore fidei, quod caritatis studio, edocti ecclesiasticis disciplinis, Romanæ sedis reuerentiam conferua-

^e Ioannes papa. I. Inter claras, C. de sum. Trinit.ANNO
CHRISTI
1439.

ANNO
CHRISTI
1439.

tis, & ei cuncta subiicitis, & ad eius deducitis vnitatem, ad cuius auctorem, hoc est, apostolorum primum, Domino loquente, præceptum est, *Pasce oves meas*: quem esse omnium ecclesiarum caput, & patrum regulæ & principum statuta declarant, & vestræ pietatis beatissimi testantur affatus. Diffinitum est itaque, quod est caput. Qualis autem sit hæc potestas, Paulus dicit: *Obedite præ-* Ioan. 21.
positis vestris, & subiaccete illis: ipsi enim peruigilant, tam-
quam rationem reddituri pro animabus vestris. Vnde hæc potestas quæ est in Petro & successoribus, vocatur potestas spiritualis iurisdictionis, quæ est ordinata in salutem animarum omnium Christianorum. Et circa hanc potestatem & clerici & laici sunt subiecti: laici in his quæ concernunt salutem animæ, puta, si peccauerint, ad pastorem spiritualem maxime spectat eos corrigere & retrahere, vt patet. Et sic si facerent contra fidem, & sicut aliqui imperatores fuerunt, qui persecuti sunt metropolitans, & oportuit habere recursum ad apostolicam sedem; & in similibus casibus; cum finis apostolicæ sedis sit pax ecclesiastici status, vt per hanc pacem perueniatur ad supernam gloriam. Propter hoc dicit Christus: *Tibi dabo claues*: Matth. 16.
& eum pastorem fecit, vt ducat oves ad pascua supernæ vitæ. Et huiusmodi exemplis omnes Synodi sunt plenæ. Scitis quantas persecutiones habuit Athanasius cum suis a Constantio imperatore, qui fuit Arianus: habuit recursum ad sanctum Felicem & Iulium papam, qui cum omni caritate & solitudine, vt capita ecclesiæ, defenderunt eum. Item Ioannes Chrysostomus persecutionem habuit, & semper protectus fuit a sede apostolica. Flauianus in secunda Synodo Ephesina ⁷ appellauit. Et sic apparet, quod hoc non præiudicat potestati imperatoris, quia illa est in ciuilibus & temporalibus, hæc est ecclesiastica & spiritualis: & propter hoc iura imperatoris vocantur ciuilia, & ecclesiasticorum canonica: & hæc sunt duæ potestates, quarum vna iuuat aliam, & ideo Leo ita dicit: Tutæ res esse non possunt, nisi ea quæ ad diuinam cognitionem pertinent, & regia & sacerdotalis defendat auctoritas: & ideo dicitur, quod Deus fecit duo luminaria magna, & quia potestas spiritualis est nobilior propter finem cæli: ideo hæc potestas assimilatur Soli, alia Lunæ,

Concil. Tom. 33.

O o o ij

propter finem terrenum. Hæc pro nunc sufficiant, quod propter illa verba, Pater, caput & doctor, intelligimus non tantum reuerentiam, sed & potestatem: & sic dicitur, Pascendi & regendi, propter hanc potestatem. Alia difficultas quam tangebatur imperator, hæc erat: An ad hanc potestatem spectet conuocare ecclesiam, vel ne. Et quia putabam hanc partem indubitabilem, ideo pauca circa hanc dixi. Solum deduxi testimonium patrum Calchedonenſis Concilii, ſcribentium epiſtolam ^a orbiculari, cui omnes ſubſcripſerunt: & narrantes Leoni papæ quæ Dioſcorus geſſerat, dixerunt, quod inter alia mala ad excommunicationem proceſſit contra eum qui corpus eccleſiæ adunare feſtinat. Si ergo dicunt, Leonem coadunaſſe, videtur hoc ſufficere. Sed duco aliud irrefutabile teſtimonium, & poſtea declarabo quid ſit coadunare. Beatus Iulius papa, cuius auctoritas allegatur in tertia Synodo œcumenica, ſcribens omnibus orientaliſibus ^b ita dicit: Ipſi primæ ſedi eccleſiæ conuocandarum generalium Synodorum iura & iudicia epiſcoporum ſingulari priuilegio euangelicis, apoſtolicis & canonicis conceſſa ſunt inſtitutis. & ſubdit: Ipſa prælata eſt omnibus eccleſiis, quæ non ſolum Canonum & ſanctorum patrum decretis, ſed Domini noſtri ſaluatoris voce ſingulari obtinuit principatum: *Tu es*, inquit, *Petrus, & ſuper hanc petram*, &c. hæc Iulius. Certe ſi ſedes apoſtolica, & Romanus pontifex eſt paſtor, & debet paſcere vniuerſalem eccleſiam, oportet quod habeat poteſtatem conuocandi, ſi expediat. Numquid paſtor materialis ſi vult oues ducere, nonne conuocat in vnum, & dirigit eas? Sic eſſe paſtorem ſpiritualem non poſſet competere ſummo pontifici, niſi poſſet, occurrente neceſſitate, de omnibus mundi partibus conuocare: & hæc conuocationes non fiunt niſi in maximis neceſſitatibus totius eccleſiæ, puta quando magnæ hæreſes emergunt: cum ad papam ſpectet, qui habet auctoritatem ſuper terram & ſuper eccleſiam, & alii patriarchæ, non niſi ſuper certa parte. Hinc eſt quod expediit, vt ſuo aſſenſu hæc conuocationes fiant: & iſtud eſt paſcere & confirmare fratres, ne deficiant in fide. Igitur habet ius conuocandi. Duo ſunt obiecta, primum de imperatoribus, & aliud

^a Supra citati
num. 4. huius
collat. ex actis
Conc. Cal-
ched. par. 3.
cap. 2.

^b Epiſt. 1. ad
orient. Conc.
tom. 1. in Iu-
lio, cuius me-
minerunt So-
zomenus, So-
crates, Nice-
phorus, quos
citat Bellarm.
de Concil. lib.
1. cap. 2. penes
quem plura de
hac materia.
Vide & Cano-
nem 3. Hadria-
ni papæ I. cum
notis Antonii
Auguſtini
tom. 18. Con-
ciliorum pag.
177.
Matth. 16.

ANNO
CHRISTI
1439.

ANNO
CHRISTI
1439.

de aliis patriarchis: putantes ecclesiam constitutam in quinque patriarchis. Ad primum respondeo, quod etsi imperatores congregarent Concilia, cum haberent monarchiam mundi, hoc dicimus factum; sed exequentes, consentiente & mandante papa. Hoc probo auctoritate Leonis papæ. Nam ipse institit, vt congregaretur Calchedonenſis Synodus, & multas epistolâs scripsit imperatori Theodosio, quod ecclesia erat vulnerata in ſecunda Synodo Ephesine quam ^a improbauit, & fecit diffinitionem, quæ fuit obtenta in Calchedonenſi Synodo: & eo mortuo, & facti imperatores Valentinianus & Marcianus, statim scripserunt Leoni, ^b si erat de voluntate ſua, & dicunt ſic: Sanctitatem tuam principatum in episcopatu diuinæ fidei poſſidentem, iuſtum credimus in principio ſacris literis alloquendam, inuitantes atque rogantes, vt pro firmitate noſtri imperii æternam diuinitatem tua ſanctitas deprecetur, vt tale propoſitum & deſiderium habeamus, quatenus omni impio errore depulſo, per celebrandam Synodum, te auctore, maxima pax inter episcopos eccleſiæ fiat, ab omni ſcelere pura & intemerata conſiſtens. Sed & Leo papa poſt celebrationem Concilii reſpondens ^c epistolæ, qua petebatur, vt confirmaret geſta Concilii, dicit ^d: Vniuerſitas fraternâ & omnium fidelium corda cognoscant, me non ſolum per præſidentes qui vices meas executi ſunt, ſed etiam per approbationem geſtorum ſynodalium propriam vobiscum habuiſſe ſententiam, in ſola videlicet fidei ^e cauſa (quod ſæpe dicendum eſt) propter quam ſolum generale Concilium ex præcepto Chriſtianorum principum, & ex conſenſu apoſtolicæ ſedis placuit congregari. Hæc ſanctus Leo. Itaque prima cauſa agens prouenit a ſede apoſtolica, ſed pro executione requiritur brachium ſæculare: & ſic ille imperator præcepit, petente Leone, & principalis cauſa conuocationis in materia eccleſiaſtica attribuitur auctoritati ſedis apoſtolicæ. Et eodem modo nunc facit ſedes apoſtolica, & ſeruat, quia facta conuocatione, ſcribit regibus & principibus, vt illi mandent, ſeu hortentur, & veniant episcopos: & ipſi ſunt executores mandatorum ſedis apoſtolicæ, & ſic dicuntur executores poteſtatis eccleſiaſticæ: & ſuper hoc habet multum ſuperintendere ſedes apoſtolica, ne ^f temporalis

^a Ipſe ſcilicet papa. Vide acta Concilii Ephesine.

^b In aſ. Conc. Calched. part. 1. c. 33. & apud Baron. tom. 6. anno 450. nu. 22. Vide & initium notarum Bini ad idem Concil.

^c In actis eiusdem Concil. part. 1. cap. 1. ^d Ibid. cap. 14.

potestas quomodolibet se immisceat in spiritualibus. Quo-
ad alios patriarchas nunquam legi nec in scriptis, nec in
Conciliis, quod regimen sit super tribus vel quinque pa-
triarchis: hæc potestas non esset bene ordinata, quia Chri-
stus bene ordinavit ecclesiam, & quia regimen monar-
chicum est melius: ex quo vnum præfecit apostolis, non
quatuor vel quinque, voluit ut per vnum exerceretur. Et
adduco testimonium beatissimi Anacleti ^a papæ, qui fuit
ordinatus sacerdos a sancto Petro, qui fuit Græcus natio-
ne & successor Clementis, scripsit sic de ordinatione
Christi, postquam dixit, ut pridie dixi, quod hæc ecclesia
Romana non ab apostolis, sed a Christo habuit primatum,
dicit: Inter beatissimos apostolos quædam fuit potestatis
discretio, licet omnes essent apostoli, Petro tamen fuit a
Domino concessum, ut omnibus præfesset apostolis, &
Cephas, id est, caput & principium teneret apostolatus:
qui & eandem formam suis successoribus, & reliqui apo-
stoli episcopis tenendam tradiderunt. Et sic dicit, quod
ratione potestatis concessæ Petro, Romana ecclesia est
cardo & caput omnium ecclesiarum, & dicit ibi etiam:
Secunda ecclesia est Alexandrina, quæ fuit a Petro institu-
ta, quia discipulum suum Marcum misit, qui Petri aucto-
ritate illam fundavit. Ergo illa est prima filia ecclesiæ Ro-
manæ, quia Petrus illam instituit. Et subdit: Tertia est
Antiochena, solum propter Petri reuerentiam, quia cer-
to tempore ibi præfedit; postea instinctu Spiritus sancti
motus recessit, & constituit ibi sanctum Ignatium ¹⁰ epi-
scopum. Istæ sunt filiæ ecclesiæ Romanæ, & Petrus est tu-
tor, caput & defensor illarum ecclesiarum. In processu
temporis facta est patriarchalis Hierosolymitana & Con-
stantinopolitana, quia a principio hæ duæ non fuerunt, &
in quarta Synodo inceperunt tractare ut esset secunda,
& abstulerunt potestatem ab Alexandrina, quæ erat se-
cunda: & allegabant, quod hæc materia fuerat mota in se-
cunda Synodo; & tamen multa tempora fluxerunt, quia
Damascus papa nunquam voluit confirmare, nec succes-
sores, quia nolebant turbare Canones Nicænos, quibus
dicebatur, ut obseruarentur priuilegia ecclesiarum: nec
potuit dici patriarchalis, quia papa non consentiebat, nec
postea ¹¹ Leo consensit: & Iustinianus imperator fecit ¹² le-

^a Epist. 4. tom.
1. Conc. in A-
naclet. pag. 176.

ANNO
CHRISTI
1439.

gem, quod Constantinopolitana esset secunda. Ergo secundum iura antiqua etiam illa ecclesia est filia ecclesie Romanæ, & honorata multis priuilegiis: nec ecclesia Romana vult turbare eius priuilegia, imo & sibi & aliis ecclesiis vult seruare priuilegia. Vnde idem Iustinianus sic dicit*: Legum originem antiqua Roma sortita est, & summi pontificatus apicem, & sacerdotii fontem apud eam esse nemo dubitat. Si ergo est fons sacerdotii, ergo sicut ex fonte deriuantur riuuli, ita alie ecclesie vt filie vocantur in partem sollicitudinis ad conseruandam ecclesie vnitatem, & ex ea habuerunt suam originem. Dicebatur deinde per dominum Nicænum: Hæc potestas quæ datur capiti, estne talis, vt ea quæ datur vni metropolitano in sua metropoli, & vni patriarchæ in suo patriarchatu? Respondeo, quod non est talis, quia potestates metropolitaram & patriarcharum sunt limitatae in certis partibus, ita quod vnus patriarcha non habet potestatem in territorio alterius patriarchæ, nec econtra; sed successor Petri habet immediatam potestatem superioris in omnes: sed ita habet, vt cum ordine hæc omnia fiant, & maiores causæ & difficiliore, quæ non fiunt per metropolitans, & quomodocumque subiecti grauantur vltra rationem, est facta ordinatio secundum diuinam institutionem, vt semper possit haberi recursus ad sedem apostolicam, & capere doctrinam & declarationem & iudicium, quia ordo potestatis habet respectum ad vnum primum: & sic regulantur potestates, & quia per se non potest supplere omnibus, disposuit potestates ordinatas. Et sic erat in veteri lege, quia Moyses erat super omnes Iudæos: quia tamen non poterat omnibus supplere, constituit certos alios. Vnde dicitur in quadam epistola, quam scribit Leo papa Thessalonicensi episcopo: Vices nostras ita credimus tibi, vt in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Anacletus etiam ait^b, quod per sanctum Petrum sedes patriarchales & metropolitanae & episcopales fuerunt instituta, & in illis ciuitatibus vbi erant primi flamines, voluit esse patriarchas: & vbi erant archiflamines minores, voluit Petrus vt ibi essent metropolitæ; postea in singulis ciuitatibus voluit esse episcopos. Cum ergo Petrus ordinauerit has dignitates, bene merito spectat ad solum

* Collat. 1. quæ incipit, Vilegum originem.

^b Epistola 1.

papam, non ad alios patriarchas. Si habent aliquos textus sanctorum & Conciliorum, qui aliquid dicant de sedibus patriarchalibus, adducant in medium, & respondebitur, quia omnes doctores nostri sancti hoc voluerunt, & per aliquam potestatem non potest minui auctoritas sedis apostolicæ, sed illa quæ in Petro fuit, illam semper habebit & tenebit, secundum sententiam sanctorum doctorum, vsque ad finem sæculi: & ideo sextus Canon Nicæni Concilii dicit, quod semper ecclesia Romana tenuit principatum. Hæc sufficiant.

INTERPR. Et mihi sufficiunt.

CARD. Pro intellectu, an verba illa dent iurisdictionem, vel reuerentiam, audiatis beatum Chrysostrum.

AND. Fuit lectum in Græco.

ARATHEN. Nullus nostrum negat, quod sine potestate Romani pontificis non potest conuocari Concilium; sed e contra papa sine patriarchis.

CARD. Quid si contradicant alii in ³ Canone illorum, an iussu papæ congregabitur?

ARATHEN. Propter hoc non desistet quo minus sit Concilium.

CARD. Et sine papa non erit Concilium.

PROV. Illi Canones non sunt nisi apocryphi.

ARATHEN. Nos considerabimus hæc, & referemus imperatori.

CARD. Non habetis priuilegium Constantini, quod fecit Siluestro?

ARATHEN. Ita.

CARD. Legatis.

AND. Legit archiepiscopus Colossensis priuilegium in Græco, cuius priuilegii hæc verba in Latinum fuerunt

^a His expositis cœpit dominus Ioannes de Turrecremata hoc modo.

^a Vide notam
21. huius col-
lationis.

*Turrecremata doctissime demonstrat veritatem formæ
transubstantiationis.*

Num. VIII. TURRECR. **D**E mandato sanctissimi domini nostri sermonem breuem facturus, paucissimis vtat, & rescindendo multa, breuiter tangam quæ ad propositum faciunt. Imperator respondens ad proposita per
reuc-

ANNO
CHRISTI
1459.

reuerendissimum dominum cardinalem, dixit inter alia, quod illa particula, quod sacramentum conficiebatur ex solis verbis Saluatoris, non poterat ibi in cedula poni. Quæ respõsio relata sanctissimo domino nostro & patribus sacre Synodi, tam beatitudo sua, quam patres non parum admirati sunt, quod hoc dictum reputaretur impossibile, cum hæc additio contineat condiciones, quas sancti patres constituerunt in rebus diffiniendis per Synodum, quæ sunt, primo veritas, secundo necessitas, tertio vtilitas, quarto caritas: quia sine offensa cuiuscumque, quod hæc additio contineat veritatem, pridie ostensum est auctoritatibus multis sanctorum Græcorum, beatissimi Chrysostomi, Dionysii & Damasceni, & inducta est auctoritas Ambrosii, qui manifeste illud ponit, quia post multa ita dicit: Quod dum conficitur sacramentum, non suis utitur sacerdos, sed sermonibus Christi, dicens: *Hoc est corpus meum, & sanguis meus*: concludens his verbis confici sacramentum multis auctoritatibus. Et in libro de sacramento dicit, quod sermo Christi mutat creaturam in altari. Eusebius Emisenus dicit^a: Inuisibilis sacerdos visibiles creaturas mutat. Item Augustinus in multis locis, in libro de verbis Domini capite 28. sic ait: Ante verba consecrationis panis est; post Christi verba, non panis, sed corpus Christi est. Item in sermone de corpore Christi sic dicit: Intra catholicam ecclesiam nil maius a bono sacerdote, nil minus a malo sacerdote conficitur: quia non in merito consecrantis, sed in verbo conficitur Saluatoris. Superfedeo ab aliis auctoritatibus. Ecce, quod isti clarissimi & sanctissimi doctores de isto sacramento tractantes, in solis verbis Saluatoris dicunt confici sacramentum, & vna ratio vulgaris ponitur a sancto Thoma^b: Quia idem Canon Missæ non est idem apud omnes, nec secundum omnia tempora, sed diuersa sunt a diuersis apposita. Vnde Missa nostra dicitur habuisse principium a beato Petro, qui solum in Canone dicitur posuisse breuissimam orationem: postea per sanctos doctores factæ sunt additiones orationum. Ex quibus manifeste arguitur, quod consecratio huius dignissimi sacramenti non conficitur verbis sanctorum, quæ varietatem receperunt, sed verbis Christi, quæ semper vniformiter manserunt. Aliæ

Mamb. 26.

^a Refertur cap. Quia corpus, de consecr. dist. 2.

^b 1. part. quest. 78. art. 1. ad quartum.

rationes pridie dictæ sunt, & non repeto, sed solum respondeo aliquibus motiuis contra factis, & sunt tria. Primum, auctoritas Dionysii, alia Damasceni, tertia vero Basilii. Per hoc quod in primis dicitur, quod Dionysius dicit, quod sacerdos sacrificaturus excusat se a dignitate mysterii, quod non est dignus, dicens: Domine tu iussisti: *Hoc facite in meam commemorationem*. Arguitur quod ex illis verbis, *hoc facite*, sequitur, quod alii sacerdotes hoc facere possint. Dicitur quod hæc consequentia non valet, alium ordinem tenent hæc verba, *Quotiescumque*, &c. in ²⁴ euangeliiis, quam verba sacerdotis in excusando se: & sic patet quod ex verbis, *Hoc facite*, non sequitur, quod alii sacerdotes hoc facere possint. Hæc consequentia non valet: nam alium ordinem & finem tenent hæc verba, nimirum, *Hoc facite, quotiescumque feceritis, in meam commemorationem*. Vnde ex verbis Dionysii nulla sequitur consequentia, quod aliis verbis quam Christi confici possit. Nec dictum Damasceni procedit, quod per inuocationem virtutis Spiritus sancti conficiatur, quoniam per inuocationem non intelligit Damascenus aliam orationem quæ sequatur verba Christi in confectione, sed inuocationem intelligit secundum sententiam Dionysii formam sacramenti, quæ consistit in verbis Christi. Vnde vltimo capite de ecclesiastica hierarchia, formam sacramentorum vocat verba Christi, quæ conficiunt sacramentum: & hanc putant formam inuocationis. Volo ostendere, quod verba Basilii non possunt esse forma consecrationis; nec aliquis debet moueri ex illis verbis ad credendum aliter. Primo sic, licet Basilii fecerit illam orationem, nunquam asseruit quod illis verbis fieret consecratio: nec est credendum tam sanctum virum credidisse, quod verbis suis fieret tam mirandum & incredibile sacramentum. Secundo arguitur ex ordine verborum. Verba Basilii sequuntur verba ^a Christi: verba autem Christi sunt verba completiua, vel non? Non est dicendum, quod non sint perfecta, cum verbum Christi sit perfectissimum, nec egeat additione verbi humani: imo tota ratio beati Damasceni in tractatu de sacramentis, ad probandum, quod verbis Christi conficiatur, dicit quod sermo Domini viuificax est, & sicut dixit: *Fiat*

Luc. 22.

^a In suamet liturgia.

Genes. 1.

ANNO
CHRISTI
1439.

lux; & facta est lux: ita cum dicit, *Hoc est corpus meum*, factum est sacramentum. Tertio ostendo ex forma verborum. Hæc sunt verba^a Basilii: Rogamus & precamur te, & supplicamus, mitte Spiritum sanctum super nos, & hæc apposita munera, &c. Hæc verba sunt supplicatoria, quod Deus quid faciat supernaturale. Clarum est, quod in illis verbis supplicationis non sit forma factionis: & vt melius intelligatur, suscipite exemplum ex scriptura. Mulier Cananæ supplicando vt filia sua liberaretur, dixit: *Miserere mei fili David*. Christus respondit: *Fiat sicut tu vis*. Peto, quibus verbis facta est sanitas? Clarum est, quod verbis illis, *Fiat*, &c. Peto absolutionem, pater: respondetur, Absoluo te. non liberor verbis supplicatoriis. Oratio Basilii est deprecatoria, vt Deus mittat Spiritum sanctum super nos & hæc apposita munera, & faciat panem venerabile corpus suum. Quis diceret, quod his verbis fiat confectio, maxime cum beatus Dionysius dicat, quod verba consecrationis habeant virtutes actiuas? verba autem deprecationis non possunt habere¹ operationes actiuas: nemo potest dicere, quod verbis Basilii conficiatur, sed verbis Christi. Restat vt sciamus, quis fuit sensus Basilii. Oratio illa non est, vt conficiatur quod confectum est, sed vt consequamur² effectum sacramenti, scilicet vniri cum Christo, & incorporari, & dicamus cum Apostolo: *Viuo*
ego iam non ego, viuit vero in me Christus. Dicit Basilius: Rogamus & supplicamus, mitte Spiritum sanctum super nos & hæc apposita munera, vt nobis sint salutaria, & faciatis panem hunc, id est cœtum fidelium. Istum panem intelligimus corpus mysticum ecclesiæ (sic coram imperatore dixit dominus cardinalis) Panis capitur duobus modis, panis verus materialis, & panis mysticus. De hoc mystico dicit Apostolus^b: *Vnum corpus sumus omnes, qui de vno*
pane participamus. & vt dicit Augustinus: Vnum corpus & vnus panis dicitur ecclesia: quia sicut vnus panis multis granis, & corpus multis membris; ita caritate operante componitur ecclesia ex multis fidelibus. Et sciatis quod hic est intellectus, Facito istum panem, id est fideles Christianos figuratos hoc pane incorporari corpori sancto tuo, & vniri, & vt tuo spiritu viuificentur: quia nullus viuuit spiritu Christi, nisi sit corpus Christi. Et sequitur,

^a In sua liturgia.

¹ *Matth. 15.*

² *Galat. 2.*

^b *1. Cor. 10.*

quod ⁷⁷ fiat communicantibus ex ipsis; & refertur ad hoc, quod fideles communicantes vero corpori Christi & sanguini eius, consequantur remissionem peccatorum, & hereditatem regni cælorum.

ARATHEN. Videamus verba, vt videamus si sequitur bene ista expositio ad verba, cum dicit, Et facito panem hunc, scilicet mysticum corpus Christi tui.

CARD. Esse venerabile corpus tuum ^a.

^a Per unionem, scilicet, & incorporationem, quæ fit manducando corpus Christi.

TVRRECR. Panem ipsum corpus Christi mysticum intellectum per istum materiale.

NICÆN. Dicitis, ⁸⁸ Facito panem istum, id est, corpus ecclesiæ tuæ incorporari vero corpori tuo per dignitatem gratiæ?

TVRRECR. Ita.

ARATHEN. Quomodo aptamus sequentia, vbi dicit, vt fiat fumentibus; declara verba, vbi dicit, vt fiat fumentibus, & quomodo fit replicatio eiusdem.

^b Scilicet in cedula & in diffinit. Conc.

TVRRECR. Hæc est oratio. Facito, vt corpus tuum mysticum, participatione corporis veri tui, consequatur remissionem peccatorum, gratiam Spiritus sancti, & æternam beatitudinem. Hæc est sententia verborum Basilii & Chrysofomi, & hoc sensu nulla est differentia inter vos & nos. Prosequor secundam partem, quod de necessitate illa particula sit ponenda ^b, & est conditio, quod est necessitas quæ arguitur ex duobus. Primo quia venit in controuersiam in tanto cœtu, & est necesse, vt nullus possit portare scrupulum, vt hæc concordia synodalis sit clarificatiua & vnitiua inter nos. Secundo ex his quæ concurrunt ad perfectionem sacramenti, & hæc sunt quatuor. Primo materia, scilicet panis azymus, vel fermentatus. Secundo forma, scilicet verba. Tertio minister, scilicet sacerdos. Quarto recta intentio, vt intendat conficere. Cum ergo ponatur in cedula tria, est opportunum vt quartum ^c ponatur, ne videatur defectiua prouisio, & minus sapientium, maxime cum forma teneat principatum inter quatuor. Tertia est vtilitas, quæ est eruditio omnium fidelium, & maxime simplicium sacerdotum vtriusque ecclesiæ, vt omnes sciant, quod hoc adorandum sacramentum verbis Saluatoris conficiatur. Vltimo caritas, quia hæc diffinitio neminem offendit, nec vnâ ecclesiam, nec aliam.

^c In ordine ad iam posita in cedulis, sed secundum in ordine ad præsentem enumerationem.

ANNO
CHRISTI
1439.

PAPA. Quia hora tarda est, ista quæ dicta sunt, sunt dicta propter ea quæ imperator pridie dixit. Et quantum ad primatum sedis apostolicæ, credo quod plene intellexeritis per auctoritates antiquissimas synodales. Quantum ad secundam partem, quam secundus doctor dixit, non puto quod aliquis sit ita parum intelligens, quod credat, quod possit confici corpus Christi aliter quam verbis Saluatoris nostri, non dico rationibus Ambrosii & Hieronymi: videant consequentiam. nam alias ante istos doctores^a non fuisset confectum corpus Christi, & hoc nullus diceret. Nos credimus quod sitis docti, & habetis reddere rationem animarum. Hortor caritates vestras vt cogitetis, & videatis has rationes, & velitis conferre cum imperatore, & dare conclusionem huic sanctæ vnioni, vt gaudium commune plenum fiat, vt possimus vacare ad expeditionem imperatoris & rerum quæ sequuntur: & quanto citius fiet, pariet bonum toti Christianitati.

^a Nempe Basilium & Chrysost. quorum sunt illa verba, quibus aliqui Græci contendebant fieri consecrationem.

AND. Dominus archiepiscopus Russiæ dixit.

R v s s. Rogo dominationes vestras, vt detur locus dicendi.

PAPA. Placet.

R v s s. Si putarem aliquam contrarietatem inter ea quæ dicta sunt per magistrum^b, facerem longum sermonem. Nam necesse est in contradictionibus aut confirmare, aut confutare: sed quoniam puto, adiutorio Dei esse concordēs, per tria quæ dicam, breuiter me expedio. Et primo dico ex tempore. Hoc missale quo vtimur, est traditum a Basilio & beato Chrysostomo: vtebamur autem ante tempus schismatis, nec aliqua facta est mutatio: tamen occidentalis ecclesia nunquam de hoc verbum fecit, videlicet cum fuerimus concordēs, & ad eundem finem tendentes, secundum rem dicimus idem, & dico quod credimus id quod conficit mysterium, esse sermonem Domini: & credimus dominicā vocem esse effectricem diuinorum munerum, & illa vox semper replicatur a sacerdote, & suscipit^c sacerdos, quod vox illa replicata aptetur, & sit eadem vox cum voce Domini: & vt ita aptetur, inuocatur Spiritus sanctus, & supplicat sacerdos, vt per virtutem Spiritus sancti concedatur gratia, vt vox repetita efficiatur ita effectiua, vt verbum Dei fuit: & ita

^b Scilicet Turrec.

^c In sua scilicet ordinatione accipit potestatem, vt illa vox Saluatoris cum intentione consecrandi prolata sit eadem vox, & eandem vim habeat transubstantiandi.

P p p iij

^a Vide quæ
stam hic re-
plicat Turrecr.

^b Et quartum,
intentio.

credimus consummatiuam ^a fieri per illam orationem sacerdotis: & probo, quod dominicæ voces habent operationem, vt semina, quia sine semine non potest effici fructus; ita in hac dominica voce: tamen vbi cadit semen, eget aliis instrumentis, vt sacerdotis, altaris & orationum: vnde credimus per hoc vobiscum esse concordēs. Quod autem addatur in diffinitione, dixit paternitas vestra, quod est necesse propter discordiam: & dico, quod esset, si hæc difficultas esset contraria, sed non est mota, vt fuerint disputationes; & ideo cum non fuerit controuersia, non debet deduci in dubium. De alia particula, in quibus considerantur quatuor ad confectionem sacramenti, nos idem sentimus quod vos, quod requiritur panis tritici, & vinum de vite, & sacerdos, & principaliter per verba dominica. ^b Et quoniam in omnibus his sumus concordēs, vos dicitis, quod debet poni propter declarationem rudium. Rudes ita clare tenuerunt, & ita tenebunt, vnde non est necessarium hoc poni in diffinitione. Nam multæ quæstiones sunt etiam de baptisinate: si de omnibus vellemus prouidere, tempus non sufficeret. Cum autem hæc dixerim ex me, supplico sanctissimum dominum nostrum & reuerendos patres, vt non exigant aliam diffinitionem.

TURRECR. Ego cum magno gaudio audiui sapientiam tanti patris, quia audiui paternitatem suam confitentem, quod verbis Saluatoris conficitur sacramentum, & formam verborum Saluatoris esse factricem & operatricem sacramenti. Secundo videbatur dicere, quod verba Basilii faciunt per modum virtutis actiuæ. Orat, inquit, sacerdos, vt sermo ille prolatus per me habeat virtutem illam transubstantiandi panem in corpus Christi; & vt hoc sacramentum consummetur, dicuntur operari verba Basilii. Posuit exemplum de feminibus, quæ licet habeant virtutem actiuam, tamen egent aliis operationibus, sicut orationis & altaris. Ista quæ paternitas sua dixit, non habent locum propter duo. Primo ratio dicta est ex me, quæ accipiebatur ex ordine verborum Basilii, quia rem perfectam non supplico vt quis perficiat; etiam nos petimus: sed postquam prolata sunt verba Christi, non sequuntur verba deprecatoria, vt fiat consecratio, sed sequitur de-

ANNO
CHRISTI
1439.

ANNO
CHRISTI
1439.

precatio in Canone nostro, vt corpus Christi consecra-
tum fiat nobis in vitam aeternam. Cum ergo verba Basilii
sequantur consecrationem, non possunt habere verba de-
precationis vim, vt fiat quod factum est. Secunda ratio
est, quare argumentum non facit ad propositum, quia ver-
ba Christi non habent virtutem incompletam, vt semina,
sed est sermo viuus; & ideo illud argumentum non vide-
tur fauere intentioni tuæ: & salua pace tuæ paternitatis, vi-
detur necessarium, quia vt dictum est, inductum est in
medium, & contradictum, vt non ponatur, cum tamen
hoc sit de principalioribus sacramentis nostræ fidei, & de
professione huius fidei sit orta tanta contentio, videtur
necesse vt addantur illa quatuor quæ dixi, quod sunt ne-
cessaria, minister, materia, verba, & intentio. Sed sine al-
tari & sine vestibis sacris fit sacramentum, licet pecca-
ret, qui sic consecraret: sed non potest esse perfecta con-
fectio, nisi hæc quatuor concurrant.

AND. Hora iam tarda, assurgente pontifice, assurrexi-
mus cuncti, ac cunctis Græcis surgentibus, papahorta-
tus est omnes, quod cum effectu conuenirent.

*Deputantur sex pro qualibet parte, vt tractent dogmatum dif-
finitionum expressionem: breui postmodum narratione omnia
refert patribus Iulianus cardinalis, & quoad formam tran-
substantiationis Græci protestantur, nunquam dissensisse ab
ecclesia Romana ecclesiam orientalem.*

AND. DIE vigesima sexta Iunii reuerendissimis domi-
niscardinalibus & prælatibus conuentis in vnum Num. LX.
locum palatii, & domino imperatore & Græcis in alia
aula eiusdem palatii, inter nostros cœpit dominus cardina-
lis Placentinus hoc modo.

CARD. PLACENT. Visum est domino nostro & impe-
ratori, ad hoc vt negotium vnionis Græcorum facilius
expediatur, sint ex qualibet parte sex, qui vna cum do-
mino nostro & imperatore tractent rerum harum con-
clusionem, & si quæ insurgerent difficultates, vt publi-
ce paternitatibus vestris referrentur, vt omnium sen-
tentia deleantur. Quare videtur, vt deputati sex sint, do-
minus sanctæ Sabinæ, dominus Morinensis, dominus Le-
gionensis, dominus prouincialis Lombardiæ, dominus

Ioannes de Turrecremata, & dominus Ioannes de Ferraria.

AND. Quibus verbis expositis, surrexerunt sex illi, & ad papam accesserunt; & dictum est aliis, ut expectarent cum caritate: missusque est quidam, ut imperatori referret, ut suos mitteret: qui illico sex suos destinavit, videlicet dominum Heracleensem, dominum archiepiscopum Ruffiæ, dominum dominum Nicænum, & duos presbyteros, qui & cameram papæ ad nostros ibidem deputatos ingressi sunt, expectatumque diu extitit: demum reuersis Græcis & nostris, cœpit dominus sanctæ Sabinæ sic.

CARD. Reuerendi patres, relatio longa est, videtur quia hora iam 17. est, ut cras de mane conueniamus, & fiat relatio conclusorum.

AND. Æstus & calor erat maximus ultra meridiem, quare libentissime quisque abiit: quinimo quia quilibet debilitatus quasi deficiebat caloribus magnis, & hora iam 18. deputatus est ibidem Latinis & Græcis potus & collatio refectiua spiritus pro volentibus. Die igitur 27. cunctis conuenientibus in palatio apostolico in capella maiori, summo pontifice præsentem, & nostris omnibus, summus pontifex accersito domino sanctæ Sabinæ inquit, ut se ad exponendum cuncta disponderet. Demum prædictus dominus noster papa dixit.

PAPA. Sicut scitis, diu & multum laboratum est, ut veniremus ad finem huius sanctæ vnionis cum istis orientilibus, & iam sunt xv. menses: tandem multis disputationibus habitis, & tractatibus, & laboribus susceptis per eos qui interfuerunt, misericordia Dei res ad bonum finem deducta est, & non visum est hætenus in omnibus omnes occupare: nunc, materia conclusa, deliberauimus, ut dominus sanctæ Sabinæ referat, ut videatis quantum dominus noster Iesus Christus operatus sit: postea deliberabimus, quid agendum.

AND. Cœpit cardinalis sanctæ Sabinæ hoc modo.

CARD. Beatissime pater, de mandato sanctitatis vestræ prout potero absoluam, prout sanctitas vestra mandauit, licet cuperem ut alteri iniunctum esset, qui copiosius referret. Sanctitas vestra & reuerendi patres sciunt, quod
iam

ANNO
CHRISTI
1439.

iam sunt quingenti anni, quod magnæ differentiæ fuere inter sanctam Romanam ecclesiam & orientalem. Primo de processione Spiritus sancti, vtrum Spiritus sanctus procederet a Patre & Filio. Secundo de additione, an potuerint addi verba illa in symbolo, etsi vera. Tertia differentia, an corpus Domini potuerit confici in pane azymo. Quarta de purgatorio, & hoc habet multas partes. Quinta differentia de primatu sedis apostolicæ & Romani pontificis. Et super his facti sunt innumeri tractatus, tam per Latinos contra Græcos, quam per Græcos contra Latinos: & vt scitis, fuerunt acerrima odia inter occidentales & orientales ecclesias, & vna hæreticabat aliam, & multæ censuræ factæ sunt per sanctam Romanam ecclesiam contra eosdem Græcos & orientales a Romana ecclesia eorum omnium matrem dissidentes. Græcis venientibus ad hoc sacrum Concilium fuit disputata materia purgatorii, & vt constat his qui interfuere, multæ fuere differentiæ. Primo dicentium, quod non erat locus purgatorii, sed essent animæ in certis locis expectantes diem iudicii, & dicentes, quod nec animæ beatorum videbant Deum, nec animæ damnatorum ibant ad infernum ante iudicii diem: & ex his ortæ sunt multæ disputationes: imo dicebant, quod nec angeli viderent Deum. Postea fuit disputata materia additionis, & quia hæc publica fuit, non refero. Tertio de processione Spiritus sancti; & illa publice, vt audistis. Sed demum visum fuit domino imperatori & Græcis, vt cessaretur a disputatione, & veniretur ad tractatus certos, sperantes ex eo dare finem; & volebant, quod pauci essent, & vt obtemperaretur voluntati suæ, non potuerunt omnes paternitates vestræ requiri, sed certi deputati sunt: & quia materia processionis erat grauior, inceperunt plures tractatus, sperantes vt illa conclusa, non multum remaneret differentiæ: & fuerunt auditæ multæ difficultates & multi modi. Primo dicebant Græci, vt diffiniretur, quod Spiritus sanctus procederet a Patre per Filium. Per deputatos fuit reiecta illa via propter multas rationes. Fuit proposita alia, quod illi confiterentur bene tenere, & nos, & quod ipsi bene tenerent secundum suum intellectum. Ista via fuit reiecta per nos, quia veritas non capit diuisionem. Deinde data est alia, quod

Concil. Tom. 33.

Qqq

declaretur, quod Spiritus sanctus profuit a Patre & Filio; abhorrentibus Græcis verbum, procedere: & per nos fuit reiecta hæc via, quia verba hæc haberent dubitationem, & ideo non essent ponenda in diffinitione. Deinde dicebatur, quod differentia non erat, an Spiritus sanctus emanaret vel non emanaret, aut profuere, sed an procederet, & ideo non diffiniretur per hoc contentio quæ erat. Deinde fuit propositum, vt diffiniretur, quod procedit a Patre & a Filio, & a Patre per Filium: & hæc via non visâ est bona, quia posset fieri mala interpretatio, vt verbum, &, exponeretur in, per. Dicebatur quod hac via declararetur, quod Filius esset causa, & quod non erat bonus modus pronuntiandi, quia esset dubia sententia, quæ debet esse certa. Deputati sanctissimi domini nostri papæ semper steterunt constantes, vt diffiniretur difficultas secundum dogma sanctæ Romanæ ecclesiæ: & post multos labores aliquando fuimus propinquiores desperationi quam conclusioni: sed quia Deus vult cognosci, quod a se cuncta procedunt, cum magis eramus discordes, isti domini Græci assenserunt cedulæ nostræ. Et licet in Concilio Lugdunensi ^a fuerit conclusum, quod procedit Spiritus sanctus æternaliter ex Patre & Filio, hic tamen dicitur in cedula nostra, quod æternaliter est a Patre & Filio: & plura verba, prout continetur in ea, quæ plures difficultates tollunt. ^b Deinde sopita hac materia, ventum est ad aliud, quia ex quo materia de additione fuerat mota, videbatur, vt synodali-ter diffiniretur, quod additio fuit licita: & in hoc fuit magna difficultas, quam narrare vix quatuor horæ sufficerent. Demum conclusum est, vt confiteantur, quod illa additio, seu declaratio iuste, seu bene facta est. Quantum ad materiam de purgatorio, non fuit publice disputata, sed inter aliquos deputatos, & bene solenniter: & quia multæ visæ sunt difficultates, ego quasi desperavi. Tandem Deo operante, Græci iam consententur veritatem, videlicet, quod hi qui decedunt in caritate, & satisfecerunt penitentiis iniunctis, seu in aliquo peccato veniali, quod vadunt ad purgatorium: sed si in peccato mortali, statim ad infernum vadunt: si sine peccato, & post susceptum baptismum, incontinenti migrant ad cælum. Sed Græci tene-

^a Relato in cap. vnico de summa Trinit. & fide cathol. in 6.

^b Subditur enim etiam, quod ab utroque procedit. vide diffinitionem.

ANNO
CHRISTI
1439.

bant, quod non viderent ipsum Deum, sed certos fulgores: & in hoc fuit magna difficultas, & tanta, quod quasi turbauit totum negotium. Demum cognouerunt rationibus, quod animæ beatorum videbant Deum trinum & vnum, sicuti est, & voluerunt in cedula apponi, quod aliqua minus perfecte viderent, & alia magis: & hoc visum fuit admitti, quia in domo Patris nostri mansiones multe sunt. Alia differentia fuit de azymo, quia etiam apud Græcos aliqui volebant, quod non conficeretur in azymo, dicentes, Christum visum pane fermentato: & tandem conclusum est, vt in pane & azymo & fermentato conficeretur: & rationibus auditis, assenserunt, prout plene in disputatione de hoc constat. Et vt publice constent omnia, fuit exorta alia difficultas, quæ quasi perturbauit totum opus, nec vnquam hæc quæstio fuit mota. Nam nuntiato domino nostro, quod Græci in confectioe sacramenti certis aliis orationibus vterentur, visum est sanctitati suæ, vt sciretur eorum intentio, an tenerent illas orationes esse de substantia consecrationis: & confessi sunt, auditis rationibus nostris, quod semper tenuerunt, quod solis verbis dominicis conficeretur, & quod putarent anathema, qui aliud crederet. Fuit institutum, vt hoc poneretur in diffinitione. Dixerunt, quod hoc non erat necessarium: imo si poneretur, ecclesia ipsorum reciperet ignominiam, ac si hæctenus tenuissent aliud. Vnde cum semper fuerimus concordēs, in hoc diffinitio non debet fieri, nisi de dubiis. Tandem sanctissimus dominus noster dedit heri certos deputatos, & post multos tractatus dixerunt Græci: Ad hoc vt fitis certi de credulitate nostra, videatis Ioannem Chrystostomum, qui hoc clare ponit; & sumus parati publice confiteri, quod nos tenemus sicut vos, quod in verbis solis dominicis conficitur. Vnde sanctissimus dominus noster hoc audito obtemperauit, vt non deducetur in dubium quod nunquam fuit, maxime quia alii pontifices tentantes reductionem Græcorum, nil aliud ab eis petierunt, nisi vt confiterentur, quod in azymo conficeretur. Vltima differentia fuit de primatu, & hæc visa est quoad humanitatem^a difficilior, quia libenter subditi a capite deuiant: & in rei veritate vsque nunc non bene senserunt de potestate Romani pontificis, dicentes, quod erat

^a Scilicet, fragilitatem.

caput quoad vnum totum, vt decanus. Et auditis sacris scripturis & sacris Conciliis, visa est veritas, quod sedes apostolica, & Romanus pontifex est successor Petri: deinde, disponente diuina pietate, factum est, vt assenserint Græci secundum cedulam datam per Latinos. Dixerunt deinde, quod aliquid deliberaremus de sedibus patriarchalibus, videlicet quod Constantinopolitana esset secunda, prout in constitutionibus est decisum, & in Concilio Lateranensi, vbi præfuit Innocentius III. renouata sunt priuilegia sedium patriarchalium. Hæc omnia retulimus sanctissimo domino nostro, sine cuius licentia nil attentatum est. Sanctissimus dominus noster nil vult deliberare in tam arduo negotio sine scitu paternitatum vestrarum; & propter hoc fecit congregare paternitates vestras. Ego legam notulas cedularum, postea sua sanctitas & paternitates vestrae deliberabunt. Isti Græci multum instant pro recessu, & quia transeunt prope Turcas, est opportunum tute accedere: & licet sanctissimus dominus noster det galeas, tamen vt tutius vadant, videtur eisdem eundem cum galeis Venetorum, & vt imperator vadat ad ædificandum populum cito, cum si fama iret in populum ignarum, non auditis rationibus, periculosum foret: vnde videtur annuendum suæ voluntati. Legam cedulam, quæ non est in forma decreti, quia fiet in persona sanctissimi domini nostri; postea decretum.

AND. His dictis, cardinalis legit primam cedulam: Quoniam in hoc sacro ^a Concilio, &c. prout superius est descripta. Hac lecta, secuta est secunda cedula: Diffinimus ^b, &c. Hac lecta, sequitur alia hoc modo: Item ^c in azymo, &c.

^a Supra hac eadem collat. num. 3. in princ.

^b Supra n. 4.

^c Supra eodem nuni. 4.

CARD. Antequam fiat sessio, venient in hunc locum Græci, & confitebuntur, quod solis verbis dominicis conficitur.

AND. His dictis, aliam legit hoc modo.

CARD. Item ^d si vere pœnitentes, &c.

AND. Hac lecta, alia lecta fuit hoc modo: Diffinimus; &c. Quas omnes supra annotatas adscripsimus; sicque non expedit iterum occupare membranas.

^d Supra num. 3. in fine.
^e Et supra num. 4.

CARD. Sanctissime pater & reuerendissimi patres, hæc facta sunt per deputatos: nunc sanctitas vestra decernat, prout videbitur sanctitati vestrae cum consilio horum pa-

ANNO
CHRISTI
1439.

trum: & potest sanctitas vestra summas Deo gratias red-
dere, quod vestro tempore factum sit, quod a tempore
apostolorum citra vix tale factum est: & reduxit aut toti-
dem, aut plures quam nos Latini sumus, ad fidem Roma-
næ ecclesie.

PAPA. Venerabiles fratres & filii, audistis quæ filius no-
ster cardinalis sanctæ Sabinæ dixit, & tractatus, & labo-
res, & conclusa, & qualiter hortatur, vt debeamus gratias
agere Domino nostro, quia vidimus quod prædecessores
nostri voluissent videre, & non viderunt: post multos la-
bores desperantes, quasi omnia venerunt ad votum eccle-
siæ Romanæ, Deo solum operante, qui vbi vult, & quan-
do vult, operatur. Græci accelerant expeditionem, &
nos debemus & volumus id facere. Credo omnes vos pro
prudencia vestra debere concurrere nobiscum, & gratias
agere Deo: & videtur vt de omni statu aliqui deputentur,
qui conficiant decretum, vt fiat sessio in die apostolorum
Petri & Pauli. Si est aliquis qui velit quid dicere, dicat; &
regratiandum est his qui laborauerunt. Hora 20. omnes
conueniant.

AND. Promotor ita intimaui.

LVD. Quid hoc verbum, status, insinuat?

AND. Ego, quæ in Concilio gesta sunt, separatim tra-
ctatu alio^o annotaui, ex quo Concilii formam, sicque
quid hoc verbum velit, perciperes plenius. Sed vt breui-
ter scias, in principio quo Concilium Ferrariæ conuen-
tum est, disceptantibus patribus in deliberandis negotiis,
an per nationes, seu per deputationes procedendum esset,
cum singulis in vnum conuenientibus nunquam conclu-
sa fuissent tractanda; fuit visum, vt Concilium in tres sta-
tus congregaretur, in cardinales, archiepiscopos & epi-
scopos; & alius esset abbatum, & aliorum regularium:
tertius clericorum doctorum, & dignitates in cathedra-
libus ecclesiis habentium, & graduatorum in theologia,
iure canonico & ciuili. Conclusumve extitit, vt^a sensus
status diceretur adesse, si ex tribus duæ partes conueni-
rent cuiuslibet status: sicque vt concludi potuisset, necesse
fuerat, vt constituta forma auctoritatem præberet.

Hora 20. quilibet in suo statu conuenit, ac quilibet
quatuor deputauit, qui cedularum sententias in vnam

^a Quæ perso-
næ in Conci-
liis general. vel
de iure diuino
vel de iure po-
situo votum
habeant deci-
sionum, quæ
vero consulti-
um tantum.
Vide Turrecr.
de ecclesia lib.
3. c. 12. 13. 14. &
15. Bellarm. de
Concil. lib. 1.
cap. 15. Azor.
part. 2. lib. 5.
cap. 11.

bullam redigerent. Quibus electis, dissolutæ sunt pro die illo conventiones statuum.

ANNO
CHRISTI
1437.

LVD. Cur non seruatum est, vt tanta non fieret interpositio temporis ad quartam Iulii, cum hæc conclusa primitus fuerint?

AND. Mens omnium fuerat, vt sine difficultate cuncta transirent: sed intercesserunt dies octo, singulis diebus nostris Græcivse deputatis bis convenientibus. Erant namque in verborum compositione differentia, sicque lapsi sunt tot dies. Demum conuenerunt patres, præsentem summo pontifice, & 4. Iulii facta extitit generalis congregatio in palatio apostolico, vbi assistentibus cunctis, reuerendissimus cardinalis sanctæ Sabinæ his verbis cœpit patres alloqui.

CARD. Paruam orationem facere oportet, patres reuerendi: A die qua omnes conuenistis, hodie est octauus dies, quo fuerunt deputati quatuor pro quolibet statu, qui deberent esse cum deputatis Græcorum pro formando decreto. Patres singulis diebus conuenerunt de mane & de sero. Tandem hoc mane fuit lectum decretum in sancto Francisco in Græco & in Latino, & omnes deputati remanserunt contenti.

PAPA. Legatis.

AND. Per dominum Thomam subdiaconum lectum extitit decretum, prout infra ponitur: quo lecto, cœpit summus pontifex hoc modo.

PAPA. Audistis lectum decretum, & regratiandum est de tanta gratia summo Deo nostro, quod tot millia populorum veritatem recognoscant, a qua per 437. annos & ultra diuerterunt: nunc Deo gratias referamus. Videtis labores deputatorum, & debent per vos omnes remunerari laudibus. Ego nescissem plura a Græcis petere, quia quæ quæsiuimus & petiuimus, habuimus. Post hanc materiam fidei alia veniunt agenda, & sperandum est, quod in aliis Deus prosperabit, & vnitos nos faciet, prout & in hac re nos omnes fecit. Die lunæ, quæ erit octaua apostolorum beatissimorum Petri & Pauli, in cathedrali ecclesia, vbi nos celebrabimus, sessionem faciemus.

AND. Quibus expositis, cunctis licentia data est ad recessum. Die sequenti quinta Iulii hora iam tarda, Græci

ANNO
CHRISTI
1439.

speciali mandato requisiti aduenere in palatio apostolico, vbi summo pontifice praesente, Nicænus metropolita his verbis est allocutus.

NICÆN. Beatissime & sanctissime pater, & vos reuerendissimi cardinales, & omnes alii praesentes reuerendissimi domini & patres, quoniam in praecedentibus congregationibus nostris, inter alias discussiones de differentiis inter nos, orta est dubitatio de consecratione diuini sacramenti eucharistiae, & aliqui suspicati sunt, nos & ecclesiam nostram non credere illud sacramentum preciosissimum confici per verba Domini nostri, propter hanc causam, beatissime pater, nos adsumus coram vestra sanctitate, istis omnibus patribus adstantibus, qui pro parte sanctae Romanae ecclesiae sunt. Maior pars omnium nostrum personaliter adest coram sanctitate vestra, alii absunt propter infirmitatem corporis & angustiam horae. En iam, sanctissime pater, adsumus ad certificandum primo sanctitatem vestram, deinde alios reuerendissimos patres, de hac dubitatione, de qua ita breuiter dicimus. Notissimum est, sancte pater, beatitudini vestrae, & aliis reuerendissimis dominis, in discussione & inquisitione differentiarum habitarum, nos vsos auctoritatibus sanctae scripturae & sanctorum patrum ecclesiae. Nam cognoscentes nos, & animaduertentes fragilitatem humanam, potius volumus credere auctoritatibus sanctorum patrum, quam rationibus humanis: ea regula qua in aliis vsi sumus, & in hac hasitatione vtimur. Et quoniam ab omnibus sanctis doctoribus, maxime ab illo beato Ioanne Chryso-
* Homil. 82. in
Mattheum, &
homil. 1. in 1.
ad Timoth. &
hom. 60. ad
populum An-
tioch. & alibi.
Vide Arcud. in
concord. lib. 1.
cap. 12.
 mo*, nos audiimus, verba dominica esse quae mutant & transubstantiant panem illum in corpus Christi, & vinum in sanguinem; & quod diuina verba illa Saluatoris omnem virtutem transubstantiationis habent; de necessitate ipsum doctorem & eandem suam sententiam sequimur. Praeterea, pater beatissime, nec nos ignoramus quatuor requiri in consecratione preciosissimi & venerabilis sacramenti. Primo materiam, quae debet esse panis triticeus, aut fermentatus, aut azymus; quia in vtroque conficitur veraciter. Item quod minister sit sacerdos, qui habeat sacerdotium ab ecclesia secundum Canones. Item tertio formam, quae est ista, verba Saluatoris secundum

sententiam sancti Ioannis prefati. Quarto, beatissime pater, intentio sacerdotis, vt habeat intentionem consecrandi panem sibi propositum & vinum. Hæc breuiter, pater beatissime, de hac quaestione & sufficienter ad certificationem sanctitatis vestræ & aliorum patrum diximus, & quod semper, pater sancte, fuerimus, & simus, & futuri simus in hac sententia, sanctitatem vestram certissimam reddimus.

PAPA. Intelleximus, quæ per venerabilem fratrem nostrum Nicænum dicta sunt, & quamuis in mente nostra non esset aliud, tamen gratum fuit audisse, quæ ore relata sunt, quia ista est doctrina & sancti Ioannis Chrysostomi, & aliorum sanctorum qui præcesserunt & qui secuti sunt: & hanc doctrinam secuta est & semper sequetur cum gratia Dei sacra Romana ecclesia, & gratum fuit audire, vt qui aliud existimassent, sint certi de vestra bona opinione.

AND. Placentinus, his dictis, qui ex cardinalibus tunc primus erat, dixit.

PLACEN. Omnes tenuimus & tenemus hoc cum gratia Dei, & sicut in hoc sumus concordēs, erimus & in aliis cunctis.

AND. Quibus dictis, Nicænus hæc verba protulit.

NICÆN. Per beatitudinem vestram, & sollicitudinem sanctitatis vestræ, omnia feliciter processerunt, & procedent cuncta in melius, & vestra beatitudine præsidente cuncta feliciter procedere sperandum est, prout Spiritus sancti gratia in hoc sancto opere visum est.

AND. Quibus expositis, assurreximus cuncti hora
XXIV.

Vnionis decretum seu diffinitio solenni in sessione legitur.

Num. X. AND. **D**IE sexta Iulii in cathedrali ecclesia sessio facta est, Latinis Græcisque præsentibus ordine modove quo supra in Concilii œcumenici pronuntiatione & declaratione* expositum est, licet ciuitatis nobilitate celebrior pompa fuerit, & populi magnitudine, & dominorum præsentia. Erat namque ecclesia illa magnitudine non inter mediocres Italiae, sed de maioribus, tanta multitudinem populi plena, vt extra ecclesiam maximum stare

*Dum scilicet
Ferrariæ celebra-
ta esset prima
sessio, vt
supra.

ANNO CHRISTI 1439. stare numerum oporteret, quorum ecclesia capax non fuerat; patrum vero caterua venerabilis, prout in subscriptione conspicies.

LVD. Extititne aliquid noui ea in celebritate, aut memorabile, vltra decretum?

AND. Vltra nouitatem, nouorumve capitulorum fidei professionem in decreto contentorum, nil noui conspexi, nisi quod prout alii Latini patres ad summum pontificem accedunt, eidem osculando fimbrias, reuerentiam exhibendo, id pariter & Græci fecere, ac hymnum, Veni creator Spiritus, in Græco suauissimo cecinerunt cantu, ac Missam cunctasque ecclesiæ Latinæ ceremonias religiosissime ac reuerenter perceperunt, adoraueruntque. Missa Romanæ ecclesiæ more, summo pontifice celebrante, finita, ac demum solitis orationibus ac ceremoniis, quæ fieri assolent in sessionibus publicis, ad altare summi pontificis sede posita, prout moris est, ac cunctis præsentibus, imperatore Græcorum, ceterisque Græcorum patribus, reuerendissimus dominus cardinalis sanctæ Sabinæ in Latino primo, deinde Nicænus archiepiscopus in Græco, decretum legere, cuius decreti verba hæc fuere.

DECRETVM SEV DIFFINITIO.

Eugenius episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Consentiente ad infra scripta carissimo in Christo filio nostro Ioanne Palæologo Romæorum imperatore illustri, & locatenentibus venerabilium fratrum nostrorum patriarcharum, & ceteris orientalem ecclesiam repræsentantibus.

LÆTENTVR cali, & exultet terra: sublatus est enim de medio paries, qui occidentalem orientalemque diuidebat ecclesiam: & pax atque concordia rediit, illo angulari lapide Christo, qui fecit vtraque vnum, vinculo fortissimo caritatis & pacis vtrumque iungente parietem, & perpetuæ vnitatis fœdere copulante ac continente: postque longam mœroris nebulam, & dissidii diuturni atram ingentemque caliginem, serenum omnibus vnionis optatæ iubar illuxit. Gaudeat & mater ecclesia, quæ filios suos hæctenus inuicem dissidentes, iam videt in vni-

Concil. Tom. 33.

R r r

Extat Græce & Latine tomo præcedenti post sessionem 25. pag. 522.

tatem pacemque rediisse: & quæ antea in eorum separatione amarissime flebat, ex ipsorummodo mira concordia cum ineffabili gaudio omnipotenti Deo gratias referat. Cuncti gratulentur fideles vbiq; per orbem, & qui Christiano censentur nomine, matri catholice ecclesie collætentur. Ecce enim occidentales orientalesque patres post longissimum dissensionis atque discordie tempus, se maris & terræ periculis exponentes, omnibusque superatis laboribus, ad hoc sacrum œcumenicum Concilium, desiderio sacratissime vnionis, & antiquæ caritatis reintegranda gratia, læti alacresque conuenerunt, & intentione sua nequaquam frustrati sunt. Post longam enim laboriosamque indaginem, tandem Spiritus sancti clementia ipsam optatissimam sanctissimamque vnionem consecuti sunt. Quis igitur dignas omnipotentis Dei beneficiis gratias referre sufficiat? Quis tantæ diuinæ miserationis diuitias non obstupescat? Cuius vel ferreum pectus tanta supernæ pietatis magnitudo non molliat? Sunt ista prorsus diuina opera, non humanæ fragilitatis inuenta, atque ideo eximia cum veneratione suscipienda, & diuinis laudibus prosequenda. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio Christe fons misericordiarum, qui tantum boni sponse tuæ catholice ecclesie contulisti, atque in generatione nostra tuæ pietatis miracula demonstrasti, vt enarrent omnes mirabilia tua. Magnum siquidem diuinumque munus nobis Deus largitus est: oculis videmus, quod ante nos multi, cum valde cupierint, aspicere nequiuerunt.

Conuenientes enim Latini & Græci in hac sacrosancta œcumenica Synodo, magno studio inuicem vsi sunt, vt inter alia etiam articulus ille de diuina Spiritus sancti processione summa cum diligentia & assidua inquisitione discuteretur. Prolatis vero testimoniis ex diuinis scripturis, plurimisque auctoritatibus sanctorum doctorum orientalium & occidentalium; aliquibus quidem ex Patre & Filio, quibusdam vero ex Patre per Filium procedere dicentibus Spiritum sanctum, & ad eandem intelligentiam aspicientibus omnibus sub diuersis vocabulis; Græci quidem asseruerunt, quod id quod dicunt Spiritum sanctum ex Patre procedere, non hac mente proferunt vt excludant Filium, sed quia eis videbatur, vt aiunt,

ANNO
CHRISTI
1449.

ANNO
CHRISTI
1439.

Latinos asserere Spiritum sanctum ex Patre & Filio procedere tamquam ex duobus principiis & duabus spirationibus, ideo abstinerunt a dicendo, quod Spiritus sanctus ex Patre procedat & Filio. Latini vero asseruerunt, non se hac mente dicere Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere, vt excludant Patrem, quin sit fons & principium totius deitatis, Filii scilicet & Spiritus sancti; aut id, quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, Filius a Patre non habeat, siue quod duo ponant esse principia, seu duas spirationes, sed vnum tantum asserant esse principium, vnicamque spirationem Spiritus sancti, prout hactenus asseruerunt. Et cum ex his omnibus vnus & idem eliciatur veritatis sensus, tandem in infra scriptam sanctam & Deo amabilem, eodem sensu, eademque mente vnionem vnanimiter concordarunt & consenserunt.

In nomine igitur sanctæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus sancti, hoc sacro^o approbante vniuersali Florentino Concilio diffinimus, vt hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur & suscipiatur, sicque omnes profiteantur.

Quod Spiritus sanctus ex Patre & Filio æternaliter est, & essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre, simul & Filio, & ex vtroque æternaliter tamquam ab vno principio & vnica spiratione procedit. Declarantes, quod id quod sancti doctores & patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, vt per hoc significetur, Filium quoque esse secundum Græcos quidem causam, secundum Latinos vero principium subsistentiæ Spiritus sancti, sicut & Patrem; & quoniam omnia quæ Patris sunt, Pater ipse vnigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem: hoc ipsum, quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre æternaliter habet, a quo etiam æternaliter genitus est.

Diffinimus insuper, explicationem verborum illorum, Filioque, veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate, licite & rationabiliter symbolo fuisse appositam.

Item in azymo, siue fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, sacerdotisque in altero ipsum

Domini corpus conficere debere, vnumquemque scilicet iuxta suæ ecclesiæ, siue occidentalis, siue orientalis, consuetudinem.

Item si vere pœnitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omillis, eorum animas pœnis purgatoriis post mortem purgari; & vt a pœnis huiusmodi releuentur, prodesse eis fidelium viuorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes & eleemosynas, ac alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueuerunt secundum ecclesiæ instituta. Illorumque animas, qui post baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ post contractam peccati maculam in suis corporibus, vel eisdem exuta corporibus (pro ut superius dictum est) sunt purgata, in cælum mox recipi, & intueri clare ipsum Deum trinum & vnum, sicuti est, pro meritorum tamen diuersitate alium alio perfectius. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.

Item diffinimus, sanctam apostolicam sedem & Romanum pontificem in vniuersum orbem tenere primatum, & ipsum pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis apostolorum, & verum Christi vicarium, totiusque ecclesiæ caput, & omnium Christianorum patrem & doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regendi & gubernandi vniuersalem ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur.

Renouantes insuper ordinem traditum in Canonibus, ceterorum venerabilium patriarcharum, vt patriarcha Constantinopolitanus ^a secundus sit post sanctissimum Romanum pontificem, tertius vero Alexandrinus, quartus autem Antiochenus, & quintus Hierosolymitanus, saluis videlicet ^b priuilegiis omnibus & iuribus eorum.

Datum Florentiæ in sessione publica synodali, in ecclesia maiori solenniter celebrata, anno incarnationis dominicæ millesimo quadringentesimo trigesimo nono, pridie Nonas Iulii, pontificatus nostri anno nono.

^a Vide quæ diximus nota 21. collat. 11.

ANNO
CHRISTI
1439.

SUBSCRIPTIONES.

Eugenius catholicæ ecclesiæ episcopus ita diffiniens subscripsi.
Ego Antonius episcopus Ostiensis cardinalis Bononiensis, supradictas diffinitiones veras & catholicas esse affirmo, & illis me subscripsi.

Varietas lectionum hæc subscriptionum hic in margine postquam delumpta est ex regesto Eugenii IV. & sumpto Sixti IV. ac aliis Vaticanis codicibus.

* *Alias Branda.* Ego * Branda episcopus Portuensis subscripsi.
Ego Nicolaus cardinalis sanctæ Crucis subscripsi.
Ego Franciscus tituli sancti Clementis presbyter cardinalis subscripsi.
Ego Angelottus tituli sancti Marci presbyter cardinalis subscripsi.
Ego Iulianus tituli sanctæ Sabinæ presbyter cardinalis subscripsi.

* *de Colonna.* Ego Prosper sancti Georgii in Velabro diaconus cardinalis * subscripsi.
Ego Dominicus sanctæ Mariæ in Via lata diaconus cardinalis subscripsi.

* *Basilii.* Ego * Blasius patriarcha Hierosolymitanus subscripsi.
Ego Marcus patriarcha Gradensis subscripsi.
Ego Ioannes episcopus Morinensis, illustrissimi principis domini ducis Burgundiæ & Brabantiae orator, subscripsi.

* *Niuernensis.* Ego Ioannes episcopus * Niuernensis, eiusdem dicti domini ducis orator, signavi & interfui.

Ego Bartholomæus archiepiscopus Spalatenis subscripsi.
Ego Fantinus archiepiscopus Cretensis subscripsi.
Ego Iulianus archiepiscopus Pisanus subscripsi.
Ego Andreas archiepiscopus Colossensis subscripsi.
Ego Nicolaus archiepiscopus Capuanus subscripsi.
Ego Ludouicus archiepiscopus Florentinus subscripsi.
Ego Latinus de Vrsinis archiepiscopus * Tranensis subscripsi.

* *Tarentinus, alias Troianus.* Ego * Raimundus archiepiscopus * Consanus subscripsi.
* *Alias Benedictus.* Ego Iacobus episcopus Adriensis subscripsi.
* *Alias Compianus.* Ego Petrus episcopus Paduanus subscripsi.

Ego Daniel episcopus Concordiensis subscripsi.
Ego Antonius episcopus Portugallensis subscripsi.
Ego Bartholomæus episcopus Valuentis subscripsi.
* *Alias Fanensis.* Ego Thomas episcopus * Fanensis subscripsi.
Ego Christophorus episcopus Ariminensis subscripsi.
Ego Amicus episcopus Aquilensis subscripsi.
Ego Petrus Dignensis episcopus subscripsi.
Ego Ioannes Ferrariensis episcopus subscripsi.
Ego Valentinus episcopus Ortanus & Castellanus subscripsi.
Ego Ioannes episcopus Arbensis subscripsi.

* *Alias Boricius.* Ego * Bornocius episcopus * Fesulanus subscripsi.
* *Ecclianus.* Ego Carolus episcopus Senensis subscripsi.
Ego Andreas Hispanus Portugallensis episcopus Megarensis subscripsi.

Ego Carolus episcopus olim Mutinensis subscripsi.
Ego Nicolaus episcopus Tiburtinus subscripsi.

- Ego Antonius episcopus * Grossensis subscripsi.
 Ego Laurentius * Archarensis subscripsi.
 Ego Zanonus episcopus Baiocensis subscripsi.
 Ego Ludouicus episcopus * Treuifinus subscripsi.
 Ego Ioannes de Mella * confirmatus Legionensis subscripsi.
 Ego Gulielmus electus confirmatus Andegauensis subscripsi.
 Ego Angelus episcopus * Parentinus subscripsi.
 Ego Damianus episcopus * Afsinensis subscripsi.
 Ego Petrus episcopus Anfarensis subscripsi.
 Ego Matthæus episcopus Zaphathensis subscripsi.
 Ego Angelus de Grassis episcopus * Arianus subscripsi.
 Ego Petrus episcopus * Messanus subscripsi.
 Ego Bartholomæus episcopus Cauallicensis subscripsi.
 Ego Robertus de * Florentia episcopus Vulterrano subscripsi.
 Ego Antonius episcopus Cæsenæ subscripsi.
 Ego Donatus episcopus Pistoriensis subscripsi.
 Ego Scipio episcopus Mutinensis subscripsi.
 Ego Christophorus episcopus * Coronensis subscripsi.
 Ego Andreas episcopus * Conuerfanus subscripsi.
 Ego Alexius episcopus Clusinus subscripsi.
 Ego Garzias episcopus Tudenfis subscripsi.
 Ego G. episcopus Granatensis subscripsi.
 Ego Aimericus episcopus Montis regalis subscripsi.
 Ego Baptista electus * Theanus subscripsi.
 Ego Nicolaus episcopus Tricaricensis subscripsi.
 Ego Ioannes electus * Aganensis subscripsi.
 Ego Ioannes electus Ofiliensis subscripsi.
 Ego Gulielmus electus Leonensis subscripsi.
 Ego Andreas episcopus * Rossumentis subscripsi.
 Ego Matthæus episcopus * Tortonenfis subscripsi.
 Ego Iulianus electus * Citaridensis subscripsi.
 Ego Ioannes episcopus * Canapensis subscripsi.
 Ego Thaddæus episcopus * Acefuatenfis subscripsi.
 Ego Petrus Clerici archidiaconus Trecensis, ambasiator domini du-
 cis Burgundiæ & Brabantia, subscripsi.
 Ego Ambrosius generalis ordinis Camaldulensis subscripsi.
 Ego Gomefius abbas Florentinus subscripsi.
 Ego Ioannes de Vrsinis * Farfensis subscripsi.
 Ego Antonius abbas sancti Caprasii subscripsi.
 Ego Franciscus abbas sancti Leonardi subscripsi.
 Ego Federicus abbas * de Berto subscripsi.
 Ego Georgius abbas * de Ferentillis subscripsi.
 Ego Antonius abbas de Alfio subscripsi.
 Ego Bartholomæus abbas de Campofulonis subscripsi.
 Ego Sepulcrus abbas de * Vrano subscripsi.
 Ego Angelus abbas de Sexto subscripsi.
 Ego Paschasius abbas sancti Sepulcri subscripsi.

ANNO
CHRISTI
1419.

* Alio

* Graffia

* Alio e-

* pisco

* Acharensis

* Alio

* Terranen

* Eichen

* Banno

* Afsinensis

* Alio e-

* nensis

* Alio

* Malanen

* Alio e-

* nensis

* Sarcen-

* si

* Conu-

* fanen

* Alio

* Theanen

* Alio

* Aganen

* Alio

* Rossun-

* tenfis

* Alio e-

* nensis

* Alio e-

* nensis

* Alio

* Conu-

* fanen

* Alio e-

* nensis

* Alio

* Farfen

* sensis

* Alio e-

* nensis

* Alio e-

* nensis

* Alio

* Vran-

* o

ANNO CHRISTI 1439.
 * Alias Chonero
 * Alias Salui.
 Ego Benedictus abbas de * Ceneo subscripsi.
 Ego Iacobus abbas sancti * Salini subscripsi.
 Ego Aloysius abbas sancti Pauli ad Ripam Arni Pisani subscripsi.
 Ego Ioannes abbas de Thiro subscripsi.
 Ego Daniel abbas de Sauliano subscripsi.
 Ego Benedictus abbas sancti Pancratii subscripsi.
 Ego Franciscus abbas * de Pancriono subscripsi.
 Ego Ioannes * Granant. abbas de Ripolis subscripsi.
 Ego Angelus abbas sancti * Michaelis de Pistorio subscripsi.
 Ego Nicolaus abbas monasterii sancti Modesti * subscripsi.
 Ego Iacobus abbas sancti * Saluatoris de Fenzoe subscripsi.
 Ego A. abbas Montis pian. Pistoriensis diocesis subscripsi.
 Ego Petrus abbas * sancti Petri de Floren. subscripsi.
 Ego M. abbas sanctæ Mariæ de Diciano subscripsi.
 Ego * Santellemen. abbas de Bibona subscripsi.
 Ego Laurentius Dal abbas de * Culuos subscripsi.
 Ego Federicus abbas monasterii sancti Pantaleonis de Luca subscripsi.
 Ego Lucas abbas * Stuart. in Alpibus subscripsi.
 Ego Iacobus abbas sancti Petri de Massa subscripsi.
 Ego frater Ioannes abbas sanctorum martyrum Cordubensium subscripsi.
 Ego Gulielmus abbas sancti Saluatoris Burdigalensis subscripsi.
 Ego Tonus Lucas abbas Petrariat. subscripsi.
 Ego Georgius abbas sancti Petri de Eugubio subscripsi.
 * Sum
 Ego Antonius abbas sancti Saluatoris & Vigili de * Sen' subscripsi.
 Ego abbas sanctæ Mariæ de * Morone subscripsi.
 Ego abbas * sanctæ Gaudæ subscripsi.
 Ego Gabriel abbas sancti Iacobi de Pontida subscripsi.
 Ego Dionysius abbas sanctæ Mariæ de * Sardin' Sagiensis subscripsi.
 Ego Timotheus abbas sancti Andree de Mantua subscripsi.
 Ego frater Gulielmus generalis Minorum subscripsi.
 Ego frater Gerardus generalis Augustinensium subscripsi.
 Ego Placidus generalis Vallis vmbrosæ subscripsi.

Blondus.

Subscriptiones Græcorum.

Ioannes Palæologus in Christo Deo fidelis rex & imperator Romanorum.
 Antonius humilis archiepiscopus Heracleensis, præsidens Edessenorum, & primas totius Macedoniæ, & locumtenens apostolicæ sedis sanctissimi Philothei patriarchæ Alexandrini, subscripsi.
 Gregorius sacer monachus, magnus protosyncellus, & * spiritualis, ac vicarius apostolicæ sedis domini nostri Philothei patriarchæ Alexandrini, subscripsi.
 Isidorus archiepiscopus Kiouiensis, ac totius Russiæ, ac locumte-

* Græce *ἡγεμὸν*, quo nomine appellatur qui est a confessionibus: erat autem Gregorius a confessionibus imperatoris, ut ait Georgius Franza in chronico lib. 2, cap. 17.

- nens apostolicæ sedis sanctissimi patriarchæ Antiocheni domini Dorothei, affirmans & satisfaciens, subscripsi. ANNO CHRISTI 1439.
- Dositheus archiepiscopus Monembasiensis locumtenens apostolicæ sedis sanctissimi patriarchæ Hierosolymitani Ioachini, sequendo subscripsi.
- Dorotheus archiepiscopus Trapezuntius sequendo subscripsi.
- Metrophanes archiepiscopus Cyzici subscripsi.
- Bessarion miseratione diuina archiepiscopus Nicænus sequendo subscripsi.
- Macarius archiepiscopus Nicomediæ subscripsi.
- Methodius humilis archiepiscopus Lacedæmonienensis subscripsi.
- Ignatius archiepiscopus Tornoui sequendo subscripsi.
- Dorotheus archiepiscopus Mitylenensis, locumtenens archiepiscopi Sidenensis, sequendo subscripsi.
- Damianus archiepiscopus Moldoblachia, & locumtenens Sebastienensis archiepiscopi, subscripsi.
- Ioasaph humilis archiepiscopus Amasiensis subscripsi.
- * Barkanoel archiepiscopus Rhodi & Cycladum insularum, subscripsi. * Anno Christi 1439.
- Callistus archiepiscopus Dristæ sequendo subscripsi.
- Mathæus archiepiscopus Mellenici sequendo subscripsi.
- Gennadius archiepiscopus Sauri sequendo subscripsi.
- Dositheus archiepiscopus Dramæ sequendo subscripsi.
- Bessarion archiepiscopus Nicænus per mandatum scriptum & subscriptum a Manuele magno sacellario Chrisococo diacono, eius depositionem hic subdesignando, ipsum hic demonstro eadem nobiscum sapere & consentire, ac omnes qui hic sunt, sequi.
- Theodoricus magnus sceuophylax Xanthinopolus diaconus subscripsi.
- Michael Balsamon magnus chartophylax archidiaconus subscripsi.
- Siluester Siopolus magnus ecclesiarchus & dicæophylax, subscripsi.
- Georgius Cappadocius * protodicus diaconus subscripsi. * protodicus.

Hic debent esse episcopi Russe.

- Constantinus primus presbyter, & vicarius Moldoblachia, subscripsi.
- Moyfes sacer monachus, ecclesiarchus venerabilis ac sacri regalis sancti Montis magnæ Lauræ, & ipsius locumtenens, subscripsi.
- Dorotheus sacer monachus, vicarius venerabilis & sacri Montis sancti magni monasterii Vatepedi, subscripsi.
- Gerontius sacer monachus, olim prior venerabilis sacri regalis monasterii Christi omnipotentis, subscripsi.
- Athanasius abbas monasterii Circumspecti subscripsi.
- Germanus olim abbas sancti Basilii subscripsi.
- Pachomius sacer monachus & abbas sancti Pauli, subscripsi.

ANNO
CHRISTI
1439.

Letto decreto solenniter, & subscripto, Græci ad patriam reuersuri discedunt Florentia.

AND. **H**IS omnibus expeditis, die XXVI. Augusti so- Num. XI.
lenniter per totum sacrum cardinalium col-
legium sociati imperator Græcive, ex Florentia ad pa-
triam^a redeuntes exiuerunt, associantibus eundem de-
mum per territorium Florentinum cardinalibus tribus,
ac multis aliis: hisque sanctissimæ vnionis optatus finis
impositus est. Capiēs hæc, frater optime, quæ quidem
etsi facundius, non tamen recte proprieve referri potuif-
sent: & retuli prout fuere, verbisve propriis eorum qui
ea protulere, ne verborum ornamento a gestorum ve-
ritate diuertere iudicaretur. Plurima quæ in secreto sunt
gesta, aliis referenda dimisi, qui his interfuere: hæc, quæ
publice gesta sunt, continent, nulla a re ipsa mutata sen-
tentia. Vale.

^a Venetiis in-
gressi gales,
vt supra dixit
imperator hæc
eadem colla-
tione num. 6,
& testatur
Græcus scrip-
tor in fine
sessionum.

LVDOV. E. tu vale.

*In supradictorum confirmationem opportune hæc subiicimus
ex manuscripto codice bibliothecæ Heidelbergæ Romam in Va-
ticanum aduectæ fol. 272. tenoris vt sequitur.*

Anno Domini 1439. die Lunæ sexta mensis Iulii facta
fuit sessio solennis in maiori ecclesia Florentina, in qua
Græci fuerunt reducti ad fidem nostram & obedien-
tiam Romanæ ecclesiæ. Imperator, nobiles Græci, lega-
ti domini imperatoris Trapezuntii, legati regis Ibe-
rorum, Rutheni archiepiscopi, & episcopi ipsorum, nec
non omnes alii, qui erant in numero quingenti, genibus
flexis ad papam accesserunt, & osculati sunt sibi manus,
prout moris est. Latini cantarunt hymnum, Veni creator
Spiritus, & Te Deum laudamus. Deinde Græci more suo
cum maxima deuotione in Græco similia cantarunt, &
fuit celebrata Missa solennis per papam. Post Missam fuit
lecta bulla decreti per cardinalem sancti Angeli in Lati-
no: in Græco autem fuit lecta bulla per vnum archiepisco-
pum Græcum, & bulla fuit scripta in Latino & in Græ-
co, in vna charta. In medio chartæ, videlicet per longitu-
dinem chartæ, erat vna linea, sicut fit in quinternis, in qui-
bus scribuntur iura: ab vna parte fuit scripta bulla in La-

Concil. Tom. 33.

S ff

tino, & subscripta per papam, cardinales, & alios prælatos: ab alia vero parte fuit scripta in Græco pulcherrime simili modo sicut Latina, & subscripta per imperatorem cum incausto rubeo. Per quadragintafex vero, patriarchas & archiepiscopos Græcos, Trapezuntios, Iberos & Ruthenos, fuit subscripta cum incausto nigro in simili forma in litera Græca, sicut nostra bulla Latina. *Hæc ibi.*

Supradictum decretum pro Græcis extat etiam in bullario Romano sub Eugenio, & unum ex originalibus in pergameno Latine & Græce scriptum, manu Eugenii papæ & cardinalium nigris, nec non imperatoris Græcorum rubris characteribus subscriptum, vidi in archiuo basilicæ sancti Petri, quod iterum refertur infra in decreto pro Iacobinis transumpto ex alio originali, ut ibi dicemus.

Legi in quodam veteri manuscripto penes illustrissimum dominum Carolum Strozium, Iulianum Cæsarinum cardinalem donasse rei publicæ Florentinorum originalia unionis Græcorum, Armenorum & Iacobinorum, cum ecclesia Romana, in quadam capsula argentea, quam capsulam & in ea seruata originalia, in thesauro reliquiarum existenti in sacello sancti Bernardi in veteri palatio magni ducis Etruriæ, retulit mihi se vidisse eruditissimus dominus Ferdinandus Ughellus abbas sanctorum Vincentii & Anastasi ad Aquas Saluias ordinis Cisterciensis.

Extant in valuis æneis iussu Eugenii papæ IV. in maiori porta basilicæ sancti Petri collocatis, insculpta nobiliora eiusdem pontificis monumenta, inter quæ apparet publica sessio presentibus papa, imperatore, eiusque fratre despoto, ac patrum senatu, Florentiæ habita, in qua a cardinali sanctæ Sabine & archiepiscopo Nicæno legitur decretum fidei. Subinde insculptus etiam cernitur discessus imperatoris Venetias versus, ubi trirēmim ingreditur Constantinopolim rediturus, ut hic in gratiam lectoris imprimi curauimus.

ANNO
CHRISTI
1439.



Hoc decreto fidei per orbem transmissio, & in specie ad patriarcham Alexandrinum, sic illum rescripsisse habetur in Vaticano codice.

Literæ patriarchæ Alexandrini ad sanctissimum dominum Eugenium papam IV.

Philotheus miseratione diuina papa & patriarcha magnæ ciuitatis Alexandriae ac totius Ægypti.

PATER sanctissime, pater beatissime, religiosissime, iustissime, terrestris angele, & cælestis homo, qui cum gratia Dei indutus, cum sacra veste ornatus, boni gregis optime pastor, qui doctrina tua irruentes lupos ab ouibus vniuersalis ouilis depellis, Christi nostri benefactoris patrocinio, deinde principis apostolorum Petri, petra fidei, caput omnium Christianarum ecclesiarum, qui ex Christo Iesu Domino nostro. sacram potestatem accipiens,

Concil. Tom. 33.

S ff ij

* Nomen papæ vna cum iure legationis ad Concilium Ephesinum, & Cælestino papa concessum sancto Cyrillo patriarchæ Alexandrino, & per successores continuatum, affirmat Niceph. lib. 14. cap. 14. dubitat Baronius tom. 5. anno 410. num. 26. & in notis ad martyrolog. sub die 10. Ianuarii.

papa magnæ vrbis Romanorum, & protector ceterorum patriarcharum factus es, comminister & frater in Spiritu sancto, domine sancte papa Eugeni, sit tibi gratia, magnificentia simul & gloria a Deo Patre omnipotente, & Domino nostro Iesu Christo, qui tribuens suis discipulis pacem in sancta Sion, *Pacem*, inquit, *meam do vobis, pacem relinquo vobis*. Non sicut ad ceteras gentes, sed per igneas linguas illis aduenit^a, aperiensque corda eorum, adimplens eos quantum quisque capere poterat, ac sic institutos in vniuersum orbem ipsos dimisit: quantum naturalis ac gentilis philosophiæ indocti fuerant, tanto veræ scientiæ & iustitiæ rudimenta susceperunt. Hanc igitur gratiam, pacem ac benedictionem in maxima tua beatitudine primo, deinde in sanctis fratribus meæ moderationis, pontificibus, sacerdotibus, omnibusque Christiano nomine appellatis, idem spiritus multiplicare dignetur, intercedentibus ad hoc munus perfectissima regina ac Dei genitrice Maria, beato Marco apostolo & euangelista, ac demum omnibus sanctis Dei. Amen.

Ioan. 14.

^a Per Spiritum sanctum: nam statim subdit idem Spiritus, &c.

^b id est, mea humilitas audivit & legit opera tue sanctitatis, que refero, ut scilicet, &c.

^c decreta.

^b Mea humilitas, pater beatissime, audiens quæ tuæ magnæ sanctitati a filio meo in Spiritu sancto fratre Alberto monacho ordinis Minorum misso in Ægyptum, refero, ut scilicet huc ad nos veniens, detulerit sanctissimas literas tuæ sanctitatis, quas diligentissime legi iussimus, & contenta in illis^c mandata de sacra & œcumenica Synodo, cum omnibus patribus, locatinentibus sanctorum patriarcharum, & potentissimo imperatore nostro Ioanne Palæologo, ac omnibus pontificibus ac doctoribus orientalibus ac occidentalibus sanctis, intelleximus cognouimusque, quo pacto vnio & pax in tota catholica ecclesia celebrata est, caritate perfecta, anima vna, fide vna ac symbolo, abiectoque schismate & inimicitia, in patriam communem ac iustitiam, Dei omnipotentis amor & pax inuocata sunt per gratiam, miserationem pietatemque Domini nostri Iesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Lectis igitur sanctissimis literis tuis, perfectissime pater, omnes adorationis gratias egimus Domino nostro Iesu Christo de tam excellentissimo dono ecclesiæ suæ catholicæ elargito, huic nostræ alacritati aliud* quodque

ANNO
CHRISTO
1419.

ANNO
CHRISTI
1439.

latitiæ genus additum est. Siquidem eodem pene momento quo dominus frater Albertus huc accesserat, reddita sunt mihi literæ ex magna vrbe Constantinopoli ferentissimi domini imperatoris, & locum nostrum tenentium patrum, quorumdamque nobilium, perlata manibus perferatissimi fratris meæ moderationis metropolitæ Rhodi domini Anathermetis: legimusque vtrasque, Græcas scilicet & Latinas, contulimusque eas, orationem orationi, versum quoque versui; & similes omnino illas reperimus, stipulatas subscriptionibus sanctorum patrum ac fratrum, archiepiscoporum & magistrorum orientalium & occidentalium, obsignatas sigillis tuæ magnæ sanctitatis, & potentissimi principis domini imperatoris. Vnde cum nostris Ægyptiis pontificibus & ceteris clericis nostris statuimus, vt vbique in omnibus Christi ecclesiis inter Misfarum solennia præ ceteris patriarchis memoriam tuæ beatitudinis faciamus, sicut in sacris Canonibus cautum est. Ego vero, pater beatissime, decretum sacræ Synodi summa veneratione suscipiens, in pectore meo æterna inspectione infixi, sequi instituens tuæ sanctitatis vestigia sacra, & Synodos, & apostolicos Canones. Agimus præterea gratias Deo piissimo cum iis populis Christianis, quod nos tanto dono dignos efficere voluerit, constitueritque nos omnes, vt sub auctoritate & potentia tuæ sanctitatis regamur, atque sub vmbra alarum tuæ pietatis doceamur. Te autem, pater beatissime, felicem, summæque beatitudinis dignum esse omnes gentes existimabunt. Nam fons vitæ in euangelio beatos dixit ac filios Dei, qui pacem hominibus comparant. Et certe beatus es, pater sanctissime. Multi enim sanctorum pontificum ac regum cupierunt videre hoc vnionis munus, & non potuerunt. Tu vero non solum hoc præ ceteris assequi meruisti, sed & summam mercedem habebis, coronaque veritatis cum omnibus iustis coronaberis. Amen.

Scriptis mea humilitas literas ad potentissimum principem dominum imperatorem, & ad quosdam pontifices Constantinopolim, significans, vt si quis ea quæ in sacra Synodo decreta ac diffinita sunt, non recipit, tamquam tyrannus & hæreticus habeatur, decidatque a communionem sanctæ catholicæ ecclesiæ. Inclino meipsum, pater

Sff iij

beatissime, sub scabello pedum sanctitatis tuæ, cum qua sit gratia, beatitudo & pax cum omnibus vtriusque ordinis viris sub tua potestate constitutis, & benedictio tuæ beatitudinis sit cum omnibus nobis. Amen.

Inferius literis magnis scriptum sic erat.

Philotheus miseratione diuina papa & patriarcha magnæ ciuitatis Alexandria & totius Ægypti.

NOTÆ AD VIGESIMAM SECUNDAM
COLLATIONEM.

¹ *Antirrhefis.*] Sic Græco vocabulo vocat responsiones ad auctoritates adductas ab Eunomio, qui est libro quinto aduersus eundem, capite cuius titulus est, *Quod participant de creatore, quæ ad imaginem eius facta sunt*, in fine.

² *Conditio.*] Scilicet aduersus Eunomium in illa auctoritate, quod Filius sit secundus a Patre, & Spiritus secundus a Filio, de qua satis supra dictum est.

³ *Concedamus.*] Verba scilicet, *et si hoc concedamus*, per suppositionem dicta in aliis auctoritatibus Basiliæ, vt addebat Ephesinus, de quibus satis supra collationibus præcedentibus.

⁴ *Arium.*] Cuius titulus est, *De incarnatione Christi, vel de humana natura Christi*, in editione Parisiensi anno 1572. tomo 3. In editione vero Commeliniana Græco-Latina anno 1600. tom. 1. in quarum editionum textu Latino non legitur, & *Filii*, cum tamen in textu Græco ibidem e regione posito legatur, videlicet: *Si enim non est substantiæ Patris & Filii Spiritus sanctus*: in qua etiam lectione deest illa præpositio, *de*, videlicet, *de substantia Patris & Filii*, vt legit ex Græco hic prouincialis, ac etiam refert Græcus scriptor sessione 20.

⁵ *Cyrilli.*] Præsertim ex eius epistola ad Theodoretum, quæ incipit, *Cum Saluator noster*, & in declaratione noni anathematis, de quibus supra: vnde etiam apparet in quo sensu dicat Cyrillus, se calumniam passum, de quo supra Ephesius. nam Cyrillus semper persistit in sententia processionis a Filio.

⁶ *Cardinalis.*] Hæc responsio cardinalis necessario præsupponit dixisse etiam Russ. quod ponit Græcus scriptor sessione 25. videlicet, *Qui solus certat in stadio, victoriam adeptus videtur.*

⁷ *Referenda.*] Græcus scriptor sessione 25. ante medium, quæ correspondet huic collationi, ait, Bessarionem habuisse orationem dogmaticam seorsum ad Græcos de vnione. Hanc ipsemet Bessarion ex Græca Latinam fecit, imo & auxit: ideo in editione actorum Concilii Græce & Latine editorum posita e regione textus Græci, in aliis quibus sibi inuicem non correspondent. Eam ex Vaticano codice manuscripto Latino in fine huius operis exhibemus.

ANNO
CHRISTI
1439.

¹ *Viarum.*] Sanctus Antoninus, qui Concilio praesens interfuit, in sua historia tit. 22. cap. 13. haec ait: *Cum Eugenius Florentiam tenderet, insidia ei in via paratae sunt ad capiendum eum: sed detectis eis, declinauit a via recta, alteram insuetam assumens, & periculum euadens.*

² *Patriarcham.*] Cuius, vt Graecus scriptor refert sessione 25. haec fuit postrema sententia, mentisque testatio: *Ioseph miseratione diuina archiepiscopus Constantinopolis noua Roma, & oecumenicus patriarcha.*

Quoniam ad finem vitae meae perueni, soluturus iam commune debitum, Dei gratia scribo & subscribo sententiam meam aperte, vniuersitati meorum filiorum. Omnia igitur qua sentit & qua dogmatizat catholica & apostolica ecclesia Domini nostri Iesu Christi senioris Roma, ipse quoque sentio, & iis me acquiescentem do ac dico. Profiteor quoque beatissimum patrem patrum, & maximum pontificem & vicarium Domini nostri Iesu Christi, antiquae Romae papam, nec non purgatorium animarum: in horum quippe fidem subscriptum est die mensis Iunii nono, 1439. indictione secunda.

Vtinam haec subscriptio religiosissimi viri legeretur: non enim in ea cerneretur ab apostolicae sedis obsequentissimo vsurpatum nomen oecumenici in titulo huius sententiae a scriptore quopiam appositum, vt obseruat etiam Arcudius in notis ad epistolam generalem Bessarionis, vna cum aliis eiusdem Bessarionis opusculis editam. Sed quamuis etiam daremus, hoc titulo se subscripsisse patriarcham, non ideo inferitur, quod nonnulli exaggerant, toleratum fuisse hunc titulum patriarchae ab Eugenio papa in Concilio Florentino. Quid enim commune habet papa & Concilium cum subscriptione priuatum in cubiculo facta, quae nec publice lecta dignoscitur? Hunc titulum oecumenici, id est vniuersalis, sanctus Gregorius papa aduersus Ioannem patriarcham, qui primus hunc sibi titulum temere assumpsit, ita est interpretatus, vt sibi ipsi etiam denegauerit. Interpretatus est enim priuatiue quoad omnes alios, ita vt qui se inscriberet oecumenicum, id est vniuersalem, omnes alios patriarchas & episcopos censeret esse priuatos, & se solum pastorem crederet habitabilis terrae. Sic enim ait epistola 38. libri 4. quam refert etiam Baronius tom. 8. anno 595. num. 31. *Nullus sibi hoc temerarium nomen arripuit, ne cum sibi in pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegasse videretur.* & epistola 32. *Nullus unquam hoc singularitatis vocabulum assumpsit, ne dum priuatum aliquid datur vni, honore debito sacerdotes priuarentur vniuersi.* Ceterum Innocentius III. papa aliam etiam intelligentiam tribuit huic titulo oecumenici, secundum quam respondendo Ioanni patriarchae Constantinopolitano, docet conuenire soli Romano pontifici. Sic enim ait epistola 198. libri 2. quam refert idem Baronius tom. 9. anno 787. num. 8. *Dicitur vniuersalis ecclesia illa vna, qua ex vniuersis constat ecclesiis, qua Graeco vocabulo catholica nominatur: & secundum hanc acceptionem vocabuli, ecclesia Romana non est vniuersalis ecclesia, sed pars vniuersalis ecclesiae, prima videlicet & praecipua, veluti caput in corpore,*

quoniam in ea plenitudo potestatis existit: ad ceteras autem pars aliqua plenitudinis deriuatur. Dicitur etiam vniuersalis ecclesia illa vna, qua sub se continet vniuersas ecclesias: & secundum hanc nominis rationem Romana tantum ecclesia vniuersalis nuncupatur, quoniam ipsa sola singularis priuilegio dignitatis ceteris est prelata. Sed & Deus vniuersalis Dominus appellatur, non quasi diuisus in species, aut specialissimas, aut subalternas, sed quoniam vniuersa sub eius dominio continentur. Hæc Innocentius papa. Atque hoc secundo significato tituli vniuersalis Romanam ecclesiam vniuersalem appellauit Sixtus papa primus tomo 1. Conciliorum, epistola 2. Sixtus, inquit, vniuersalis apostolica ecclesia episcopus, omnibus episcopis in Domino salutem. Qui titulus idem est ac ille Zephyrini papæ in edicto, quod carpit Tertullianus libro de pudicitia, capite primo, de quo plura Baronius tomo 2. anno 216. num. 4. Zephyrinus pontifex maximus episcopus episcoporum. Eodemque significato nemini ab vniuersali Concilio reperitur attributus titulus vniuersalis, nisi soli pontifici Romano Leoni magno a Concilio Calchedonensi, non solum in epistolis eidem pontifici ab Alexandrinis directis, & in Concilio publice lectis, vt in prima parte eiusdem Concilii: verum etiam in titulo epistolæ ab ipso Concilio pro confirmatione gestorum eidem pontifici transmissæ, vt in tertia parte Concilii numero secundo. Et quamuis hodie in ea epistola hic titulus alicuius dolo librarii non legatur, vt obseruat Baronius tomo 6. anno 451. num. 150. in eius tamen inscriptione, vel alibi, hunc titulum fuisse a sacro Concilio Leoni attributum, omni certitudine affirmandum est: sic enim ait sanctus Gregorius libro quarto, epistola 36. ad Eulogium: *Vestra sanctitas nouit, quod vni per sanctam Calchedonensem Synodum pontifici sedis apostolica (cui Deo disponente deseruio) hoc vniuersitatis nomen oblatum est. Quod vero subdit: sed nullus vnquam decessorum meorum hoc tam profano vocabulo vti consensit: obseruat Baronius vbi supra, esse intelligendum ita, vt nemo Romanorum pontificum eo titulo ex solenni ritu semper & in omnibus inscriptionibus vel subscriptionibus vsus sit: atque in eundem sensum locutus videtur Leo IX. epistola ad Michaelem patriarcham, quam refert etiam Baronius tomo 11. anno 1054. numero 12. cuius hæc sunt verba: Qualis vero & quam detestabilis atque lamentabilis est illa sacrilega vsurpatio, qua te vniuersalem patriarcham iactas vbi que & scripto & verbo, cum omnis Dei amicus huiusmodi hactenus horruerit honorari vocabulo? Et quis post Christum conuenientius posset insigniri hoc vocabulo, quam cui dicitur diuina voce: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam? Verum tamen, quia ille non inuenitur vniuersalis apostolicus dictus, quamuis princeps apostolorum sit constitutus, nullus successor eius tam prodigioso prænominis consensit appellari, licet magno Leoni prædecessori nostro & successoribus eius hoc sancta decreuit Calchedonensis Synodus. Et infra: Ecce ille Ioannes vester, cuius vesana adinventionis adhuc heredes permanetis (de Ioanne patriarcha loquitur, qui primus sibi œcumenici prænomen indidit,) qui secundum psalmistam per vos adhuc vocat nomina sua in terris suis,*

ANNO
CHRIST.
1419.

ANNO
CHRISTI
1439.

suis: cum interit, non sumpsit omnia, neque descendit cum eo gloria eius in infernum: ipse a beatissimis pontificibus Pelagio & Gregorio successoribusque eorum pro hac insolentia anathematizatus, in sua pertinacia irrevocabilis perit, iamque per quadraginta & quadringentos annos sue contumacia sequaces precipitare non cessat. Hæc Leo IX. Sed & Hadrianus papa in epistola ad Constantinum & Irenem Augustos, quæ extat in actis septimæ Synodi actione 2. hæc ait: Valde mirati sumus, quod in vestris imperialibus iussis pro patriarcha regia urbis (scilicet Tarasio, directis) uniuersalem ibidem cum reperimus exaratum; sed utrum per imperitiam vel heresim iniquorum scriptum est, ignoramus: sed deinceps suademus vestra clementissima imperialique potentia, ut minime in suarum exarationum serie uniuersalis describatur, quia contra sanctorum Canonum instituta, seu sanctorum patrum traditionum decreta esse videtur. In secundo enim ordine non nisi per sanctæ nostræ catholicæ & apostolicæ ecclesiæ auctoritatem valuit nomen habere; quod nimirum si uniuersalis super prelatam sibi sanctam Romanam ecclesiam, quæ est caput omnium Dei ecclesiarum, describatur, tamquam sanctarum Synodorum rebellem atque hereticum manifestare se, certum est. Quod si uniuersalis est, etiam ecclesiæ nostræ sedis primatum habere dignoscitur, quod ridiculum omnibus fidelibus Christianis apparet, quia in toto orbe terrarum ab ipso redemptore mundi beato Petro apostolo principatus & potestas data est, & per eundem apostolum, cuius vel immeriti vices gerimus, sancta catholica & apostolica Romana ecclesia hæctenus & in eum tenet principatum ac potestatis auctoritatem, quatenus (quod non credimus) si quispiam eum uniuersalem nuncupauerit, vel assensum tribuerit, sciat se orthodoxæ fidei esse alienum, & nostræ catholicæ & apostolicæ ecclesiæ rebellem. Hæc Hadrianus. Certe ipse sanctus Tarasius, quem etiam Romana ecclesia inter sanctos relatum veneratur in martyrologio die 25. Februarii, nusquam hunc titulum reperitur vsurpasse: nec mirum si in actis præfatæ septimæ Synodi, præfertim actione secunda, ab aliquibus inter dicendum inueniatur ei attributus, etiam coram præsidentibus legatis apostolicis: nec enim singulorum vota poterant præuideri, nec ad vitanda scandala de singulis erat agendum, incumbentibus legatis apostolicis definitioni de sacrarum imaginum veneratione, propter quam fuerat Synodus conuocata. Ideo forte Baronius tomo 9. anno 787. num. 8. in fine, dicit hunc titulum patriarchæ Constantinopolitano, licet nunquam approbatum, toleratum tamen a Latinis fuisse. Indulgentius loquitur, & quidem nimis Azorius tom. 2. lib. 4. cap. 4. in fine, dum ait, post Photium patriarcham Romanis pontificibus annuentibus hunc titulum vsurpari a Grecis captum esse. Ceterum Anastasius bibliothecarius in præfatione septimæ Synodi alloquens Ioannem VIII. summum pontificem, sic ait: In eo sane, quod frequenter uniuersalem in hac Synodo Greci patriarcham suum appellant, apostolatus vester Græcorum adulationi veniam det, prelati suis non sine reprehensione placere studentium. Verum cum apud Constantinopolim positus frequenter Græcos super hoc vocabulo reprehenderem, & fastus arrogantiam redarguerem, asserebant quod non ideo œcu-

menicum dicerent patriarcham, quod vniuersi orbis teneat presulatum, sed quod cuidam parti presit orbis, qui a Christianis inhabitatur. Hæc Anastasius, frigide admodum, vt recte ait Baronius tom. 9. anno 787. num. 7. excusantes Greci errorem, atque absurde nimis. Etenim hac ratione, quia œcumenicum dici posse suum ipsorum patriarcham professi sunt, quod etsi non orbi, loco tamen & habitationi eiusdem preeset, ceteri omnes episcopi œcumenici pariter dici possent, quod quilibet eorum habitabili orbis loco presit. Ceterum si ex diuinis scripturis eius nominis petatur interpretatio, quod apud septuaginta, qui Græce eloquia diuina scripsere, οἰκουμένη saepe habetur, Latini interpretes, vt est videre frequenter in psalmis, orbem terra, siue orbem terrarum translulere, ex eius vocis proprietate, quam Greci secundum Græcos interpretes quotidie psallentes ignorasse minime potuerunt, qui tam inepte redargutionem Anastasii eluserunt. Hæc Baronius.

¹⁰ Repetierunt.] Id est, replicauerunt cedulam Ferraria deductam. In ea enim ciuitate priuatas disputationes nonnulli deputati hinc inde egerunt de purgatorio, vt supra dixit Andreas prima collatione: & primo, An purgatorium sit: secundo, An poena ignis corporei ibidem sit. Et quidem quod purgatorium sit, conuenerunt Græci. De poena autem ignis corporei nil in infra scripta cedula dicitur, neque in diffinitione Concilii. Quapropter hic articulus de igne corporeo in loco purgatorii quamuis verissimus sit, vt communis opinio affirmat, adhuc tamen non est de fide, vt obseruant Bellarminus de purgatorio lib. 2. capite 11. Suarez in 3. parte, tomo 4. disputatione 46. sectione 2.

¹¹ Donec.] Moderna translatio sic habet: *Quamobrem vt simul & humana natura relinqueretur dignitas libera voluntatis, & ipsum auferretur malum, hanc diuina sapientia rationem excogitauit, vt in his hominem esse sineret, qua sibi ipse elegerat, quo gustatis malis qua concupierat, experiendoque discens, qua quibus commutasset, rursus incenderetur, vt vitiorum onere deposito, vel in presenti vita precibus sapientiaque studio purgatus, vel post obitum expurgantis ignis fornace expiatus, ad pristinam vellet redire felicitatem.*

¹² Hadrianus.] Habetur hæc epistola actione secunda septima Synodi ex versione Anastasii, & apud Baronium tomo 9. anno 785. numero decimoquarto. Post dicta prouincialis subsumit cardinalis, epistolam Hadriani fuisse receptam in Concilio, eadem scilicet actione secunda.

¹³ Consilium.] Inter varias lectiones in margine illius epistolæ adnotatas posset etiam hæc apponi. Nam ibi loco horum verborum, *re-ctum consilium demonstrans*, hæc leguntur, *beneuolentiam preferens*: quæ nullum sensum ad rem continent.

¹⁴ Conuocandi.] Id est, sequitur in particula *pascendi* contineri etiam potestatem *conuocandi*, vt ipse prouincialis magis explicat infra hac eadem collatione num. 7. Nam verbum *conuocandi* explicite non legitur neque in cedula, neque in diffinitione.

¹⁵ Contrarius.] Cum dicit capite 13. *ante diem festum pascha,*

ANNO
CHRISTI
1439

ANNO
CHRISTI
1439.

quasi inde colligatur, quod cum esset ante festum paschæ, non erat
necesse comedere in azymo.

¹⁶ *Prolata.*] Scilicet, *Hoc est enim corpus meum*; & *Hic est enim calix*, &c. sint forma essentialis sacramenti eucharistiæ. Hinc apparet, quod alia etiam cedula circumferebatur propter hæresim neoteri-
corum Græcorum Cabasilæ & Marci Ephesii, contendentium ver-
ba illa liturgiæ Græcæ, *Fac panem hunc preciosum corpus Christi tui;*
quod autem in poculo, preciosum sanguinem Christi tui transmutans Spi-
ritu sancto tuo; esse de essentia formæ, de quibus vide Arcudium in
Concordia lib. 3. cap. 27. Cur autem hic error non sit damnatus in
diffinitione, dicitur infra eadem collatione num. 8. & 9.

¹⁷ *Appellavit.*] Ad sedem scilicet apostolicam ab iniustitia secun-
dæ Synodi Ephesinæ damnatæ, in qua & fuit occisus. Vide apud Bi-
nium in notis eiusdem Synodi, seu Conciliabuli, tomo 1. Concil. par-
te 2. editionis Colonienfis.

¹⁸ *Fidei.*] Nam quæ statuerant de primatu sedis Constantinopoli-
tanæ post Romanam, & supra Alexandrinam, noluit approbare, imo
expresse reprobavit Leo. Vide Baronium tomo 6. anno 452. num. 9.
& 453. num. 5. & tom. 12. anno 1191. num. 52.

¹⁹ *Temporalis.*] Quod si tyrannice & de facto facta sit aliqua con-
uocatio Concilii sine auctoritate sedis apostolicæ, semper vt Conci-
liabulum fuit reputatum, donec assensus & confirmatio eiusdem
apostolicæ sedis accefferit. Vide Baronium tom. 7. anno 553. num.
223. & seq. & anno 554. num. 4. & 555. num. 11. & 556. num. 2. &
557. num. 2.

²⁰ *Episcopum.*] Petro successit Euodius, Euodio Ignatius. Vide Bar-
on. tom. 1. anno 39. num. 18. & anno 71. num. 13.

²¹ *Leo.*] Canonem Calchedonensem de primatu Constantinopo-
litanae ecclesiæ post Romanam a sancto Leone papa fuisse reproba-
tum expresse, vide apud Baronium tom. 6. anno 452. num. 9. & 453.
num. 5. & tom. 12. anno 1191. num. 52. Imo nec Nicolaus papa I. illum
Canonem agnoscit in epistola ad Michaellem imperatorem, quæ inci-
pit, *Proposueramus*: sed patriarchæ Constantinopolitani imperato-
rum freti potentia, secundum post Romanum locum sibi vsurpabant,
qui tandem a Romanis pontificibus tranquillitatis causa fuit per-
missus, & primo ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi appro-
batus, relato in cap. Antiqua. de priuileg. Vide etiam Binium in notis
Concilii Constantinopolitani primi, Canone 5. alias 3. verbo Con-
stantinopolit. & Bellarm. de Roman. pontif. lib. 1. cap. 24.

²² *Legem.*] Nouell. 131. in qua postquam dixisset de Conciliis Nicæ-
no, Ephesino, Constantinopolitano & Calchedonensi, in quibus præ-
supponebat insertum & approbatum Canonem de archiepiscopo
Constantinopolitano, subdit hæc verba: *Ideoque sancimus secundum*
earum diffinitionem, sanctissimum senioris Romæ papam primum esse om-
nium sacerdotum, reuerendissimum autem archiepiscopum Constantino-
poleos nouæ Romæ secundum habere locum post sanctissimam apostolicam
senioris Romæ sedem. Hæc ipse: *Qui quod sciret non esse imperatoris*
Concil. Tom. 33.

auctoritatis ordinem praescribere sedibus, earumdem Synodorum definitionibus inherendo, id se sancire dicit, & perperam. Etenim cum tam ex Concilio Constantinopolitano, quam Calchedonensi, id sibi vindicare conati fuerint episcopi Constantinopolitani, aduersatus est Leo papa, ut superius dictum est. Vide Baronium tom. 7. anno 541. num. 21. Has autem leges saeculares adducit prouincialis, argumento, ut aiunt, ad hominem, & ut saltem tamquam ex historia & facto ipso Graecos conuinceret.

²¹ *Canone.*] Obuolutas sententias sic explico. Arathensis dixit: Nullus nostrum negat, quod sine potestate Romani pontificis non potest conuocari Concilium: sed contra papa sine patriarchis, potest scilicet conuocare, id est non requisito eorum consensu. Quod hic fit sensus Arathensis, patet ex immediate sequenti interrogatione. Nam ideo statim cardinalis quaesuit, quid sentiret Arathensis in casu, quo patriarchae praetextu alicuius Canonis contradicerent conuocationi papae, num foret tunc legitimum Concilium. Et respondit Arathensis, quod supposita conuocatione papae, propter contradictionem aliorum non desistet, quo minus sit Concilium legitimum. Tunc concludens subdidit cardinalis: Igitur sine papa non erit Concilium: cum tamen scilicet possit esse sine patriarchis, ut dictum est. Et quia cardinalis interrogauerat, quid si praetextu alicuius Canonis conuocationi papae resisterent; subsumpsit prouincialis, magis id declarando, quod ille Canon non potuisset esse nisi apocryphus: subiunxitque cardinalis ad confirmationem dictorum priuilegium Constantini, quod legi voluit, non illud approbando, sed ad homines Graecos magis conuincendos ex ipsis eorum iuribus, licet inualidis. In eo enim priuilegio, quod refertur a Gratiano distinctione 96. capite, Constantinus, & latius a Theodoro Balsamone in Nomocanone titulo 8. capite 1. Constantinus imperator voluit, ut Romanus pontifex supra quam imperatoria maiestas haberetur & coleretur, essetque caput salutarum patriarchalium, & omnium ecclesiarum: addens, quod si quid ad cultum Dei & Christianam fidem stabiliendam pertineat, ab ipso diiudicetur & disponatur. Hac igitur voluit auctoritate Graecos conuincere cardinalis, quam ipsi admittebant. Verum cum in eo subiungantur priuilegia ecclesiae Constantinopolitanae, aperte colligitur confictum esse a Graecis, ut etiam priuilegia ecclesiae Romanae, quae sunt a Deo, tamquam ab homine deriuarent. Vide Baronium timentem Danaos & dona ferentes, tomo 3. anno 324. numero 117. & tomo 12. anno 1191. num. 52. Ceterum Canon ille de consensu patriarcharum in conuocatione generalis Concilii, quem prouincialis supra dixit non potuisse esse nisi apocryphum, videtur esse qui ex quibusdam synodicis scriptis enuntiatur lectus in VII. Synodo ex versione Anastasii ante 1. actionem, sub titulo, *Conscripção breuis indicans quae sunt ante Synodum*, his verbis: *Lectis quibusdam synodicis scriptis, quae perhibent, non oportere aliquando Synodum vniuersalem fieri praeter consensum ceterorum sanctissimorum patriarcharum.* Qui Canon cum non sit synodicus alicuius legitimae oecumenicae Synodi, sine

ANNO
CHRISTI
1439.

dubio est apocryphus, vt optime dixit prouincialis: & propterea etiam dixit cardinalis, in *Canone illorum*, id est in aliquo prætenso Canone, quatenus exhiberetur. Nisi malit quis dicere, Græcos in illis synodicis scriptis vfos esse vocabulo generalis, vel œcumenici, vt legitur ibi in textu Græco, in significatu & sensu improprio, respectu conuocationis faciendæ a patriarcha Constantinopolitano, de quo ibi agebatur, nimirum non œcumenici totius orbis, sed œcumenici nationis & gentis vel ritus. Sicut enim in præfatione ipsius VII. Synodi ad Ioannem VIII. dicit idem Anastasius, quod Græci dicebant se appellare patriarcham suum Constantinopolitanum œcumenicum, non quod vniuersi orbis teneret præfulatum, sed quod cuidam parti orbis præesset, vt in 9. nota huius collationis diximus: ita idem vocabulum œcumenici & generalis poterant applicare Concilio non vniuersali totius orbis, sed partis & nationis orbis.

²⁴ *Euangelis.*] Scilicet in euangelis habent ordinem & finem, vt hoc sacrificium incruentum fiat in commemorationem passionis & cruenti sacrificii Domini nostri Iesu Christi. Dionysius autem vtitur etiam illis verbis, vt sacerdos excuset propriam indignitatem.

²⁵ *Operationes.*] Loquitur ad hominem de verbis eucharistiæ institutis a sanctis doctoribus, Basilio, vel Chrysofomo. Ceterum forma extremæ vnctionis est deprecatoria ex Christi institutione. Vide sanctum Thomam in 4. dist. 23. & Suarez in 3. par. disp. 40. sect. 3.

²⁶ *Effectum.*] Hanc expositionem datam a Græcis, quæ & communior est apud omnes, refert etiam Græcus scriptor sess. 25. Vide etiam Arcud. in sua Concordia lib. 3. cap. 31.

²⁷ *Fiat.*] Ponderat non solum verba liturgiæ Basilii, sed etiam Chrysofomi, vt dicit statim infra. Hæc autem sunt Chrysofomi. Verum in liturgia Basilii intolerabilis est modernorum schismaticorum audacia, dum sine, non dicam recto sensu, sed etiam sine vlla prorsus connexionem & syntaxi verborum, addiderunt in nouissimis euchologiis impressis Venetiis imperatiuum illud *ποιήσον*, fac panem hunc, &c. quod imperatiuum nemo dubitat existere in liturgia Chrysofomi, in qua tamen suam habet cum reliquis verbis connexionem & optimam explicationem ex subsequentibus in eadem liturgia verbis: sed in liturgia Basilii nullo modo coaptari potest, vt patet legenti. Hæc enim sunt verba antecedentia: *Obsecramus & postulamus, vt veniat Spiritus sanctus tuus* (vel ad verbum ex Græco) *venire Spiritum sanctum tuum super nos & super proposita munera ista, & ea benedicere & sanctificare, & ostendere panem quidem hunc, &c.* in quibus verbis in primis notandum, quod verbum ostendere, *ἀναδείξαι*, Bessarion in opusc. de eucharistia interpretatur facere; sic in coniunctiuo legens, vt veniat Spiritus sanctus tuus super nos & super proposita munera ista, eaque benedicat, sanctificet, & efficiat panem quidem hunc ipsum preciosum corpus, &c. quæ Bessarionis interpretatio verissima est & ad sensum Basilii. Ostendere enim, sicut & dicere Dei, est facere. His verbis antecedentibus in liturgia Ba-

filii sine vlllo sensu vel connexionione addiderunt nouissimi schismatici imperatiuum *ποιήσω*, *fac*: quod sic ineptissime annectunt in nouissimis & corruptissimis euchologiis: *Obsecramus & postulamus, venire Spiritum sanctum tuum super nos & super propoſita munera ista, eaque benedicere & sanctificare, & ostendere: & fac panem quidem hunc, &c.* Sed quia post illa priora verba Basilii *benedicere, sanctificare, & ostendere*, interposita est in euchologio rubrica de aliquibus ceremoniis cum aliis verbis & orationibus, ideo subsequendo postmodum illud imperatiuum, *fac*, non tam facile apparet ineptitudo connexionionis: ex quo tamen imperatiuo modernissimi schismatici argumenta desumunt. Non enim tam facilem ad sensum catholicum habet interpretationem istud imperatiuum *fac* in liturgia Basilii, quam habet in liturgia Chrysoſtomi. Quod imperatiuum *fac* in præfata liturgia Basilii non legit Bessarion opusc. de eucharistia, sed etiam ipse Marcus Ephesinus in opusc. vbi contendit probare suam hæresim, quod his verbis Chrysoſtomi & Basilii perficiatur consecratio, adducens verba liturgiæ tam Chrysoſtomi, quam Basilii, in verbis Basilii non refert imperatiuum *fac*. Verum quia non est hic locus de his fuisse agendi, cum præsertim esset actum agere: optime enim hæc explicat Arcudius in sua Concordia lib. 3. cap. 27. solum hic in confirmationem supradictorum, & eorum quæ dicit Arcudius, necesse existimari addere, quod præfatum imperatiuum *ποιήσω*, *fac*, in liturgia Basilii, non legitur in vetustissimis euchologiis, quæ extant in bibliotheca Vaticana sub numeris 1215. 1554. 1811. 1872. & 1875. Imo nec legitur in impressis Venetiis anno 1526. in eadem bibliotheca num. 1225. nec in impressis anno 1616. num. 5961. nec in impresso anno 1570. quod est penes me, nec in liturgia Basilii impressa ex vetustis codicibus a Claudio de Sainctes.

²⁸ *Facit.*] Hanc expositionem profecutus est postea Bessarion in suo opusculo de eucharistiæ sacramento, quem etiam refert Arcudius in sua Concordia lib. 3. cap. 33.

²⁹ *Annotavi.*] Quod opus Andreæ hucusque desideratur, formam tamen & acta Concilii aliunde recollecta hoc in opere congregimus. Meminit huius sui operis idem Andreas supra collatione 1.

³⁰ *Approbante.*] Vide quæ diximus in 5. nota circa medium ad primam collationem, de hoc modo loquendi & diffiniendi in Conciliis, in quibus ipse summus pontifex personaliter præſidet, in signum auctoritatis & potestatis.

³¹ *Priuilegiis.*] In Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. 5. relato in cap. Antiqua, de priuilegiis hæc leguntur: *Antiqua patriarchalium sedium priuilegia renouantes, sacra vniuersali Synodo approbante sancimus, vt post Romanam ecclesiam, quæ disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, vt pote mater vniuersorum Christi fidelium & magistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineat, seruata cuilibet propria dignitate, ita quod*

ANNO CHRISTI 1439. *postquam eorum antistites a Romano pontifice receperint pallium, quod est plenitudinis officii pontificalis insigne, praestito sibi fidelitatis & obedientiae iuramento, licenter & ipsi suis suffraganeis pallium largiantur, recipientes pro se professionem canonicam, & pro Romana ecclesia sponsonem obedientiae ab eisdem. Dominica vero crucis vexillum ante se faciant ubique deferri, nisi in urbe Romana, & ubicumque summus pontifex praesens extiterit, vel eius legatus utens insigniis apostolica dignitatis. In omnibus autem prouinciis eorum iurisdictioni subiectis, ad eos, cum necesse fuerit, prouocetur, saluis appellationibus ad sedem apostolicam interpositis, quibus est ab omnibus humiliter deferendum. Haec ibi. Interfuere autem in hoc Concilio Lateranensi patriarcha Constantinopolitanus & Hierosolymitanus personaliter, & per vicarios Alexandrinus & Antiochenus, & plures metropolitae.*

Post diffinitionem publicatam, Graecus scriptor refert quasdam interrogationes Latinorum, & responsiones Graecorum, atque inter alias, cur post verba consecrationis adderent, Et fac panem hunc preciosum corpus Christi tui: & similiter post verba consecrationis sanguinis. Mirum est certe & incredibile, post diffinitionem hoc interrogasse Latinos. Nam ipso Graeco scriptore teste sess. 25. ante diffinitionem coram papa ea de re fuit disputatum, optimeque responsum a Graecis: imo Graeci, vt testatur Andreas collat. 22. expresse dogma fidei fuerant professi, nimirum solis verbis Christi Domini fieri consecrationem corporis & sanguinis.

Responsio etiam quam ipse refert dedisse Graecos aliquos praesules priuati, & non tamquam de omnium consensu, nempe de dirimere matrimonia iustis causis, non subsistit. Nam eam idem Eugenius in decreto pro Armenis, & postea Tridentinum sessione 7. damnant & anathematizant.

Similiter inter ceteras Latinorum interrogationes quaesisse illos refert a Graecis, cur sacerdotes eorum inungerent sacro chrismate, & non potius episcopi: additque Mitylenensem omnia canonicè dissoluisse. Certe Mitylenensis non aliud potuit respondisse canonicè, nisi quod in praefato decreto pro Armenis, & postea in Tridentino sessione 7. diffinitur, ordinarium scilicet ministrum confirmationis esse episcopum, & aliquando per apostolicæ sedis dispensationem ex rationabili & admodum urgente causa simplicem sacerdotem chrismate per episcopum confecto hoc sacramentum administrasse.

Sed nec canonicè potuit excusasse Mitylenensis episcopos & sacerdotes Graecos peccati reos, sacramentalem confessionem non praemittentes celebrationi sacrificii, de qua idem auctor asserit a Latinis pariter interrogatos fuisse Graecos, dicente Apostolo 1. Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Quae verba adducentes patres Concilii Tridentini, haec subdunt sess. 13. cap. 7. *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem esse necessariam, vt nullus sibi*

conscijs peccati mortalis, quamuis sibi contritus esse videatur, absque premissa sacramentali confessione ad sacram eucharistiam accedere debeat: quod a Christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuo seruandum esse decreuit, modo non desit illis copia confessoris. Hæc patres Concilii, imo subdunt præceptum positium his verbis: *Quod si necessitate urgente sacerdos absque praua confessione celebrauerit, quamprimum confiteatur.* Hæc ibi.

ANNO
CHRISTI
1459.

Verum episcopi & sacerdotes Græci non præmittunt confessionem, imo fere nunquam confitentur duplici ex causa. Primo, quia Canones poenam suspensionis imponunt clericis fornicantibus, vel alia peccata committentibus. Cum igitur sacerdotes qui peccant, se habeant pro suspensis, nec putent confessarium posse illos exercitio sui ordinis restituere, aliunde vero celebrare velint vel debeant, omittunt confessionem, ita vt hoc sacramento fere sint priuati.

Canon autem est 24. in constitutionibus apostolicis, nimirum: *Episcopus, vel presbyter, vel diaconus in fornicatione, vel periurio, vel furto deprehensus deponatur.* Item Basilii Can. 3. *Diaconus post diaconatum fornicatus, a diaconatu reiiciatur.* & Can. 32. *Qui peccatum ad mortem peccant clerici a gradu deponantur.* & similes, quos congerit Arcudius in Concordia lib. 4. cap. 2. Qui Canones vel sunt sententiæ ferendæ, non autem latæ; vel loquuntur de publicis & de foro externo, vt patet ex illo verbo, *deprehensus.* Sed quamuis etiam daremus & Canones esse validos, & non ferendæ, sed latæ sententiæ etiam in foro interno, potius deberent Græci sibi de remedio absolutionis & dispensationis prouidere, quam toto vitæ tempore prætextu iuris ecclesiastici humani ius ipsum diuinum pessumdare, & sacramento poenitentiae priuari, ac secunda tabula post naufragium deperdita necessario demergi.

Secunda causa est etiam, quia presbyteri Græci sæculares cum sint vxorati, & ipsi cum sua familia implicati negotiis, vt reliqui de populo, non de facili facultatem audiendi confessiones impetrant, aut curant, suntque curati cum dimidiata potestate, ac fere omnes confessarii Græci sunt monachi, quorum cum non vbique sit copia, ideo Græci paulatim notitiam sacramenti poenitentiae perdidere. Sic abyssus abyssum inuocat, & post schisma sequitur ruina.

Caute etiam legendus idem Græcus scriptor ibidem, dum ait, Eugenium IV. summum pontificem exhibuisse Græcis præsulibus, si ipsi in locum defuncti alium patriarcham Constantinopolitanum ritus Græci Florentiæ eligerent, se remoturum patriarcham eiusdem ciuitatis ritus Latini. Hanc exhibitionem non est facile credendum fecisse Eugenium prudentissimum pontificem: notum est enim quantam semper Romani pontifices diligentiam adhibuerint pro conseruatione ritus Latini in partibus orientis. Nam Innocentius III. in præfata ciuitate Constantinopolitana instituit primum patriarcham Latini ritus Thomam Maurocenum, vt fideles ritus Latini sub imperatore Balduino Flandro proprium sui ritus patriarcham

ANNO
CHRISTI
1439.

cham haberent, vt constat ex eius epistolis, præsertim 18. lib. 1. re-
gest. 13. & alia adducta in notis ibidem per Bosquetum Narbonen-
sem editione Tolosana anni 1635. Viuebat autem tunc temporis Mi-
chael patriarcha ritus Græci, vt obseruat Genebrardus in chronico
anno 1215. Docet enim experientia, nullum esse medium efficacius
ad affectum & deuotionem erga Romanam sedem atque ab ea de-
pendentiam in illis partibus conseruandam, & schismata præcauen-
da, quam Latinum ritum, præsertim in regnantibus, & eiusdem ri-
tus præfules fouere & conseruare.

P A R S T E R T I A
A C T O R V M S A C R I O E C V M E N I C I
C O N C I L I I F L O R E N T I N I
P O S T D I S C E S S V M G R Æ C O R V M.

POST Græcorum discessum quæ Eugenius papa Christianis
principibus, imperatori, regibus, communitatibus ac uni-
uersitatibus rescripserit, hic subiicimus ex manuscripto codi-
ce bibliothecæ Heidelbergæ Romam in Vaticanum aduectæ
fol. 273.

*Eugenius episcopus seruus seruorum Dei N. N. salutem
& apostolicam benedictionem.*

GLORIA in altissimis Deo, & in terra pax hominibus ^{Num. I.}
bonæ voluntatis. Iuuat, carissime fili, in vocem exul-
tationis erumpere, & gestiente animo cum angelis misce-
re lætitiã: quandoquidem ineffabile gaudium, quod
erit omni Christiano populo, nuntiamus. Quanto quippe
mens nostra tanto diuinæ consolationis rore perfunditur,
ita exhilaratur cor nostrum, vt quod sentimus explicare
nequidquam valeamus, solaque in gratiarum actione &
voce laudis requiescit affectus noster.

Ecce enim quod ardentissimo studio & indefessa pie-
tate olim & longe, antequam ad pontificatus apicem assu-
meremur, optauimus, orientalis & occidentalis ecclesiæ
diuturnum perniciosumque dissidium post quadringen-
tos quinquaginta annos diuina tandem miseratione subla-
tum est: qua in re licet omnem pro viribus diligentiam
adhibuerimus, quantum ille donare dignatus est, totum

Concil. Tom. 33.

V V V